204 16 D 21

K. IX. A° 24
XXVI. m. 13.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA
CONCILII TRIDENTINI
PETRI SVAVIS POLANI
EX AVCTORISMET
aſsertionibus confutata.

A PHILIPPO QVORLIO
SACR. THEOL. LEGVMQ;
DOCTORE

NVNC SECVNDO EDITA PER V. I. D.
IOSEPHVM CRIMI BELLA,

CVM DVOBVS POSTERIORIBVS LIBRIS,
Qui deſiderabantur : atque ex Authographo
emendata.



PANORMI, Apud Auguſtinum Boſſio. M.DC.LXI.

Impr. Abbas Geloſus V.G. *Impr. de Denti F. P.*

Digitized by Google

Digitized by Google

204
16
D. 21

ALEXANDRO VII SVMMO PONTIFICI.

PRINCIPI OPTIMO MAXIMO.

PHILIPPVS QVORLIVS ROMANI Cleri Decanus.

BEATISSIME, AC SANCTISSIME PATER.

ECcleſia per Chriſtum ſupra Petrum ædificata, in huius fundamenti firmitate immobiliter perſeuerans; ſuis ſemper oppugnatoribus profligatis, totidem glorioſiſſimos triumphos perpetuò victrix reportauit, quot vnquam pertulit aduerſarios. A ſuis enim primordijs inceſſantibus perſecutionibus exagitata, ex eiſque ſemper aucta, non modò, nec etiam in minimo labefactari potuit, ſed

omnes

Digitized by Google

omnes ſuos perſecutores tandem ad hanc Petram colliſos, attritoſque vidit. Præter ſæuiſſimos Tyrannos, etiam ducenti circiter Hæreſiarchæ omnes ſuas vires in eam acerrime intenderunt. Et quamuis etiam potentiſſimos Patronos, Imperatores, & Reges habuerint, libroſque propemodum innumerabiles ſcripſerint, adeo vt nunquam deficere poſſe viderentur, omnes tamen ad nihilum tandem redacti, Eccleſiam inſuperabilem eſse proprio exitio ſenſerunt. Sic enim, & ipſi, & libri eorum, & dogmata, & quodcunque ipſorum veſtigium, vnà cum nominibus euanuerunt; vt ſi eorum Catholici in ſuis libris non meminiſſent, eos nec etiam in hoc mundo fuiſse sciremus. Et nouiſſimis hiſce temporibus Lutherus, & qui ab eo pulularuntSectarij, pari exitio, diſpereant; quandoquidem, ex Illyrici teſtimonio, nullus iam purus Lutheranus inueniatur: Zuingliani penitus euanuerint: Caluiniſtæ ad paucitatem redacti, eorum magiſtri de celeri ſuæ Sectæ interitu prædictionem impleri videant; & quotquot alij ex impuriſſima, ac numeroſiſſima illa colluuie ſuperſunt, ſeſe mutuò digladiantes, conficiant, omniumque demum nouitatibus per Tridentinum damnatis, fateri cogantur, Eccleſiam Catholicam illud Regnum eſse, quod, ex Danielis oraculo in æternum non corrumpetur, illudque de cælo conſilium, quod iuxta Gamalielis prophetiam, hominum conſilia nunquam diſſipare poterunt. Commé-

tis

tis namque Hæreticorum, præter vanam ſpeciem, qua incautos, ſimplicesque eludant, nihil ſolidi eſſe non ſolum præcedentium tot ſeculorum exempla docuerunt, ſed noſtra ætate ex Hiſtoria Concilij Tridentini Petri Suauis Polani potisſimum comprobatur, quam vti nugacem, vanam, falſamq; ex ſolis Auctoriſmet aſsertionibus à fundamentis euerti. Quod ſi ipſe in Baſilica vaticana minimus aſsecutus fuero (vt ſpero) non modò confirmabitur Nouatorum machinas fictilibus plantis innixas, ſed eam vim ineſse Apoſtolicæ illi Petræ, cuius ſupra firmitatem totius ſuperincumbit Eccleſiæ altitudo, vt vel exiguus etiam ex ea lapillus, posſit moles, quæ cum æternitate victuræ credebantur, leui impulſu ad terram proijcere. Opus (Beatiſſime Pater) cui per multos annos (ne in alienas manus incideret) latitandum fuit, nunc (te auſpice) prodit in lucem, quò ſub tuo benefico ſydere optatum portum aſpiciat, & tandem aliquando (te benignè aſtante) de Aquilonibus, Euriſque aduerſis (fruſtra fremente, ac tabeſcente liuore) triumphet.

LEC-

LECTORI BENEVOLO I. V. D. IOSEPH CRIMIBELLA.

PRiores duo libri editi fuerunt typis Venetis anno 1655. ſed quales Auctor primo impetu rudi calamo ſuderat. Eos nunc emendatos vnà cum duobus alijs libris, qui deerant emitto candide lector, tum vt eorum Votis annuam qui opus integrum impatienter deſiderabant, tum ne amplius eorum expectationem protraham, qui hanc editionem maximè ex vſu rei Catholicæ fore autumant. In quo ſi forſan Auctorem offenderim, qui de typis nunquam cogitauit, confido tamen me cum eo in gratiam facilè rediturum eſſe poſt quam ex omnium plauſibus ſenſerit, me non tam publicis deſiderijs ſatisfeciſſe, quàm priuata ipſius gloriæ mea induſtria conſuluiſſe. Vale.

PRAE-

PRAEFATIO.

EA eſt Nouatorum noſtri temporis pertinacia, vt in ſua impietate contumaciter inflexibiles, de errore conuicti, nō reſipiſcant: & de veritate inſtructi, peruicaciùs, acriùſque repugnent. Ex irrationabili namque mentis obſtinatione, lumini rebelles, ambulant in tenebris, tanquam in luce: & errantes corde, ſola malitia Spiritui Sancto reſiſtunt. Quod D. Paulus Apoſtolus præmonuiſſe videtur, dum de hæreticis, qui in nouiſſimis diebus futuri erant, cælitùs afflatus prædixit, ita eos veritati reſtituros eſſe, quemadmodum Iannes, & Mambres reſtiterunt Moyſi.

Petierunt olim in Comitijs Imperialibus, Auguſtæ, Norimbergæ, Spiræ, Ratiſponæ, Vormatiæ, & alibi Concilium: ad illudque votis (vt oſtentabant) ardentiſſimis prouocarunt. Verùm, eo ad Tridentum indicto, illicò, ſibi conſcij, iuſto terrore perculſi, non modò (ouina pelle depoſita) ei ſeſe ſubijcere, obduratis ſemper animis, renuerunt; ſed, ne Catholica Veritas illuceſceret, nullum non mouerunt lapidem, quo, & conuocationem in ortu opprimerent, & progreſſum, concluſionemque interturbarent. Impijſq; dein Septentrionis nouitatibus dam-

natis, conceptæ attamen perfidiæ immobiliter inhærentes, Doctrinam Diuinitùs inſpiratam perpetuis poſtmodùm obiectionibus, probriſque exagitarunt.

Quæ patent in Appellatione Lutheri, eiuſque Libro de Concilijs: in eo, quem Melanchthon edidit, de Cauſis, Cur Lutherani ad Concilium non acceſſerint: in Proteſtatione triginta quatuor Miniſtrorum: in Libro Illyrici, de Norma, & Praxi Conciliorum: in Examine Concilij Tridentini Martini Kemnitij: in Conſilio Caroli Molinæi, de eodem non admittendo Concilio; & ex alijs itidem pluribus, vbique notiſſimis.

Cumque materiam omnem ſuis demùm cauillationibus ſubtractam viderent, quòd non defuerint, qui Sanctiſſimas eas Definitiones cum ſenſu Diuinæ Scripturæ, & Conciliorum, Patrumque omnium Orthodoxorum ſententia conuenire docuerint, cum debuiſſent, tandem conuicti, à peruicacia recedere, ad inſidias potiùs, omni alio ſubterfugio deſtituti (ne hoc etiam intentatum relinquerent) ſe, magis, magiſque in ſua proteruia, ſtabiles conuerterunt; quandoquidem rei Tridenti geſtæ Narrationem, pro arbitrio, commenti, qua Concilium liberum nō fuiſſe fraudolenter inſtillent, fortiſſimum hoc Religionis propugnaculum, quod nunquam labefactare apertis viribus potuerunt, inſidioſa hac machina, quaſi per latentes cuniculos, iteratis conatibus aggrediantur.

Solius tamen malignitatis figmenta pro Actibus

Tri-

Tridentinis ſupponunt: & cum, nonniſi male dictis, inaniq; tantummodò verborum ſtrepitu, rem totam peragant, doloſa nihilominus veri imagine decepturi, ſacrilegum illud Cõmentum (tametſi mendacio, ac liuore in omnibus contaminatum) ſpecioſo, Hiſtoriæ titulo prænotatum, dederunt in lucem: in variaſq; linguas translatum (quò ſeſe eius virus latiùs diffundat) ad omnes inſuper tranſmiſerunt Nationes, vt totum Chriſtianum orbem contagione impietatis inficiant.

In eo affatim congerentes, quæ venenato vnquam ore malignantes in Sacroſanctam illam Actionem, Romanamque Curiam euomuerunt, eò procaciùs (habenas ſuo furori laxantes) in omnem ſeſe effuderunt licentiam, quia cum publica earum rerum documenta non extent, & priuata reijciant, impoſturam etiam tutò latere poſſe, calumniamque impunè debacchaturam eſſe, ſibi certó perſuaſerint.

Synodi Sanctitatem, Romanumq;, in ea tractanda, candorem contraria omninò facie delineant: os impurum (Diuina etiam cenſuræ ſubijcientes) in Cœlum temerè ponunt: Res, Perſonaſque Sacras (nemini prorſus parcentes) irreuerenter conculcant, opprobrijſque fædant: & cuncta ambagibus obuoluentes, quò, quicquid veri ſit, ſub caligine lateat, quod falſum, aut commentitium, fuco illitum non appareat, in eo totam poſuerunt induſtriam, vt ſcandalum ex rebus noſtris mouentes, ſimpliciũ mentes perturbent, incautoſq; incerta opinione traducant,

At

At licèt non defuerit Aduerſarijs, ad concinnandas fallacias, ſtruendoſq;dolos verſutia,non eò vſq; tamen licuit impudentiæ,vt lumen Veritatis in totū extinxerit. Cum non potuerint namque rei Summā è monumentis, quæ extant non haurire, non ſic ea in proprios vſus conuertere valuerunt (quamuis in èis transformandis, euertendiſque pluſquam credibile eſt, inſudauerint;) quin ex ijs etiam, quæ in totum corrumpere, aut præterire non potuerunt, eorum penitùs depræhenſis fraudibus, æquè Synodi Libertas,ac Romana in ea Synceritas (quas ſibi nominatim oppugnandas propoſuerunt) in eorummet quoque paginis, ſe luce ipſa meridiana clariùs, perſpiciendas præbeant.Cum ſola ſiquidem odij ſuggeſtione congeſta, ſibi conſtare,aut inuicem cohærere nequeant, factum eſt etiam (Deo deſuper malignorū diſperdente conſilia) vt ſuas contradictiones, propria excæcati malitia, minimè diſcernentes, iniquiſſimorum hoſtium tela verſa ſint admirabiliter in arma lucis, ad deſtruenda opera tenebrarum: &, mentiente ſibi iniquitate,ſuffragiumq;probitati ferente, ea per ſe vi veritatem rebuſmet ipſis pollere tandem comprobauerint, qua ſemet contra calumniantium ingenia,calliditatem,ſolertiamque facilè defendens, non modò teſtimonium à ſuis quinetiam oppugnatoribus (velint nolint) extorqueat;ſed, ex concertationibus purior ſemper,clariorque euadens,reportauerit, perpetuò victrix, ex perſecutionibus palmas, & ex inimicis Coronas.

CON-

CONSILIVM
AVCTORIS
Ad Lectorem.

QVÆ ſit Hiſtoria Concilij Tridentini, meumque in ea confutanda conſilium, non te pigeat (quicunque es amice Lector) in limine operis accipere, vt melius dicenda percipias. Nam paucis me expediam.

Ea fabula prodijt primùm Londini, *opera M. Antonij de Dominis damnatæ memoriæ, qui cum ex Archiepiſcopo Spalatenſi, impuriſſimus transfuga, ſeſe recepiſſet in* An*gliam, ſuam à* Sede Apoſtolica *apoſtaſiam, inſigni aliquo facinore comprobaturus, ſacrilegum illud Commentum dedit in lucem, ſub eius Regis auſpicijs, anno* 1619.

Auctor illi inſcribitur Petrus Suauis Polanus*, ſub quo nomine quinam verè lateant, non tàm apertos, quàm acerrimos ſe Pontificis hoſtes, oppugnatoreſque declarant. In quem adeò impotenter feruntur, vt calamum ſe ex profeſſo aduerſus Romanam Curiam exacuiſſe, notum eſſe voluerint; dum cuncta ſe eiuſdem* Curiæ *artificia, in re* Tridentina *tractanda, propalare in ipſamet quoque Libri fronte aperiunt, vt videre eſt in prima Editione à Spalatenſi facta. Nam cum propriam in* Pontificem *acerbitatem nimiùm, ex ea declaratione, detexiſſe animaduerterint, eam ex poſterioribus impreſſionibus expunxerunt.*

Et

Et quicunque verè ſint Auctores (quod vltrà inquirere operæ pretium non fuit) cum quæ non viderint, aut pertractauerint, referentes, ſuas tamen aſſertiones nullius (vt par erat) teſtimonio fulciant, meritò etiam huc vſque neglecti fuerunt, quòd credi nunquam potuerit, adeo faciles homines fore, vt gratis aſſerentibus, ſoloque in nos odio ſcribere apertiſſimè profitentibus, ne aures quidem, nedum fidem, clauſis oculis, accomodarent.

At quoniam ea Narratio, quantumuis etiam manifeſtiſſimè nugax, & falſa, pronas nihilominùs (proh pudor!) inuenit aures, quòd redarguta non fuerit: & ex noſtro ſilentio vires quotidie maiores acquirit (vndè locus amplius diſſimulationi eſſe non poſſet;) ſcenæ etiam detegendæ tempus (amoto mendacij velo) eſſe videtur, ne, dum criminationes falſas contemnimus refutare, credamur forſan crimen agnoſcere. Cui operi cum ſe multi nuper accinxerint, non debeo & ipſe interim, quæ in eandem Hiſtoriam, pluribus antè annis, animaduerti, á publica luce ſubtrahere; non tàm quòd ab eo tempore vulgata, omnium quoque calculis combrobata fuerint: & in eo periculo ſint, vt in alienas manus facilè incidant; quàm quód ſummæ ſapientiæ Pontifex VRBANVS VIII. inceptum probauerit, perficique mandauerit; immò nullam magis propriam eius Hiſtoriæ confutandæ rationem eſſe inſuper aſſeuerauerit: alijque pariter eruditiſſimi Viri ea itidem; quamuis adhuc etiã rudia, in rem præſentem maximè fore cenſuerint.

Sed quod pertinet ad rem ipſam, cum primaria Aduerſariorum intentio ſit, Concilium Tridentinum, vti non liberum diffamare; idque ex eo factum ſuadere contendant,

quòd

Digitized by Google

quòd Pontifex, Prælatorū ei adhærentium numero, & ſequela præualens: Præſidentiumque artibus, & induſtria pollens: & quòd nemini proponere, ac liberè loqui permiſerit, Propoſitionum, Deliberationumque omnium auctor, arbiterque fuerit: & ſimus ideò in quæſtione facti; hæc omnia etiam ex facto ipſo, in eadem Hiſtoria per eoſdemmet relato, abundantiſſimè diluā, perſpectiſſimū faciendo è contrà.

Primùm Aduerſarios, ſola malignitate, Romanam Synceritatem impetere. Nam, cum Pontifex arbiter in Synodo eſſe non poſſet, niſi ex Loco celebrationis, & ex Perſonis, quæ partem habuerunt in ea; quod pertinet ad primū, oſtendam, Pontificem ſpontè, ac proprio motu, locum pro celebratione elegiſſe, vbi nullum ſibi polliceri potuiſſet arbitrium. Quòd verò pertinet ad perſonas, (nempè Patres, Doctores, & Præſidentes: & etiam Principes, qui, per ſuos Miniſtros operi inſtabant, cum non alij rem tractauerint) aperiam, non fuiſſe Pontifici Prælatos, quorum ſequela, ac numero præualuerit; ſed Patres ſui omninò arbitros extitiſſe: quemadmodum & Theologos, & Doctores. In Præſidentibus verò non reſpexiſſe, pro re ſua priuata, induſtriam, publicæque tantummodò exigentiæ, temporique aptiſſimos præfeciſſe. Potioremque ex Principibus eſſe non potuiſſe; nec inſuper eſſe quæſiuiſſe; cum, his probatis, ex neceſſitate ſequatur, Pontificem ab omni etiam arbitrij in Synodo exercendi cogitatione penitus alienum fuiſſe.

Secundò, eoſdem Aduerſarios, per ſummum pariter ſcelus, Synodi Libertatem calumniari probabo; quòd adeò falsò aſſerant Pontificem Propoſitionum, Deliberationumque

arbitrum, auctoremque fuiſſe: neminique proponere, ac liberè loqui permiſiſſe; vt immò è contrà, Propoſitiones, & Deliberationes à ſolis Patribus, purè, integrè, atque omninò liberè emanauerint: Et, non modò cuique pro libito proponere, ac liberè loqui licuerit; ſed Patres pleniſſimum in omnibus arbitrium perpetuò inſuper exercuerint.

Et demùm eandem falſitatem, malignitatemque per totam Hiſtoriam, ad cumulum detegens, patefaciam, non modò artificia in re tractanda, Romanis aſcripta (quæ ſingillatim enucleabo) commentitia eſſe: & reliqua ad Actionem pertinentia mendacijs, impoſturiſque ſcatere; ſed totam Hiſtoriam, in eis itidem, quæ de actione non ſunt, falſitate, ac liuore pari modo contaminatam eſſe.

Quibus præſtitis, de Dogmatibus ex profeſſo controuertere opus non erit, cum, libertate oſtenſa, certum ſit definitiones Tridentinas (vtpote Concilij liberi, ac legitimi) ſuo pondere ſtare, alieniſque idcirco fulcris minimè indigere. A quibus etiam abſtinendum cenſui, quod è dignitate eſſe non videatur, quæ maturè ſemel Eccleſia definierit, in contentionem, quaſi incerta, aut pendentia, reuocare. Præſertim, quia plurima, & doctiſſima non deſint eius argumenti volumina.

Cumque vis tota in probationibus conſiſtat, eas, vt ſint, contrà Aduerſarios, omni exceptione maiores, non ex noſtris hauriam ſcripturis (quod facile factu fuiſſet;) ſed ex eademmet Hiſtoria, in totum propemodum eruam, cum ad aliorum Scriptorum fidem rarò confugiam. Nam ex eorumdemmet aſſertionibus, ac principijs; tùm quæ propoſui, pla-

nè, ac

nè, ac facilè demonſtrabo; tùm vnà ſimul totam Hiſtoriam (vbi confutatione indigeat) fundamentis euertam. Ex qua probatione, præter id, quòd certiſſima eius Commenti leuitas apparebit (cū non certior eſſe poſſit, quàm quòd ſemet ex contradictionibus deſtruat;) Aduerſariorum etiam machinationibus occurram. Cum enim dicant, Pontificem alteram aduerſus eos litis partem in Concilio ſuſtinuiſſe; non modò noſtra omnia (vtpotè partis aduerſæ) indubitanter reijcerent, in ſuſpicionemque vocarent (& præſertim priuata, quæ nullam probationem, niſi adminiculata, faciunt;) ſed alia inſuper in replicatione addentes, contentiones ex contentionibus excitarent, quò, veritate ſemper incerta, eorum fraus deprehendi non poſſit, nulluſque vnquam finis altercationibus fiat.

Cum, & præter hæc, non aliter os mundo claudi poſſe crediderim, qui iam præoccupatus ab Aduerſarijs, procaciter in Romanam Curiam adlatrat. Cum adeò namq; poſitus ſit in maligno, vt non deſint, qui inimicis potius noſtris (licèt gratis etiam aſſerentibus, ſolaque in nos rabie ſcribere apertiſſimè profitentibus) quàm nobis fidem habere velint; nonniſi etiam probationibus, quæ adminiculis non indigeant, aut exceptionibus non ſubiaceant, de malignantiū circumuentionibus admoneri poſſent.

Exemplar Hiſtoriæ, cuius paginas allego, eſt, quod M. Antonius de Dominis, Italico *primùm Idiomate, edidit* Londini, *anno 1619. typis Ioannis* Billij; *cum ſit cæterorum omnium archetypus. Quod in* Latinum *fideliſſimè tranſtuli, ne ea vulgarium auribus committerem, quæ, non*

A 2 *ſine*

ſine certo pietatis periculo, ſimplicibus, rudibuſque euulgarentur. Cum namque falſa, & fucata à veris, nec etiam auxilio confutationis, per ſe ipſos diſcernere queant, facilè etiam imprimuntur, in erroreſque trahuntur.

Jn paginis tamen allegandis, nonnullarum earum numeros, Jmpreſſorum incuria, perperam poſitos emendaui. De quo non modò Lectorem, in meis allegationibus exquirendis, monitum volo; ſed nec etiam vnquam obliuiſci, me, in hac Confutatione, nonniſi ex Aduerſariorum aſſertionibus, principijſque loqui (qualiacunque tamen ſint) *cum qualibet ipſorum aſſertio, aut ſuppoſitio (qualiſcunque ſit) in finem mihi propoſitum, eos ex proprijs tantummodò redarguendi, optimè faciat.*

Quibus oſtenſis, quemadmodum patebit, noſtros Aduerſarios nonniſi mendacijs, fraudibuſque niti; ſic plenè etiam confirmabitur, inſana eorum conſilia, qui ſola impietate, ac furore armati, Cœlum temerè oppugnare præſumũt, ſola confuſione, Diuinitùs diſſipari.

OPE-

OPERIS SVMMA
IN QVATVOR LIBROS
DIVIDITVR,
IN QVIBVS PROBANTVR.

I. Romana in re Tridentina Synceritas.
II. Actionis Tridentinæ libertas.
III. Hiſtoriæ falſitas, & malignitas in ijs, quæ pertinent ad Actionem.
IIII. Eadem falſitas, & malignitas in ijs, quæ non ſunt de Actione.

LIBER PRIMVS.

Romana in re Tridentina Synceritas.

I. Pontificem pro celebranda Synodo, locum ſponte elegiſſe, vbi nullũ ſibi polliceri potuiſſet arbitriũ
II. Prælatis non fuiſſe ſuffultum, quorum ſequela, ac numero præualuerit: Patres verò Theologos, & Doctores, ſui omninò arbitros extitiſſe.
III. In Præſidentibus non reſpexiſſe pro re ſua priuata induſtriam; ſed publicæ tantummodò exigentiæ, temporiq; aptiſſimos præfeciſſe.
IIII. Ex Principibus potiorem eſſe non potuiſſe: nec eſſe inſuper quæſiuiſſe.

Digitized by Google

Actionis Tridentinæ libertas.

I. Materias omnes in Synodo agitatas; Doctrinas: Decreta Canones, & quæcunque alia à ſolis Patribus purè, integrè, atq; omninò liberè emanaſſe.
II Cuique pro libito proponere, ac liberè loqui datum fuiſſe.
III. Patres pleniſſimum arbitrium perpetuò in omnibus exercuiſſe.

LIBER TERTIVS.

Hiſtoriæ falſitas, & malignitas; in ijs, quæ pertinent ad Actionem.

I. Artificia in actione Tridentina Romanis aſcripta, commentitia eſſe: & alia quæcunque mendacijs, ac liuore infecta.

LIBER QVARTVS.

Eadem falſitas, & malignitas in ijs, quæ non ſunt de Actione.

I. Totam Hiſtoriam in ijs etiam, quæ non ſunt de Actione, obtrectatione, impoſturis, calumnijs, ac falſitate contaminatam eſſe.

HISTO-

HISTORIAE
CONCILII TRIDENTINI
PETRI SVAVIS POLANI
EX AVCTORISMET
aſſertionibus confutatæ.

LIBER PRIMVS.

Digitized by Google

ROMANA IN RE TRIDENTINA SYNCERITAS.

I. Pontificem, pro celebranda Synodo, locũ ſponte elegiſſe, vbi nullum ſibi polliceri potuiſſet arbitrium.

II. Prælatis non fuiſſe ſuffultum, quorum ſequela, ac numero præualuerit: Patres verò, Theologos, & Doctores, ſui omnino arbitros extitiſſe.

III. In Præſidentibus non reſpexiſse pro re ſua priuata, induſtriam: ſed publicæ tantummodò exigentiæ, temporique aptiſſimos præfeciſse.

IIII. Ex Principibus potiorem eſse non potuiſse: nec eſse inſuper quæſiuiſse.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT PRIMVM.

PONTIFICEM, PRO CELEBRANDA Synodo, locum ſponte elegiſſe, vbi nullum ſibi polliceri potuiſſet arbitrium.

SVMMARIVM.

In Concilio arbitrum, ex aucteris ſuppoſitione, eſſe, qui fortior in loco.
Pontificem nihilominus Mantuam, Vicentiam, demùmque Tridentũ ſponte elegiſſe, vbi Cæſar potiſſimùm fortior erat.
Qui Concilium aduerſus eundem Pontificem ſibi vſui eſſe volebat:
Proteſtanteſque, tum intereſſe, tum in Actione partem habere, qui omnem inde Pontificis poteſtatem eÿci contendebãt.
Licèt etiam nullam ibidem Pontificis rationem habendam eſſe iiſdem Proteſtantibus ſpopondiſſet.
Quibus, vt indulgeret, Concilium in locum ſibi ſemper deteriorem tranſtulit.

ADuerſarij incautè promunt, facilèque euulgant, quæ, diſcordioſo ſtylo, perſcripta, eorum potius malignitatem prodant, quàm noſtra oppugnẽt. Temerè namque iactitant, quæ, non tam non probant, nec probare poſſunt, quàm quæ ex contradictionibus, & repugnantijs ſeſe inuicem deſtruunt, ſuoſque auctores confodiunt. Cum veritatem ſiquidem euertere nequeant, nituntur ſaltem noſtra, impia dicacitate, maculis inſpergere, & falſo aliquo rumore incautis ſuſpecta red-

reddere. Sed quàm inaniter, ex re potiſſimùm Tridentina patebit, quam Petri Suauis Polani nomine euulgarũt, ſi ſacrilegum illud commentum ex eorundemmet aſſertionibus euerterimus, vt propoſuimus. Qua in confutatione, cum ratione ordinis, ſeſe locus celebrationis, prior obijciat, de eo etiam prius, ad ordinem ſeruandum, agemus.

Arbitrũ in Conc. eſſe, qui in loco celebrationis fortior.

Polanus, ſeu Auctor Hiſtoriæ (quibus appellationibus deſignabimus Aduerſarios) in ſua Narratione diſertiſſimè docet, Pontificem in Concilio arbitrum eſſe non potuiſſe, ni fortior vnà etiam in loco celebrationis fuiſſet, dum præciſiſſimis verbis ait pag. 412. ***Pontificem in eo, quod pertinet ad locum, peculiares conſultationes cum Cardinalibus habuiſſe, quòd locus præ cæteris magni videretur momenti, ex quo Synodus ex illius tandem mente pariat effectus, qui fortior in loco celebrationis exiſtat.***

Quod adeò Pontifici perſpectum fuiſſe contendit, vt inſuper addat pag. 80. ***Paulum III. memorem, quidnam Ioanni XXIII. accidiſſet, qui Concilium habuit, vbi alij fortiores erant, à ſententia, eius amplius Mantuæ celebrandi, receſſiſſe;*** & pag. 267. ***magis ex Concilio timuiſſe, ſi in loco ſibi non ſubdito haberetur, quàm ex ipſiſmet armis, quibus Cæſar infeſtus eſſe potuiſſet Italiæ.***

Pontificem nihilominus ſpõte, ac proprio motu Mantuam, Vicentiam, Tridentũq; elegiſſe, vbi Cæſar fortior erat.

Quibus per Auctorem poſitis, ex neceſſitate conſequitur, non potuiſſe mentem, aut facultatem arbitrij in Concilio pro libito exercendi eis Pontificibus eſſe, qui illud celebrarunt, vel de illo celebrando egerunt, cum ad eum effectum, non ſolùm ***Mantuam, Vicentiam***, & demùm ***Tridentum***, elegerint, vbi alij fortiores erant; ſed eam inſuper electionem ***ſponte, ac proprio motu*** fecerint, vt Auctor in ſua Hiſtoria pag. 72. 90. 98. 105. 297. 413. & alibi, apertiſſimè refert.

Quo namque pacto mentem, aut facultatem arbitrij Mantuæ pro libito exercendi habere vnquam potuiſſent, ſi (vt Cæſar, ex relatione Polani, pag. 77. reſpondit Proteſtantibus) ***ea Ciuitas Germaniæ proxima erat, Imperioque ſubie-***

ſubiecta, eiuſque Dux feudatarius Cæſaris; *ita vt nullam in ea Pontifex* (vt præciſiſſimis verbis addit) *poteſtatem haberet?* Immò in qua adeò præpollebat Cæſar, vt nullo modo ſollicitus (vt ait 76.) *quaſnam in ea Pontifex conditiones appoſiturus eſſet, quæ ei non probarentur, Concilio ibidem redacto, euertere potuiſſet.* Siquidem omninò repugnat, Pontificem, ſi verè de arbitrio in Synodo pro libito exercendo cogitaſſet, locum, *ſponte, ac proprio motu*, pro ea celebranda elegiſſe, vbi, non modò nullam ipſe poteſtatem haberet; ſed in quo Cæſar è contra ſic præpolleret, vt cuncta ibidē *pro arbitrio euertere* inſuper potuiſſet.

Quod multò magis dicendum de Tridento videtur, vbi demùm Synodus celebrata eſt, cum (vt omnes ſciūt, & Rex Catholicus, ex recenſione Polani, dixit pag: 684.) *Cæſar in ea pariter Vrbe ſuperioritatem haberet.* Qua de cauſa difficile viſum fuiſſe addit pag: 296. *poſſe in eam Regem Chriſtianiſſimum, citra Cæſareæ potentiæ ſuſpicionē, induci, quòd locus Cæſari ſubiectus eſſet, eiuſque armis propinquus.*

Eòque certius, quia ex Auctoris ſuppoſitione dicta pag:76. Cæſar Concilium ad Pontificem nominatim cōpeſcendum, ſibi vſui eſſe vellet: Et Pontifex (ex eiuſdem parimodo ſuppoſitione) pag:35. vehementiſſimè timeret, *ne Cæſar, de ditione Eccleſiaſtica occupanda cogitans, poteſtatem Pontificiam in Eccleſia, mediante Concilio, moderari vellet, ſine quo* (vt addit) *temporalem minui impoſſibile eſſe videbat*; quandoquidem, eis in Cæſare aduerſus Pontificem machinationibus ſuppoſitis, & illo, ad cumulum, iuſto timore in Pontifice accedente, mens, aut facultas arbitrij, eis in locis, pro libito exercendi Pontifici indubitanter eſſe non poſſet, vbi idem Cæſar iura dabat, armiſque propinquus, ac potentiſſimus erat. *Qui etiā Cōcilium aduerſus Pontificē ſibi vſui eſſe volebat.*

Præſertim quia, præter hæc, Cæſar, (ex Auctore pag: 58. 303. & alibi) Proteſtantes Concilio intereſſe omninò decreuiſſet, qui legitimam Pontificis poteſtatem, ſic è Synodo eliminatam volebant, vt eum etiam *in numero* *Proteſtātesque omninò intereſſe, eiſque in omnibus ſatisfieri decreuerat.*

 rec-

Digitized by Google

rerum cogi impudentiſſimè inſtarent. Cum etenim Cæſar eiſdem Proteſtantibus in totum ſatisfieri contenderet (vt probabimus, vbi de Principibus agemus:) idque ex eo, quia Germaniam, mediante Concilio, ſibi penitus ſubdere moliretur (vt Polanus itidem refert dicta pag. 76. 303. & alibi) quonam pacto Pontifices (his per Auctorem poſitis) arbitrium, & Mantuæ, & Tridenti ſibi pro libito polliceri vnquam potuiſſent, vbi idem Cæſar, non modò exercebat imperium; ſed Proteſtantes, directos, acerrimoſque Pontificis oppugnatores, adeſſe omninò decreuerat?

Nullamque Pontificis rationē in Concilio habēdā eſſe ſpoponderat.

Et quid clarius, ſi Pontifex Concilium nihilominus Tridenti celebrari voluit, quamuis Cæſar Proteſtantibus (ſi Polano credimus dicta pag. 303.) *nullam in Concilio Pontificis rationem habendam eſſe, ſeque* (vt res ex voto fieret) *præſentem, vel in loco proximiori manſurum, in verbo Imperatoris, & Regis ſolemnique inſuper decreto,* in Comitijs Auguſtanis, publicè ſpopondiſſet? Cum enim vellet filio dignitatem Cæſaream, hæreditario iure, tranſmittere: *eaq; ratione Monarchiam quauis alia* (vt ait) *poſt Romanā, etiam Caroli Magni, ampliorem conſtituere*; quo vnquā pacto Pontifex, vel mentem, vel facultatem Cæſari in eius ditione, ac domo præualendi vnquam habere potuiſſet, qui vaſtiſſimas eas machinationes, nonniſi *mediante* (vt perhibet) *Concilio (cùm armis non poſſet)* aſſequi ſibi propoſuerat? Quod, & de Vicentia patet, vbi nullum Pontifex habuiſſet arbitrium, vt conijci facilè poteſt, quia, tametſi Veneti eam Vrbem pro celebratione Concilij conceſſiſſent, nihilominus illam poſteà denegarint, vt ex hiſtoria pag. 97.

Quare, hiſce Polani ſuppoſitionibus inhærendo, quemadmodum, non ſine leuitate diceretur, mentem arbitrij in Synodo pro libito exercendi eſſe potuiſſe Pontifici, dum, *ſponte, ac proprio motu*, locum pro ea celebranda, eligit, vbi ſibi aduerſi *fortiores* erant; ſic, & non ſine etiam manifeſta perfidia contenderetur, ſenſum non illi religioſiſ-

gioſiſſimum, atque Apoſtolicum reuera fuiſſe, eum, periculis ſibi ex Concilio, æquè *à Cæſare, ac Proteſtantibus* imminentibus, omninò poſthabitis, omnique, pro bono publico, priuatæ ſuæ rei diſcrimine prorſus neglecto, locum nihilominus ſibi ſemper deteriorem (quò Proteſtantibus indulgeret) ſponte elegit, vt Auguſtus Thuanus perhibet in ſuo primo libro dicens: itaque *Concilium primùm Mantuæ à Paulo III. indictum, dein, renuentibus Proteſtantibus, Vicentiam translatum eſt: cum ne in eum quidẽ locum conſentirent Germaniæ Principes, poſtremò Tridenti, quæ Ciuitas eſt in Germania, & Italiæ finibus ſita, celebrando Concilio locus aſſignatus fuit.* Quod ex eo magis conuincit, quia id Pontificem, ad cumulum, feciſſe addat pag. 69. *quamuis certum* (vt enucleatiſſimis verbis ait) *non poſſe ſe ad Concilium cogi, vbi, vel loco, vel quanis alia conditione ſuccubuiſſet.*

Pontifex in gratiã Proteſtantiũ Cõcilium in locum ſibi ſẽper deteriorẽ tranſtulit.

Ex qua loci electione, ſponte, ac proprio motu, per Pontificem facta, cum ex neceſſitate ſequatur, eum, *nec voluiſſe, nec potuiſſe* (etiam ſi voluiſſet) arbitrium in Synodo pro libito exercere, non tàm Actionis, hac in parte, Libertas, quàm Pontificis in re Tridentina, Synceritas, adeò certæ remanent, vt de eis, nec etiam à malignantibus ambigi vllo modo poſſit.

CAPVT II.

PONTIFICEM PRÆLATIS NON FVISSE SVFFVLtum, quorum ſequela, ac numero præualuerit: Patres verò Theológos, & Doctores ſui omninò arbitros extitiſſe.

SVMMARIVM.

Totum ordinem Epiſcopalem in genere; & cuiuſque Nationis Epiſcopos ſeorſum, abalienato à rebus Romanis animo, ad Concilium iuiſſe: ſingulóſque ſui arbitros extitiſſ.; quemadmodum, & Theologos, & Doctores.

Pontificem è contrà ſic à partium ſtudijs abſtinuiſſe, vt nec etiam temporalis ſuæ ditionis Epiſcopos à ſe habere: alioſue ad ſuas partes traducere: vel quotquot apud ſe eſſent, Tridentum mittere, operam dederit. 1

POſt conſiderationem *Loci*, ſequitur expenſio *Perſonarum*, inter quas primas dabimus Prælatis, quòd eorum ſuffragijs cuncta decernerentur. Nam Aduerſarij in eo potiſſimùm omnium ſuarum accuſationum fundamentum conſtituunt, quia Pontifex Tridenti (vbi ex pluralitate ſuffragiorum decernebatur,) adhærentium ſibi Prælatorum numero, ac ſequela cœteris alijs præualens, propoſitionum, deliberationumque omnium auctor, arbiterque fuerit. Quo ſolo commento ſuis omnibus impoſturis fucum facilè faciunt, cum, tot adhærentium ſequela ſuppoſita, ex ſe etiam conſequi videatur, Pontificem cuncta ex arbitrio, nullo negocio, dirigere potuiſſe.

Polanus inſinuaturus, Paulum III. ſub quo primùm Concilum Tridenti celebrari cœpit, ex adhærentibus præpolluiſſe, ait pag. 105. *Pontificem ſuas conditiones potiores fore cenſuiſſe, ſi exordium à paucis, illiſque Italis, Aulicis,*

licis, & à ſe dependentibus fieret, qui primi ab eo illuc impulſi, maturatò adforent. Secundò pag. 129. (loquens de ratione ſuffragia in Concilio reddendi) cum nonnulli ex Prælatis, id, non per capita, ſed per Nationes fieri ſentirent, inquit, Legatos Pontifici ſcripſiſſe, *ea ratione maiorem Italorum numerum, quorum in Sedem Apoſtolicam fides magis probata ſit, nullo vſui fore, quando omnium ſimul iunctorum ſuffragia æqualis, ac paucorum Gallorum, Hiſpanorum, aut Germanorum ponderis futura eſſe deberent:* Tertiò ait pag. 136. *ex Archiepiſcopis tunc temporis in Concilio præſentibus, duos titulares fuiſſe, Vpſalenſem, & Armacanum, qui per Pontificem Romæ aliquot annis eleemoſinis ſuſtentati, Tridentum miſſi fuerant, vt numerum augerent, à Legatorumque nutu penderent:* Quartò, & cum Cæſar (pag. 138.) multis Epiſcopis Hiſpanis, vitæ probitate, ac doctrina conſpicuis ſeſe Tridentum conferre mandaſſet, *Legatos è re eſſe cenſuiſſe, decem, aut duodecim Prælatos illuc per Pontificem mitti, quibus ſua conſilia credere poſſent, aliiſque conditionibus dignos, quò Vltramontanorum, doctrina, ac probitate præſertim excellentium numero creſcente, obiicem aliqua ex parte reperirent:* Quintò, & pag. 114. *Legatos Depoſitarium cum aliqua pecuniarum ſumma, ad ſumptus in dies occurrentes, Epiſcopiſque tenuioribus ſuccurrendis, & alicui exiſtimatione digno gratificandum, conſtitui petiiſſe: tribuſque Epiſcopis quadraginta aureos in ſingulos dediſſe, ad eumque finem pecunias efflagitaſſe.* Vt & pag. 129. & alibi ſcripſiſſe commemorat. Eaque de cauſa Proteſtantes à Concilio abſtinuiſſe demum concludit, *quòd ex ſolis Pontificis addictis conſtaret:* &, in verſione latina, epiſtolam quandam Andreæ Dudithii, Epiſcopi Quinqueeccleſienſis ad Maximilianum Cæſarem appoſuerunt, ex qua dicunt, in ſumma, *Pontificem ſingulis aliis centenos è ſuis opponere potuiſſe.*

Ex quibus, licèt Auctor ſuadere velit, Pontificem, Italis, Aulicis, aliiſque conductitiis, ac dependentibus ſuffultum præualuiſſe; ea tamen eſt vis veritatis, vt, præter

id,

id, quòd totum ordinem Epiſcopalem in genere, & cuiuſque Nationis Epiſcopos ſeorſum Romanis rebus aduerſos conſtituat, ex facto etiam, per ſe relato, inſuper doceat, Pontificem Prælatos adhærentes non habuiſſe, quorum numero, ac ſequela ſuas partes munierit, ſed omnes ſui omninò arbitros extitiſſe; immò ſic à partium ſtudijs alienum fuiſſe, vt nec ſuæ quinetiam temporalis ditionis Epiſcopos (tametſi numero non contemnendos:) aut alios quoſcunque ſequaces habere ſtuduerit.

Totus Ordo Epiſcopalis abalienato à rebus Rom. animo ad Cōcilium iuit.

Totum enim Ordinem Epiſcopalem in genere, Romanis rebus aduerſum conſtituit, apertiſſimis verbis dicens pag. 47. *Pontifex, ex eis offenſionibus, quas Epiſcopi, ob collationes beneficiorum; reſeruationes, & præuentiones, cauſarumque auocationes: & ob diſpenſationum, abſolutionū, aliarumque huiuſmodi cauſarum reſeruationes, à Romana Curia accepiſſe obtendebant (ex quibus magnam ſibi adminiſtrationis partem ademptam, Curiæque tributam querebantur) celebrationem Concilij, non ſine totius auctoritatis Pontificiæ diminutione, fore opinabatur.*

Quæ confirmat, dum omnes Prælatos ea animi diſpoſitione ad Cōciliū iuiſſe perhibet, dicēs pag. 133. & 338. *Prælati magna in auctoritatem Pontificis moliebantur* 226. *omnes in id collimabant, vt auctoritatem Epiſcopalem recuperarent*: Exploratumque fuiſſe (pag. 437.) *Vltramontanos omnes eo conſilio iuiſſe, vt Pontificem Concilio ſubijcerent*: & pag. 454. *Prælatos, dum Tridenti ocioſi ſederent, multas tractationes habuiſſe, quæ omnes in id ſolùm tendebant, vt auctoritatem Epiſcopalem amplificarent, Romanamque deſtruerent*, cum alijs huiuſmodi pluribus, quibus totum Ordinem Epiſcopalem, in genere, animo penitùs à Pontifice, ac Romana Curia abalienato fuiſſe deſcribit.

Et cuiuſque Nationis Epiſcopi.

Queamdmodum, & cuiuſq; Nationis Epiſcopos, ſeorſum in id tendiſſe contendit, vt, *ex declaratione Reſidentiæ, & Inſtitutionis Epiſcoporum de Iure Diuino, ſeſe Pontifici pares facerent: auctoritatem Pontificiam in ordinem redigerent: Sedemque Apoſtolicam Concilijs, Canonibuſque ſub-*

ijce-

geerent: & plurima huiuſmodi meditarentur, vt Auctor teſtatur, de Cæſareis, & Hiſpanis pag. 133. 214. 227. 253. 362. 449. 486. 487. 489. 542. 572. 585. & paſſim per totam Hiſtoriam: & iterum de Cæſareis Hungaris, & Polonis pag. 571. de Luſitanis pag. 432. de Gallis pag. 134. 136 433. 449. 501. 541. 542. 565. 572. 584. 587. 600. 609. 611. 616. & paſſim vbique: & de Italis itidem pag. 593. 693. & alibi pluries, vt fuſiùs mox adnotabimus.

Ex qua Prælatorum omnium à Romanis rebus auerſione, ac repugnantia, quamuis eorum à Pontifice independentia irrefragrabilis, ac certa reſultet: eam tamen, ad primarium hoc aduerſariorum fundamentum penitùs euertendum; in ſingulis etiam Prælatis, ad cumulum, oſtendemus, euidentiſſimum faciendo, Pontificem, eiuſque Legatos, vel ex omnium ad vnum, vel ex plurium contradictione, ac refragatione, perpetuò, in omnibus Synodi reductionibus, ſuccubuiſſe, nulloſque idcircò ſequaces, aut adhærentes eis reuera fuiſſe, quorum numero, ac ſequela ſuas partes munierit. Quod vt certum ſit, id, in ijs potiſſimùm patefaciemus, quæ & re, & voto Pontificis, Legatorumque fuiſſe auctor ſupponit, cum ex his ad alia neceſſaria ſit proculdubiò illatio. *Eique nemo ſingulariter adhæſit, ſed omnes ſui Iuris fuerunt.*

Et ab Actionis exordio ſub Pablo III. incipientes, propoſitò per Epiſcopum Aſtruicenſem pag. 125. *vt Legati Breue legationis, & præſidentiæ exhiberent, ac publicè legeretur*: & è contra, Legatus Sanctæ Crucis renueret, quòd (vt addit 126.) *vereretur, ne certis limitibus libera eorum poteſtas coerceretur*; vbi nam quæſo, erant *Itali*, & *Aulici* per Pontificem à principio, tanta celeritate, impulſi, & *alij dependentes*, & *conductitij*, ſi, non ſolùm (vt præciſiſſimis verbis ait) *ea petitio à tota ferè Congregatione, etiam priuata cuiuſque flagitatione probata fuit*; ſed Legatos ipſos Pontifici ſcripſiſſe addit 129. *perſpectum in Congregatione fuiſſe, omnes iunctim Prælatos in earum facultatum exhibitione perſtitiſſe, idque eis multa arte euitandum fuiſſe* An enim qui ex cōpoſito miſſi fuiſſent, vt Romanis partibus adeſſent, *Probatur in prima Synodi reductione ſub Paulo III.*

ſent, à nutuque Legatorum penderent, in re tanti pro Præſidentia momenti, *& iunctim & ſingillatim perſtitiſſent* vnquam; præſertim poſtquam Legatos renuentes vidiſſent? Vel ſic *de ſuarum facultatum moderatione* timere potuiſſent Legati, ſi ex tot adhærentibus, reuera ſuffulti fuiſſent?

Pag. verò 134. Petentibus Gallis, vt *Synodi titulo verba, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, adderentur*: qua de cauſa Legatos veritos fuiſſe addit, *ne ſequentia itidem ſubÿci inſtarent, nempe poteſtatem à Chriſto habens, cui quilibet, etiam ſi Papalis dignitatis exiſtat, obedire tenetur*; vbi itidē erant *Itali, Aulici & conductitÿ*: aliÿque à Pontifice *depēdentes*, ſi *motus ille* (vt ait) *vniuerſalis fuit*: *& magna Epiſcoporum pars opinioni illi, vniuerſali aſſenſione, adhęſit; cunctiſque probata fuit*. Cum enim per ea verba, *de Pontifice Concilio ſubÿciendo* cogitatum fuiſſe velit; an qui Romanis partibus nomen dediſſent, in opinionem tanti, pro re Pontificia, periculi vnquam iuiſſent? In quam cum omnes iuiſſe doceat, ſubdens 137. *illos etiam, qui ſimplici tituli expreſſioni aſſenſum in ſeſſione præbuerant, ea verba nihilominus adÿci ſenſiſſe*, omnium etiam ad vnum independentiam manifeſtiſſimam facit.

Contendentibus poſteà Legatis pag. 140. vt, *reformatione omnino poſthabita, de ſolis fidei dogmatibus ageretur*, cū dicat, *ab omnibus, duobus ſolùm exceptis, ſtatutum fuiſſe, vt vnà ſimul religionis, ac reformationis articuli tractarentur*, ne vnum itidem à Legatis conſtituit. Nam, cum *reformationem in omnium vniuerſaliter votis fuiſſe* addat; nec illos etiam duos, quos excipit, à Legatis eſſe potuiſſe conſequitur.

Cumque Legatos, *& per ſe ipſos, & priuatim per adhærentes officÿs acriter obſtitiſſe*, ſubdat, *quòd ad ſolius reformationis tractationem adigi vererentur*; quid pari modo certius, ſi, nec tot eis etiam officÿs, prehenſationibuſque adhibitis, (vt auctor ſupponit) ne vnum quidem ad ſuas partes traducere attamen potuerunt, cum ne vnus quidē

de

de ſolis dogmatibus agi cenſuerit, vt Legatos contendiſſe ſupponit?

Ex quo alia quoque detegitur impoſtura. *Nam ſi omnes ad vnum, nemine prorſus excepto*, adeo acriter repugnarunt, vt ne vnus quidem (quamuis etiam adhibitis officijs) *Legatorum partibus* adhærere voluerit; quinam ergo erant adhærentes illi, per quos officijs apud alios egiſſe dixit? An non enim illos, vt minimùm, ſuffragatores, vel non contradictores ſaltem habuiſſent, per quos officia illa facta dicuntur?

Pag. 162. & 164. in tractatione de priuilegijs Regularibus per Sedem Apoſtolicam conceſſis, *omnes parimodo vnanimes ea abrogari ſenſiſſe* refert. Sed, cum pag. 215. velit, Regulares, ea de cauſa, immunitate à Sede Apoſtolica donatos fuiſſe, *vt auctoritati concedentis ſuſtinendæ eſſent addicti: & priuilegijs, indultiſque Apoſtolicis abrogatis, ac nemine idcircò amplius à Pontifice, ſed à ſolis Epiſcopis dependente, omnis illicò Romana Curia adeundæ ratio ceſſaſſet*, vt addit pag. 165. nonne, in tanto rei Pontificiæ diſcrimine, & Aulici, & conductitij, & quotquot à Pontifice fuiſſent, ſeſe conſpiciendos dediſſent?

Eoque magis, quia, vt ſubdit eadem pag. 165. *exemptiones adimere manifeſta fuiſſet Romanæ Curiæ depreſſio*; & Epiſcopi, qui eam abrogationem vrgebant, *nil magis* (vt ait) *animo agitarent, quàm vt in ſuis diœceſibus ſeſe pares Pontifici facerent.* Cum enim de toto propemodùm aſſe ageretur, cuinam maiori neceſſitati ſuam operam reſeruaſſent, ſi ibidem reuera Aulici, & dependentes fuiſſent?

Et vbi etiam adhærentes erant, ſi in eam poſtmodum *opinionem concurrentibus Patribus* (pag. 186.) *vt reſidentiā præcipi, & exemptiones, quibus impediebatur abrogari neceſſe eſſet, Legati* (vt præciſiſſimis verbis inquit) *vtrique deliberationi aſſentiri coacti fuerunt*? Quod enim erat Legatorum, ex adhærentibus, arbitrium, ſi ad deliberationes, etiam *contra exemptiones Apoſtolicas*, cogebantur inuiti?

Et, ſi (pag. 247.) cum de *Diſpenſationibus*, *Commendis*, *Vnionibuſque beneficiorum ageretur*, *omnes itidem vnanimes ea abrogari ſenſerunt?* cum enim auctor pag. 18. *rem beneficiariam ingens Romanæ magnitudinis fundamentum* appellet; quænam erat Prælatorum à Pontifice dependentia, ſi, cum de libera Pontificis auctoritate in re beneficiaria agebatur, quæ tanti pro Romana Curia momenti erat, *omnes vnanimes aduerſi fuerunt?*

Præſertim quia, cum nil magis ſibi polliceri poſſent à Pontifice, quàm beneficia Eccleſiaſtica, auctoritatem, ea in re, Pontificis tuendo, non minus propriam, quàm Romanam cauſam egiſſent.

Adnitentibus quoque pag. 248. legatis, vt reformatio Pontifici permitteretur, id, *nulla attamen ratione*, *Patribus obſiſtentibus*, *obtineri potuiſſe* perhibet: Cum enim ſubdat pag. 253. *animaduertiſſe Pontificem*, *quàm eius paruipendiſſent auctoritatem*, *quia cum Synodus reformationis ſibi permittendæ ſpem dediſſet*, *ipſeque*, *eam ad ſe aduocando*, *iam diploma feciſſet*, *de illa poſtmodum*, *omni eius poſthabita reuerentia*, *acrius nihilominus actum eſſet*, proculdubiò confirmat; tum nullas in Concilio Pontificis, legatorumque vires extitiſſe; tum eam in deliberationibus patribus libertatem fuiſſe, qua nec ipſi quinetiam Pontifici quicquam prorſus deferrent.

Et, ſi ex adhærentibus arbitri reuera fuiſſent, quorſum nam perpetuæ illæ Pontificis, Romanæque Curiæ trepidationes, difficultates, & pericula, ob euentus, & incerta Synodi, quæ auctor in hiſtoria congerit? Si, ex ipſius namque recenſione pag. 560. *ad reformationis decretum ſtatuendum*, *maior ſuffragiorum numerus ſat erat*, *& decretũ fidei*, *aliqua notabili parte contradicente*, *firmari non poterat*; nulla etiam Romæ, ob res Synodi, timendi cauſa eſſe potuiſſet. Et nihilominus, præter ea, quæ hucuſque notauimus, pag. 143. *Romanam Curiam ad reformationis nomen vehementiſſimè trepidaſſe* inquit; pag. 144. Legati Ponti-

fici

Digitized by Google

ſici ſcripſerunt, *ſeſe impoſterum opponere, & qui Synodi titulum cum Eccleſiæ Vniuerſalis additamento vrgebant, ſuperare difficile foret:* 248. non modò eundem Pontificem, ob ſpem reformationis ſibi per Synodum permittendæ conceptam, exultantem fingit, ſed cum tota Curia anxiè quinetiam ſpectantem inducit, *quò nam tandem Prælatorum conatus, & conſilia euaſura eſſent, quòd quammaximè vereretur* (vt ait) *ne quid monſtri Synodus in ſui, auctoritatiſque Pontificiæ perniciem pareret*, cum alijs huiuſmodi pluribus, quæ ſingillatim adnotare opus non eſt; quandoquidem pag.255. Cardinali Sanctacrucio conſulente, *vt Prælatorum coniunctorum animos delinirent, illis aliqua ex eis concedendo. quæ petebant, è contra Cardinalem à Monte ex eo renuiſſe* referat, *quòd inferiori annuere* (*ſed potiſſimùm multitudini*) *nil aliud eſſe dicere; quàm eis ad alia animos addere;* cum ex his Polanus apertiſſimè fateatur, *Prælatos in Pontificem iunctos multitudinem fuiſſe*, nec proinde potuiſſe, multitudine ſibi, in tam exiguo numero, aduerſante, ex adhærentibus præualere, cum in illa reductione, 60. ad ſummum interfuiſſe dicat pag.258. Præſertim, quia Montem addidiſſe ſubdat; *velle ſe beneuolorum prius voluntatem explorare*, &c, *ſi numero præualere comperiſſet, ne quidem greſſum regreſſurus eſſet; Sin minus, prudentia vſurus.* Quæ namque Prælatorum adhærentia erat, ſi, nec de ipſorum *ſequela*, *nec de numero* certi erant; & de eorum immò *voluntate dubitabant*? &, ſi (vt apertiſſimè ait) non in eorum ſequela, aut adhærentia, ſed in ſola ipſorum tantummodò *beneuolentia* fidebant? An enim Cardinalis de eorum ſequela, ac numero incertus eſſe; deq; eorum maximè voluntate dubitare vnquam potuiſſet, ſi à legatorum verè nutibus dependiſſent?

Cumque ergo, ex perpetua Prælatorum omnium, quã probauimus contradictione, luce clarius pateat, in prima Syodi reductione ſub Paulo III. nullos Pontifici adhærentes reuera fuiſſe, ſtipendiariorum etiam calumnia à fun-

damentis corruit. Nam hi proculdubiò perpetuò vniformes, ac ſtabiles, in qualibet tractatione à Pontifice apparuiſſent. Quod commentum, Polanus, ex eo inſuper detegit, quia, cum pag. 149. Epiſcopus Bitontinus, qui in Concilio erat, Romæ coram Auditore Cameræ pro penſionibus non ſolutis cenſurarum comminationibus vrgeretur, ſibique indigenti aliunde ſuccurrendum eſſe quereretur, præciſis verbis dicat, *Prælatos inopes*, nimirũ Italos (quos pag. 296. *inopes* vocat) *Bitontino, veluti in cauſa communi adfuiſſe*. Nam ſi cauſa Bitontini (qui ſibi non ſuccurri querebatur) alijs omnibus Italis communis erat) qui ſoli ſtipendio indigebant; in quos ergo diſtributiones illæ erogatæ fuerant, quas pluries ante factas fuiſſe dixit?

Quam impoſturam ex eo etiam à fundamentis *euertit, quòd ibidem ſubdat nonnullos ex eis elata voce dixiſſe, nonniſi ingenti Concilij dedecore permitti, Prælatum in Concilio degentem cenſuris per Officialem Romanæ Curiæ premi, cum indè gentes occaſionem de Synodi libertate obloquendi poſſent arripere; ex eiuſque Conſeſſus dignitate foret, Auditori Cameræ diem Tridenti dicere, vel aliqua in eum animaduerſione, indemnitati dignitatis Concilij conſulere: alioſq; non ſolùm verba de penſionum impoſitione damnanda feciſſe, ſed id vnum ex capitibus reformationis eſſe dixiſſe, per Synodum agitandæ;* cum omninò repugnet, illos Prælatos ſtipendium in eam cauſam nominatim à Pontifice accepiſſe, vt indemnitati Romanæ conſulerent, & ipſi è contra Pontificem, Romanamque Curiam adeò acriter impeterent, quò ſoli Bitõtino fauerent, vt non vererentur, ea etiam in medium afferre, quibus Pontifex Concilio ſubijceretur.

Quare, ſi Pontifex manus adiutrices indigentibus forſan, de benignitate Apoſtolica, porrexit; cum id, non ad eorum, vel voluntatem ſibi conciliandam, vel ſuffragia captanda factum fuiſſe, ex eo certiſſimè aſſumatur, quòd *omnes ad vnum, nemine prorſus excepto* (vt probauimus)

rem

rem Pontificiam, Romanamque perpetuò acriter oppugnauerint, ea etiam, non ſtipendia, aut mercedem, *ſed charitatiua po ius capitis Concilij officia* verè fuiſſe, neceſſariò dicendum videtur, vt idem met quoque Auctor ea pariter appellat pag. 130: & hæc de prima Synodi reductione ſub Paulo III.

Et in ſecunda reductione ſub Iulio III.

At in ſecunda ſub Iulio III. non eſt quod laboremus: quia (vt pag. 310. auctor ingenuè fatetur) *licèt maximè cordi Pontifici eſſet, Concilium aperiri; tamen, vel quia totus in bello Mirandulano eſſet, quod eo tempore flagrabat, vel quia nil ea penſi haberet, haud admodum de Prælatis illuc mittendis ſollicitus fuit.* Vnde ſubijcit, *omnem operam Cæſaris fuiſſe, qui primùm Electores Moguntinum, & Treuerenſem, demùmque Colonienſem, & quinque è primoribus Epiſcopis, multorumque impeditorum procuratores Tridentum impulit: cum, & nonnullos ex Hiſpania, præter eos, qui Tridenti, & per Italiam otioſi conſederant; & ex ſuis Italiæ ditionibus illuc adegiſſet.* Cum ſiquidem aſſeuerantiſſimis verbis affirmet, *præter hos admodum paucos interfuiſſe*, proculdubiò Pontifici, neque in hac pariter ſecunda Synodi reductione, dependentes fuiſſe, aut habere voluiſſe, aut potuiſſe, certiſſimum eſt.

Quod patet etiam ex Auguſto Thuano, in ſuo libro nono dicente, *ita diſſolutus Concilij conuentus fuit, in quo, præter Legatos Pontificios, & Cardinalem Tridentinum, numerati ſunt Epiſcopi LXII. & ex ijs Germani 8. Hiſpani 25. Sardi duo, Siculi quatuor, Hungarus vnus Agrienſis, reliqui Itali.* Cum namq; Germani, Hiſpani, Sardi, Siculi, & Hungarus à Cæſare miſſi eſſent, quemadmodum, & Itali ſuarum ditionum (vt inquit Polanus) quos omnes (pag. 161. & alibi) *in diſpoſitione Cæſaris* conſtituit, profectò, nulli, aut admodum pauci à Pontifice, in ea reductione, eſſe potuerunt; quemadmodum, & idem auctor in ijs, quæ è re Pontificis fuiſſe commemorat, aperit ex facto ipſo.

Pag. enim 329. cum de Commiſſionibus Pontificijs mode-

moderandis ageretur, ob quas Epiſcopi adeſſe inferioriſque ordinis perſonis ſubijci cogebantur; *in eam rem omnium adeò vota exarſiſſe* teſtatur, *vt legatus aſſentiri cogeretur, tametſi nulla et Epiſcoporum probaretur amplificatio, quòd quæcunque eis concedantur Pontifici ſint ablata.*

Et pag. 359. Oratores Saxones admiſſos fuiſſe, & aliqua inſuper auctoritati Apoſtolicæ grauia obtinuiſſe refert, quamuis etiam Præſidentiam agnoſcere noluiſſet. Cum ſiquidem ſupponat, Præſidentes non alia eos conditione admittere expreſsè in mandatis à Pontifice habuiſſe, quàm *vt Præſidentiam in primis agnoſcerent:* addatque immò pag. 356. *Prælatos omnes in eam deliberationem iuiſſe, immobili ſemper* (vt præciſiſſimis verbis addit) *legato, &, nonniſi neceſſitate coactum, acquieſcere apertiſſimè oſtendente*; quæ maior in eis, vel plenitudinis arbitrij, vel à Pontifice independentiæ certitudo? Et hæc de ſecunda reductione ſub Iulio III.

Et in tertia itidẽ reduct. ſub Pio IV.

Sed quod pertinet ad tertiam ſub Pio IV. in qua auctor, Oratorum Gallorum ore, pari malignitate pronunciat pag. 493 *Pontifici quadraginta fuiſſe, quorum alijs* 30. *alijs verò* 40. *aureorum ſtipendium menſtruatim penderet*: & pag. 527. *ob ſtipendiarios, & deuotos propoſitionum, deliberationumque arbitrum fuiſſe*: & per Epiſcopos Hiſpanos pag. 535., *Concilium, Italis præualentibus, libertate caruiſſe, quòd alij eorum penſionibus pollicitationibus alij, minus verò corrupti timore Pontifici adhærerent* facilè conuincitur impoſtura.

Quonam pacto enim Itali omnes adhærebant Pontifici, vel, ob ſtipendiarios, & deuotos, propoſitionum, deliberationumque auctor, arbiterque erat, ſi & eundem Pontificem, & Romanam Curiam, ob incerta Synodi, in timore, & pauore perpetuò conſtituit? Enucleatiſſimis enim verbis ait pag. 487. *Pontificem animum penitus deſpondiſſe, quòd videret nouitates illas in id ſolùm tendere, vt omnes Pontifices, vel nemo Pontifex eſſet, officijſque Cancel-*

lariæ

laria emolumenta adimeretur, eiſque iam (vt ſubdit) *Romana Ciuitas Prælatis vacua, omnique eminentia, ac prærogatiua penitus deſtituta ob oculos obuerſabatur: timebantq; Roma* (564.) *ne in contentionem auctoritas Pontificis vocaretur:* 556. ne *Hiſpani, aliíque reformationis fautores de rebus magni ponderis agerent*: 569. 600. & alibi, *ob acceſſum Gallorum*; & pag. itidem 585. 586. 587. 608. 611. 617. 681. & paſſim vbique, ob alia etiam grauiſſima, quę ſingillatim recenſere nimiæ prolixitatis eſſet.

Et quorſum illa vehemens in Pontifice anxietas, quam pag. 502. & 587. ſupponit, *cum non poſſet, & Reſidentiæ, & electionis Pontificis tractationes euertere*? & cum pag. 535. *Legati, & adhærentes Hiſpanos ſuperare impoſſibile eſſe* certò (vt ait) *exploraſſent*? & ea officia, quibus, *ad differẽtias tollendas* cum eiſdem Hiſpanis pag. 591. 593. 617. & alibi pluries, laboraſſe commemorat? Cur tot enim laboribus, & anxietatibus angi, vel tot eis machinationibus, quas Pontificijs in ſua Hiſtoria fuſiſſimè aſcribunt, adniti, vt ex ſententia res caderent, ſi ex ſolo Italorum numero, & ſequela cœteris alijs omnibus præpollentes, nunquam ſuccumbere poſſe certi fuiſſent?

Nominatim verò Italorum adhærentiam commentum eſſe Polani conuincitur. Primùm, quia dicat pag. 489. *Pontificem cum Oratoribus Veneto, & Florentino egiſſe, quò eorum Principes res Pontificatus ſuis Tridenti Oratoribus commendatas vellent, operam adhibendo, ne ſuarum ditionum Prælati ſeſe tractationibus in Sedem Apoſtolicam immiſcerẽt, nec adeò acres in Reſidentiæ negocio eſſent.*

Secundò, quia pag. 542. Gallis, Hiſpaniſque Pontificiam poteſtatem *limitibus circumſcribere, & Canonibus, Concilijſque ſubijcere adnitentibus* (vt ait) præciſiſſimis verbis dicat *magnam Italorum partem eis adhæſuram fuiſſe.* Nam non ergo Itali Pontifici adhærebant, ſi auctoritatẽ Pontificiam adeò acriter oppugnabant, vt Pontifici cum Principibus Italis laborandum eſſet, ne ſeſe tractationibus

bus in Sedem Apoſtolicam immiſcerent.

Tertiò, quia in ijs, quæ è re, & voto Pontificis, Legatorumque fuiſſe auctor ſupponit, vel ex omnium ad vnũ: vel ex maioris partis contradictione ſuccubuerint. Quonam pacto enim ſuccumbere potuiſſent, ſi Itali omnes, qui cœteros alios numero ſuperabant, eorum verè partibus adhæſiſſent?

Vt enim aliqua ex pluribus adnotemus, pag. 534. cum Archiepiſcopus Lanciani, ſola (vt ait) Anathematiſmata vulgari, caputque doctrinæ penitus omitti ſentiret, quòd celerem tunc temporis Synodi expeditionem exigi affirmaret, verbiſque optimè à Legatis, Pontificijſque perceptis, ea ratione ſatis Pontificis deſiderio factum iri innueret, nihilominus, *re diebus ſequentibus* (vt addit) *ſedulò agitata, maiorem partem ordinis incæpti proſecutionem probaſſe*, ait.

Et Pontifice (ob ea, quæ pag. 515. & 550. recenſet) communionem calicis omninò laicis denegandam eſſe cenſente, Pontificij tamen (quamuis etiam Hiſpanis, Venetiſque iuncti, qui omnes idem pariter ſentiebant) *negatiuam ſtatuere non potuerunt*; Quemadmodum, & iterum cupientibus Legatis pag. 551. ſatis in hoc eodem articulo Cæſari facere, *de re in Pontificem reijcienda, ob id ſolùm agere decreuiſſe* ſubdit, *quòd quanam ratione id in Synodo (negatiua præualente) fieri poſſet, non appareret.* Nam, ſicut prius negatiuam (tametſi Hiſpanis, Venetiſque iuncti,), ſic nec poſtmodum affirmatiuam ſtatuere potuerunt, quamuis alij inſuper quinquaginta (vt addit 543.) ab ea ſententia eſſent.

Ad difficultates verò in articulo reſidentiæ tollendas, cum pag. 605. quatuor conſilia proponerent, nihilominus obiectum fuiſſe inquit, *an Prælati aſſenſuri eſſent.* Et cum Cardinalis Lotharingius 713. quædam capita omitti conſuleret (quæ Pontificem præteriri ſummopere cupijſſe ſupponit;) dubium itidem remanſiſſe ſubdit 714. *an res*

ad

ad exitum perduci poſſet, ex quo ea capita non omitti, ſed declarari, à non exigua Prælatorum manu exigi potuiſſet.

Et quid certius, ſi, Lotharingio, Legatiſque Apoſtolicis concurrentibus, non ſolùm ait 680. *Cardinalem Madruccium; eumque Prelatorum numerum eius opinioni adhæſiſſe, vt preualuerit*; ſed inſuper addit, *Lotharingium locum vniuerſalem aſſenſum tanta ſui exiſtimatione obtinuiſſet, magnum Pontificijs intuliſſe timorem, quòd rem, non tàm Legatorum dedecori aſcripſerint, quàm quia aditum contra decretum, quòd ſoli Legati proponant, factum eſſe cenſerent?*

Quam omnium ad vnum contradictionem tandē perſpectiſſimam facit, non tàm quia propoſito pag. 714. vt ad Epiſcopatum promouendi examini ſubijcerentur, & Pontificij caput illud præteriri contenderent, quòd ex eo Pontificis auctoritas minueretur, *non tamen omiſſum, ſed, ob acerrimam contradictionē, communi omnium conſenſione, ad futuram ſeſſionem reiectum fuiſſe* teſtetur; verum quia pag. 731. *propenſionem ferè communem fuiſſe* perhibeat, *vt cum nemine à prohibitis, niſi vrgentiſſima de cauſa diſpenſaretur*: Quæ communis Prælatorum propenſio, eò magis omnium, ſingulorumque à Pontifice independentiā euincit, quòd Patres in eam ſententiam communiter iuiſſe ſubdat, *quò ſeſe pares Pontifici facerent, nèue Sedem Apoſtolicam recognoſcerent.*

Ex qua perpetua, vel omnium ad vnum, vel maioris partis, in rebus tanti ponderis, contradictione, ac repugnantia ita illæ Italorū, adhærentium, ſtipendiariorumque phalanges euaneſcunt, vt neceſſariò dicendum ſit, Pontificem, nec etiam temporalis ſuæ ditionis Epiſcopos à ſe habuiſſe.

Et quodnam illud erat in Pontifice, ex deuotis, conductitijs, Italiſque arbitrium, ſi, legatis pag. 718. Expeditionem Synodi vrgentibus, *ſeſſionem ſtatuto tēpore haberi impoſſibile fuiſſet* (vt ait) *ni Cardinalis Lotharingius rem cum Patribus, ſua dexteritate, compoſuiſſet?* Et, ſi, eiſdem

Legatis cupientibus (pag. 742.) Reformationem Principum omitti, *à publicis, priuatiſq; Prælatorum reclamationibus timuerunt*? & Prælatos id animaduertentes, non modò *vltrà pregredi noluiſſe, ſed in ipſos quinetiam Legatos proteſtatos eſſe ab actionibuſq; vnanimes*, eo potiſſimùm tẽpore, abſtinuiſſe addit, quo Pontifex celerem Synodi expeditionem vrgebat? Eoque certius, ſi, ob Prælatorum (vt addit) oppoſitiones, diſſenſioneſque abſoluendi Cõcilij difficultate percepta, non ſolùm fiduciam omnem in *vno tantùm Lotharingio poſuit*; ſed in eam inſuper animi conſternationem venit, *vt de Synodo etiam diſſoluenda ſtatuerit*: Et Legati (pag. 751.) *ad aſſumendas Congregationes per Patres omiſſas, Reformationemque tractandam, reformationem Principum, Prælatorum ſeditione coacti*, contra fidem Oratoribus datam, exhibere compulſi fuerunt?

De qua demum Italorum independentia omnem à radicibus difficultatem euellit, quòd in articulis præſertim Inſtitutionis, & Reſidentiæ Epiſcoporum, Italos nominatim à Pontifice non fuiſſe, eiuſque immò partes acerrimè oppugnaſſe teſtetur. Cum eis ſiquidem articulis de Iure diuino prolatis, de Pontificatu, ac Romana Curia actum fore creditum fuiſſe dixerit, ob ea, quæ pag. 214. 593. & alibi retulit; an non adhærentes ſuam fidem Pontifici tanto in diſcrimine, probaſſent? Et nihilominus in Inſtitutionis articulo, cum dicat pag. 593. Legatos, tametſi *occurrere non deſtitiſſent, ne ſeſe maior Italorum numerus Hiſpanis adiungeret* (qui declarationem de Iure diuino vrgebant) *omni tamen in irritum cedẽte conatu, efficere non potuerunt, quin dimidia eorum ferè pars in eam opinionem iret*, neminem profectò ex Italis Pontifici adhæſiſſe docet, cum ſeſe omnes, vel re ipſa Hiſpanis adiunxerint; vel ſeſe eis adiungere parati eſſent, & partes immò Pontificias ſic acriter oppugnauerint, vt ab Hiſpanis, nec etiam Legatorum officijs diuelli potuerint.

Vt quoque aperit in Reſidentia, ſi (vt narrat 693.)

Car-

Digitized by Google

Cardinalis Lotharingius dixit, neceſſe eſſe Reſidentiam declarari, quòd Cæſar, omneſque ferè Prælati (nonnullis Italis exceptis) in ea ſententia eſſent. Nam Italos nominatim (paucis tantùm exceptis) in ea ſententia ponit. In quo eos certius Pontifici aduerſos fuiſſe aperit, quòd eam declarationem, requiſitam fuiſſe ſubdat, *ne Pontifex diſpẽſare poſſet*;& quia etiam omnes Italos in illo articulo à Pontifice diſcrepaſſe confirmet, ibidem addens, *validis idcircò cum Italis prenſationibus actum fuiſſe, ne declaranda Reſidẽtia decretum reciperetur*, cum non aliud dicant illæ cum omnibus Italis prenſationes, & officia, quàm neminem prorſus ex Italis à Pontifice fuiſſe. Si enim cum eo ſenſiſſent, eiuſque partibus nomen verè dediſſent; an opus vnquam fuiſſet officijs, ac prenſationibus, illiſque inſuper *validis* (vt ait) laborare, ne Pontifici aduerſi eſſent, quando cum dependentibus, addictiſque ſoli nutus ſatis, ſuperque fuiſſent? Et ſi forſan diceretur, Prælatos in his, alijſque articulis, in quibus de propria ipſorum re, atque vtilitate agebatur, cauſam propriam agendo, Pontifici non adhæſiſſe, eorum magis à Pontifice independentia detegeretur. Nam cum ea eſſent, in quibus de ſumma rerum pro Pontifice, ac Romana Curia agebatur; profectò ſi nèc in his, nèc in alijs, quæ è re, & voto Pontificis, Legatorumque fuerunt, eorum partibus non adhæſerunt (vt probauimus) in quo ergo Pontifici adhærebant?

Et quæ itidem maior probatio, ſi Legati, ad ſola tantummodò *Italorum ſuffragia captanda, peculiares Congregationes* habebant, vt auctor pag.736. grauiſſimo Oratoris Catholici teſtimonio fatetur? Cum enim dependentes ſolis nutibus obediant, an Legatis opus fuiſſet cum Italis, ad eorum ſuffragia captanda, ſic laborare, vt in eum ſolùm finem peculiares Congregationes habendæ eſſent, ſi verè penſionibus, ſtipendijs, pollicitationibus, aut timore ſeſe Pontificis ſubieciſſent arbitrijs? Quod cum

in fine Synodi contigiſſe affirmet, perpetuam etiam Italorum à Pontifice, durante Concilio, independentiã probat, & calumniam ideò, quam Prælatorum Hiſpanorum ore obtrudere voluit, ſola Hiſpanici Oratoris fide à fundamentis euertit.

Ex auctoris uidẽ contradictionibus. Præter hæc huiuſmodi adhærentium ſtipendiariorumque obiectio, quam ore Gallorum, Hiſpanorumque protulit, manifeſtiſſimis contradictionibus profligatur. Primum enim eos ſibi contradicentes facit, cum Gallos pag. 643. querentes inducit, *ſuffragia per Secretarium haud integra fide recenſeri, cum inde fieri dicerent, vt pars minor, maior in actis appareret, quodque communi omnium ſuffragatione decretum eſſet, ſancitum minimè haberetur.* Si namque *pars maior, vel communis conſenſio* erat in Pontificios, in quos accuſatio illa ferebatur, quonam pacto *Itali omnes Pontifici adhærebant, vel ob deuotos ſtipendiariosq; prævalebat*, eorumve ope, *propoſitionum, deliberationumq; arbiter erat*, vt eorundemmet Gallorum, Hiſpanorumque ore protulit?

Secundò ſibi contradicit, quòd pag. 642. *Quinqueccleſienſem, Oratorẽ Cæſaris, de Italorum conſpiratione eidẽ Cæſari retuliſſe* referat. Si namque Itali omnes in fauorem Pontificis conſpiraſſent, (vt etiam Hiſpanorum ore dixit) vtique, nec *maior pars*, nec *communis conſẽſio* in Pontificẽ eſſe potuiſſet, vt Gallorum ore obiecit.

Tertiò, eos ſibi contradicentes facit, ſi, vt iterum Hiſpanorum ore pronunciat pag. 535. *duæ Prælatorum partes definitionẽ Reſidentiæ deſiderabant.* At enim, ſi duæ Prælatorum partes definitionem illam voluiſſent, à qua Curiã abhorruiſſe dixit; non ergo *Itali omnes* (qui partem maiorem in Concilio conſtituebant) Pontifici adhærebant.

Quartò ſibi contradicit, poſtmodum ſubdẽs ead. pag. 535. Pontificem, hoc eodem tempore, *periculis auctoritati ſuæ, ob difficultates, & confuſiones Tridẽtinas, imminẽtibus expẽſis, rem armis tuẽdam eſſe deliberaſſe, atq; idcircò milites collegiſſe.* Qua ſiquidem veritate, vel quo pacto

eius

eius auctoritas periclitari vnquam in Synodo potuiſſet, ſi reuera *Italos omnes* à ſe habuiſſet?

Sibique demum contradicit, huiuſque Italorum adhærentiæ impoſturam à fundamẽtis euertit, referens 501. Pontificem, *ob res Concilij, in Cardinales, & Prælatos, qui Tridẽti erant, procaciter inuectum eſſe.* Siquidem, cum addat, *id ab eo factum fuiſſe, non quia impotens linguæ eſſet, ſed vt cunctos ad ſeſe, partim timore partim verecundia, alios verò ex officioſa vrbanitate, apud ſe purgandos cogeret; eaque ratione admirabiliter profeciſſe, animoſque aſſumendo, in ſpem erectum dixiſſe, tametſi ſibi omnes iunctim aduerſarẽtur, cunctos tamen ad ſuas tandem partes traducturus eſſet;* enucleatiſſimis etiam verbis (velit nolit) fatetur, non ſolùm neminem ex Italis, ſed nec etiam ex temporalis ſuæ ditionis Epiſcopis, à ſe habuiſſe, ſi verè omnes in Pontificem iuncti erant, vt ait.

Sed, ſi Pontifex, vt patet, nec etiam temporalis ſuæ ditionis Prælatos, nedum Italos omnes adhærentes habuit, nonniſi etiam malignè dicere potuit pag. 297. Cardinalem Creſcentium; cum Romæ de periculis ex Synodo præcauendis ageretur, conſuluiſſe, *vt multos è Patribus, ac præcipuè Italos, ſibi officijs, ſpe, cæteriſq; conſuetis alijs rationibus beneuolos redderẽt*: & pag. 123. Paulum III. optimè idcircò nouiſſe, *Epiſcopos haud quaquam ſibi, ac Sedi Apoſtolicæ propitios fore in Concilio, ſi quæ ipſorum eſſent, alijs tribuerẽt: & malè cum Neapolitanis actum iri, quibus graue nimium eſſet, decimis, ſumptibuſq; ſimul in Synodo premi*: & pag. 416. Pium IV. circa *Cleri ſubſidia, per Regẽ Catholicum poſtulata, multa obieciſſe, vt eiuſdẽ Cleri commodis, quoad eius fieri poſſet, conſuleret, ne eos in Synodo infenſos haberet.* Galliſque aduenientibus, *optimum remedium Romæ exiſtimatum fuiſſe* pag. 601. *Prælatos beneuolos, coniunctos, ædificatos, ſatis factioſq; tenere, quia (tametſi aduerſæ partis ſuffragia creſcerẽt) ipſi tamen ſemper numero præpolluiſſent, deliberationumq; arbitri extitiſſent*; & pag. 643. Epiſco-

ſcopum Vintimilienſem ab Vrbe reuerſum *beneficiorum, efficiorumque bullas attuliſſe*, quæ Pontifex nonnullis Prælatorum propinquis contulerat. Nam, præter id, quòd hæc artificia falsò Pontificijs aſcribi conuincitur; exquo *omnes ad vnum* (vt docuimus.) perpetuò aduerſi fuerint, ex eo quoque perſpectiſſimum eſt, quia Pontificem, Romanamque Curiam ab his artibus omninò alienos, abhorrenteſque poſtmodum, ex facto ipſo, comprobet; adeò vt, nec ab eis quidem abſtinuiſſe recenſeat, quibus Prælatos ſibi etiam infeſtos, infenſoſque redderent. Siquidem (vt aliqua adnotemus) ait pag. 116. Pontificem *medietatem fructuum, Hiſpaniaq; Vaſſallatica Cæſari promiſiſſe*: 183. fœdere poſtmodum inter eos inito, eidem *medietatẽ Eccleſiaſticorum Hiſpaniæ fructuum, & quinquaginta aureorum millia ex illorum Monaſteriorum cẽſibus diſtrahendi facultatẽ dediſſe*: vt replicat pag. 389. & pag. 464. Regi poſtmodum Hiſpaniæ *ex cenſibus* itidem *Eccleſiaſticis quatuor cẽtena pariter aureorum millia quolibet anno, in decẽnium conceſſiſſe*: & pag. eadem iteratò, *vt triginta millium aureorum annui Vaſſallaticorum Eccleſiæ cenſus venderet, non ſine magno Hiſpaniçæ amplitudinis detrimento, annuiſſe*. Vnde ſubdit, Pontificem, *Prçlatos Hiſpanos, ea de cauſa ſuſpectos habuiſſe, eoq; tempore magis, quòd eos ſibi infenſos eſſe perpenderet*. Quemadmodum, *& Legato à ſe in Galliam miſſo poteſtatem ampliſſimam de re beneficiaria Regi indulgendi dediſſe* ait pag. 267. aliaque Epiſcopis, & Clero, tùm Hiſpaniæ, tùm Galliæ onera impoſuit 443. 464. & alibi, quibus eos pag. 671. *infenſo in eum animo remanſiſſe* perhibet. Et, non ſolùm ab artibus abſtinuiſſe doceat, quibus Cardinalem Lotharingium, Prælatoſq; Gallos ſibi conciliarent (licèt noua in rem Romanam moliturі dicerentur,) ſed nec etiam ab eis Tridenti temperatum fuiſſe velit, quibus magis, magiſque irritarentur; cum, quemadmodum cum Hiſpanis, ſic, & cum Gallis, & verbis, & rebus ipſis contumelioſè pariter actum fuiſſe commemoret pag. in ſpecie 610. 623. 641.

Pontificem Prælatos ſibi arte non conciliaſſe.

Digitized by Google

641. 657. 663. 675. 680. 693. 701. 709. 710. 763. & alibi pluries.

Nec in alios quoſcunque æquiores faciat. Nam, tametſi omnes, & generaliter, & nominatim peſſimè in rem Romanam affectos, Tridentum fuiſſe perhibeat (vt iam notauimus,) nulla tamen arte cum eis, aut induſtria actum fuiſſe doceat, quò eos ſibi conciliarent, beneuoloſq; redderent: & peſſimè immò ab eis acceptos fuiſſe referat.

Totum enim Legati Epiſcoporum ordinem in ſe concitarunt fauendo pag. 162. 164. 166. & 216. fratribus, ac regularibus aduerſus omnes generaliter Epiſcopos, qui eos ſibi ſubijcere adnitebantur, & Pontifex, precipiendo Legatis pag. 601. & 629. vt *in Prælatos auctoritate, ac terroribus animaduerterent*. Quare pag. 242. Hiſpanos, & Italos duriùs acceptos *in Seditionẽ* prorupiſſe narrat: pag. 317. perſtiterunt Legati, vt materiæ ex formula nuper ab eis, præter vſum ſcholaſticum Italis conſuetum, præſcripta, diſcuterentur, licèt id, *& ſibi, & toti Nationi probro fore* grauiſſimè conſequerentur Et pag. 487. nec etiam Romæ *à contumelijs* in omnes Synodi patres temperatum fuiſſe velit. Immò nec eis quidem peperciſſe addat, quos Pontificios appellat, cum in Epiſcopum Bitontinum, tametſi Pontificium (vt ſupponit pag. 142.) *Roma pro penſionibus non ſolutis vſque ad cenſurarum comminationem* procedi iuſſerint, vt paulò ante notauimus. Omneſque ferè Italos à ſe Pontifex, dum in Concilio erant, abalienaſſet, annuendo pag. 740. vt *Inquiſitio Mediolani more Hiſpanico* inſtitueretur. Nam, non ſolùm Inſubres, ſed Neapolitanos quoque, qui idem ſibi metuebant, adeò in ſe concitauit (quòd illi Tribunali ſubijcerentur) vt, ob vniuerſalem Inſubrum, Neapolitanorumque motum, in Concilio ab actionibus abſtinendum fuiſſe referat. Siquidem Inſubres, & Neapolitani maiorem in Concilio exiſtentium partem conſtituebant.

Nec

Nec dici poteſt, Prælatos, vel dignitatum, vel munerum in Curia, vel beneficiorum Eccleſiaſticorum expectationibus detentos fuiſſe. Nam, quod pertinet ad beneficia, iam in prima Synodi reductione beneficiorum pluralitas peculiari decreto vetita fuerat, cui Pontifex (ſaltem durante Concilio) non derogaſſet. Et, quod pertinet ad dignitates, de Paulo III., qui Synodum primus aperuit, ait pag.106. cum, illo tempore, *treſdecim Cardinales creaſſe*, & pag.353. Iulium III. qui ſecundam Synodi reductionem habuit, *quatuordecim* pariter, *omnes Italos creaſſe*, licèt tunc quadraginta, & octo in Collegio eſſent, quem numerum, pro illo tempore, ſatis excedentem appellat, & tempore Pij IIII. qui Synodum abſoluit, dicit pag.693. *imminentis promotionis nuncium, cum promouendorum indice Tridentum miſſum fuiſſe*, ex quo Prælatos concitatos, non *in ſolos tantummodò queſtus, ſed in minas quoq; exarſiſſe, ſeſeq; vltioni paratos declaraſſe* ſubdit. Cum enim pag.316. *repulſam paſſos ad deſperationem adduci* Pontificem ipſum exiſtimaſſe affirmet: & eo tempore, de Epiſcopis *Reſidentia* indiſſolubili nexu obſtringendis ſeriò ageretur (vnde nec muneræ ſibi polliceri potuiſſent in Curia) patet, illis temporibus, non potuiſſe Prælatos, nec beneficiorum, nec dignitatum, aut numerum in Curia expectationibus per Pontificem detineri; aut re ipſa detentos fuiſſe. Pontificemque à partium ſtudijs omninò alienum fuiſſe, vel ex eo ſolo conuincatur, quòd Prælatos, qui apud ſe Romæ eſſent, Tridentum mittere prætermiſerit, quibus adhærentium ſibi numerum auxiſſet. Nã (vt de ſola tertia reductione loquamur, in qua Polanus, ob acerrimas Inſtitutionis, & Reſidentiæ, atque auctoritatis Pontificiæ contentiones, de ſumma rerum pro Pontifice, ac Romana Curia actum fuiſſe perhibet) pag. 489. iamdiu à Synodo inchoata, de Epiſcopis in Curia commorantibus verba facit, eoſque inſuper *multos* fuiſſe addit: quos non omnes poſtmodum miſiſſe declarat, cum, tamet-

Et Prælatos, qui apud ſe Romæ erant, Tridētū mittere neglexit.

Digitized by Google

tametſi aſſerat pag. 564. & 569. Pontificem nonnullis, poſt multum temporis, ſeſe Tridentum conferre mandaſſe; Epiſcopos tamen apud eum Romæ fuiſſe poſtea pag. 584. commemoret. Et quamuis pag. 611. alios ab eo miſſos iteratò addat, de alijs nihilominus, præter hos, in Curia commorantibus mentionem facit 639. aliosque in aduentum Lotharingij (qui prope Synodi finem acceſſit) illuc impellere decreuiſſe ſubdit 587. Quos, re ipſa non miſiſſe docebimus in tertio libro innatis ad pag. 564. A qua ſola impoſtura, vtpotè irrefragabili, cum poſſimus omnes alias Auctoris fraudes in hoc genere conijcere, nō eſt, quod vltrà, hac de re laboremus.

Quocirca ex facto ipſo per Auctorem deſcripto, maniſeſtiſſimè patet (vt vidimus) Prælatos omnes, ad vnum, Pontifici perpetuò, eiuſque Legatis obſtitiſſe, ac repugnaſſe, in omnibuſque Synodi reductionibus, acerrimè aduerſos, contrarioſque fuiſſe: Pontificem verò ab omni partium ſtudio ſic abſtinuiſſe, vt nec etiam proprios à ſe habere, aut alios artibus ſibi conciliare ſtuduerit; atque exploratiſſimum per conſequens eſt, eas *Aulicorum, Italorum, ſtipendiariorumque* cateruas, quibus præualuiſſe dicitur, ſolas nugas, impoſturaſque eſſe: &, cum Pontifex ex adhærentibus, re ipſa, non præualuerit, nec præualere potuerit, aut voluerit, Concilij libertatem, in hac parte, plenam, integram, penituſque illibatam fuiſſe.

Quod, & de *Theologis, & Doctoribus*, qui materias, vnà cum Patribus, expendebant, licèt vocem in Concilio deciſiuam non haberent, ex hiſtoria liquet. Nam hos itidē independentes, ſuique omninò iuris fuiſſe docet ex facto, dum inter cauſas, quibus Paulum III. Concilium tranſtuliſſe ſupponit, vehementiſſimum ex Theologis timorem, vti præcipuum, peculiaremque enumerat, dicens pag. 253. eundem Paulum *perpendentem; quæ è Tridento, & Germania ab eius Nuncio ſignificabantur, in ſe ipſo, vnà cū ſuis intimis, veritum eſſe, ne quid monſtri Concilium in ſui* *Eadē in Theologis & Doctoribus libertas.*

auctoritatiſque Pontificiæ perniciem pareret. Animo enim volutabat factiones inter Theologos, præcipuè Dominicanos, & Franciſcanos, antiquos æmulos, & doctrina contrarios, qui terminos contentionum, quas prudentes difficulter compoſuiſſent, in Concilio tranſgredi auſi eſſent, inter quos cum diſcrepantia haud quaquam eis leuiores eſſent, quæ cum Lutheranis habentur, ſeque inuicem audacter carperent: (vnde in eis perpetuò conciliandis laborandum foret) periculum eſſet, ne graue aliquod incommodum oriretur: diſputationem Reſidentiæ, an eſſet de Iure Diuino, fratriſque Bartholomæi Caranzæ audaciam potiſſimum expendebat, qui, multorum ope fotus, opinionem contrariam, doctrinam diabolicam appellauerat; videbatq; quàm facilè malũ aliud, Lutherano perſimile, oriri poſſet: & ſi de Reſidentia articulus fidei fieret, actũ de Põtificatu eſſet. Ex hoc vehementiſſimo namque in Pontifice timore, reſpectu Theologorum, & quòd in materijs, quas adeo Pontificatui periculoſas exiſtimatas fuiſſe ait, partem aduerſam acerrimè tuerentur, à Pontificis etiam arbitrijs non dependiſſe, ex neceſſitate conſequitur. Non enim ferè alios in his Reſidentiæ, Inſtitutioniſque Epiſcoporum quæſtionibus, quàm Regulares in arenam, pro opinione Iuris Diuini, adducit. Quos inſuper regularum tranſgreſſores facit, quæ *ad prolixitatem, ſuperfluitatemque in dicendo vitandas*, per Legatos præſcriptæ fuerunt. Nam *Theologi* (vt pag. 518. & alibi narrat) *prolixitate in dicendo, inter ſe de nihilo digladiantes, & ſæpè ad impertinentia tranſgredientes, nimium temporis inſumebant, & nunquam ideo Synodi abſolutio ſperari poſſet.* Cum nil magis ſiquidem Pontifex (ex ſuppoſitione Polani) quàm *Synodi concluſionem, expeditionemque* vrgeret; nonne, ſi ab eo dependiſſent, eius etiam voluntati, in re, quam ſic anxiè percupiebat, obſecundaſſent? Quos, &, præter hæc maximè in Pontificem procaces facit: & Conſtantienſe, & Baſileenſe ex eo extollentes inducat, quòd in auctoritatem Pontificiam decreuiſſent, vt infrà notabimus, vbi de Liber-

tate

tate in loquendo agemus. Et eos quinetiam Theologos, qui *ipſiuſmet quoque Pontificis nomine* miſſi fuerant, non modò pag. 528. & alibi pluries eorum regularum tranſgreſſores faciat; ſed aduerſum Pontificem ipſum ſenſiſſe, ac ſcripſiſſe referat eadem pag. 528. *Reſidentiam de Iure Diuino eſſe: & neceſſitatem communionis Calicis introducere obtendiſſe.* Cum ex his namque à ſcopo, quem auctor in Pontifice ſupponit, de directo aberraſſe doceat; non eſt, quòd de eorum libertate, ſeu à Pontifice independentia ambigi poſſit. Et ex his immò indubitanter aſſumi poſſe videtur, quàm leuiter Polanus dixerit pag. 215. *Regulares, non alia de cauſa, per Pontifices, ab Epiſcoporum ſuperioritate exemptos fuiſſe, quàm vt Primatus Romani perpetui defenſores eſſent.* Et hæc de Prælatis, Theologis, & Doctoribus.

CAPVT III.

PONTIFICEM IN PRÆSIDENTIBVS NON RESpexiſſe pro re ſua priuata, induſtriam; publicæque tantummodò exigentiæ, temporique aptiſſimos præfeciſſe.

SVMMARIVM.

Legatos, re ipſa, induſtrios Pontifici non fuiſſe.
Licèt etiam de Summa rerum ageretur.
Et quamuis pericula præuidiſſent.
Et è contra, ſeſe mutuò, & ipſum quinetiam Pontificem oppugnaſſe.
Pontificem verò, nonniſi omni exceptione maiores, ac Cæſari in primis, Germaniæque notos, probatoſq; eiq; idcircò tempori aptiſſimos, elegiſſe.

LEgatos priuatæ rei Pontificiæ procurationi præpoſitos fuiſſe, auctor pluribus obtrudere conatur. Ait enim pag. 263. *nil omninò, quamuis minimum, in Concilio, niſi de præcedenti Pontificis mandato agitatum fuiſſe*; qua de cauſa *literas per Tabellarios, quandoq; etiam bis in hebdomoda afferri conſueuiſſe*: & pag. 272. *eundem ſpiritum, qui Legatos, ex mente Pontificis, impellebat, Epiſcopos quoq;, ad Legatorum nutum, mouiſſe* addit: & pag. 467. *ipſoſmet Legatos, quæ proponenda erant, ignoraſſe, eaq; ſibi per Pontificem præſcribi expectaſſe.* Hiſpanoſque idcircò querentes inducit pag. 482. *quamlibet tractationem, non modò Pontifici ſignificandam, ſed per eum conſultationi ſubijciendam, ac decernendam fuiſſe.* Ex quibus, aliiſque huiuſmodi pluribus, quæ ſingillatim recenſere opus non eſt, benè imprimere nititur, Legatos in Concilio, nonniſi conſiliorum, mandatorumq; Pontificis directores, executoreſq, fuiſſe.

Verùm

Verum hæc omnia, æque falsò, ac malignè obijci, ex ipſa rei geſtæ narratione patet, non ſolùm quòd Pontifex re ipſa Legatos ſibi induſtrios non habuerit; ſed nonniſi etiam probos, ac Cæſari potiſſimùm, Germaniæque netos, probatoſque, eique tempori, per conſequens, aptiſſimos elegerit.

Legatos enim ſibi induſtrios non habuiſſe, iam ſatis ex præcedenti capite, patefecimus; cum *Prælatos omnes ad vnum nemine prorſus excepto*, in ijs, quæ auctor, è re, & voto Pontificis, Legatorumque fuiſſe, ſuppoſuit (quæ plurima, & maximi etiam momenti fuerunt) eis perpetuò aduerſos, contrarioſq; fecerit; cum ex vniuerſali hac omnium, ſingulorumque Prælatorum in Pontificem, Legatoſque conſenſione, nullam eorundem Legatorum, pro re Romana, induſtriam omninò fuiſſe, ex neceſſitate ſequatur. Nam, an non ſuæ temporalis ditionis Epiſcopos fautores, vel ſaltem non contradictores, oppugnatoreſq; habuiſſent, ſi per Legatos præmoniti verè fuiſſent? Quam omnium contrarietatem, cum, ex facto perpetuam, durante Concilio, fuiſſe docuerimus; conſequens eſt etiam, Legatos, nullo vnquam tempore, induſtrios Pontifici, re ipſa, fuiſſe. Quæ probatio, tametſi per ſe ſola ſufficiat; alia nihilominus, pro maiori certitudine cumulabimus.

Pontifex Legatos ſibi induſtrios non habuit.

Pag. 556. Archiepiſcopo Granatæ, ſeſſionem, & agenda differri proponente, cùm dicat, *omnes in eius ſententiã iuiſſent, ni vox emiſſa, qua non duos vltra menſes, differri, deque Ordinis, & Matrimonij Sacramentis peragi certò per Pontificem præcipi ferebatur, Pontificios contra vrgere induxiſſet;* quis non videat, Legatos adeò ab induſtria pro re Romana abſtinuiſſe, vt nec eos quidem, quos Pontificios appellat, de aſſerto illo Pontificis mandato, tametſi (vt ſupponit) certo, & expreſſo, ante Congregationem, præmonuerint, nec proprijs idcircò vllam ea de re notitiam dediſſe, cum illa vox improuisò, ac nullo certo auctore, emanaſſet, dum in Congregatione ſederent?

Sed

Etiam cum de Sūma rerū actū fuit.

Sed alijs omnibus (ne nimium diu agemur) omiſſis; quis negabit, Pontificem Legatos ſibi induſtrios nullatenùs habuiſſe, aut habere quæſiuiſſe, ſi, in ijs potiſſimùm, in quibus de ſumma rerum pro Pontifice, ac Romana Curia, actum fuiſſe, auctor obtendit, (quæ præ cœteris, Reſidentiam, & Inſtitutionem Epiſcoporum fuiſſe ait,) nec ijs quidem, quos *Pontifici deuotos, Rebuſque Romanis obſtrictiores* vocat; ſeſe vllatenus aperuerunt? Cum his etenim de Iure Diuino prolatis, vnà etiam de Pontificatu, ac Romana Curia actum iri opinatum fuiſſe dicat (vt iam ſupra notauimus:) & credibile idcirco ſit, Pontificem in illis, & per ſeipſum, & per ſuos Legatos, omnem induſtriam adhibuiſſe; profectò, ſi in duobus hiſce tanti ponderis, & conſequentiæ articulis, nulli prorſus vſui Pontifici re ipſa fuerunt; quid in alijs, nullius proportione momenti, feciſſe dicendum erit?

Pag.482. Rogati Patres, an vellent Reſidentiam de Iure Diuino declarari, nec ne, enucleatiſſimis verbis ait, *redditis ſuffragijs, tredecim, inter cæteros, dixiſſe, Placet, conſulto prius Sanctiſſimo Domino Noſtro; decem verò, & ſeptem, Nonplacet, niſi prius Sanctiſſimo Domino Noſtro. Eoſq; tredecim ab illis decem, & ſeptem in eo diſcrepaſſe* ſubiungit, *quòd declarationem omninò vellent, parati tamen à ſentētia recedere, ſi Pontifex contra ſenſiſſet: decem verò, & ſeptē eam omninò declarationem reſpuerent, aſſenſuri tamē, ſi eam Pontifex voluiſſet. Quam declarationem admodum tenuem appellat, ſed in qua ſuum quiſq; famulatum melius haro probare cenſeret.* Quibus poſitis, quænam erat Legatorum induſtria, ſi, quamuis etiam de ſumma rerum pro Pontifice ageretur, nec ipſis quidem, quos *pontificios* fuiſſe ſupponit, quid è re, aut mente Pontificis eſſet, in tanto diſcrimine, apparuerunt? Si namque, & *illi tredecim, & alij decem, & ſeptem,* qui ſuum (vt ait) *famulatum Pontifici probatum volebant*, de re, aut ipſius Pontificis voluntate certi facti fuiſſent, an eis ſeſe in eiuſdem Pontificis conſultatio-

tatio-

tationem, voluntatemque reijcere oportuiſſet? Vel, eodem tempore, quo ſuam eidem ſeruitutem probatam volebant, in eum ſuffragia aduerſi tuliſſent?

Quod aperit etiam, quia ſubdat pag. 497. *Romanis rebus obſtrictiores opinionem ſuam in Reſidentia, à qua Curia abhorrebat, impræmeditatos, nimiſq; liberè dixiſſe, eoſq; pœnituiſſe*, cum dicere impræmeditati proculdubiò non poſſent, niſi exignoratione mentis Pontificis.

Et, ſi verè (vt addit 503.) *Archiepiſcopus Lanciani epiſtolam Pontifici detulit ab Epiſcopis numero ſupra triginta ſubſcriptam, qui Ius Diuinum in Reſidentia tuebantur, in qua ſeſe auctoritatē Pontificis, ea opinione perſtringi minimè obtendere, eamque potius aduerſus quoſcunque tueri paratiſſimos eſſe profitebantur*; an illi purgationi, pro eorum parte, locus eſſe potuiſſet, ſi eis Prælatis quid è re, aut mente Pontificis eſſet, per Legatos apertum ante quoquomodo fuiſſet?

Quæ Legatorum, incuria, ac negligentia, in Inſtitutionis quoque articulo pari modo perſpicitur, dum enucleatiſſimis verbis ait 593. *nonnullos incautos, licèt Pontifici in reliquo deuotos, in opinionem de Iure Diuino iuiſſe*, cum *hi deuoti* non alia de cauſa in opinionem illam, quæ ſic exitioſa Pontifici credebatur, ire potuerint, quàm quia quid è re, aut mente Pontificis eſſet, penitus ignorauerint. Quare, luce ipſa meridiana clarius apparet, Legatos, in his tanti ponderis, & conſequentiæ articulis, ab induſtria pro re Romana ſic alienos manſiſſe, vt nec cum eis quidem, quos auctor *Pontifici deuotos, rebuſq; Romanis obſtrictiores*, appellat, vllam prorſus ſedulitatem, aut induſtriam adhibuerint, ac proinde non priuatæ ergo rei Pontificiæ procurationi præpoſitos, vel eius conſiliorum, mādatorumque directores, executoreſque fuiſſe.

Quæ magis conuincunt, quòd in Reſidentia dixerit pag. 214. *Conſilia Hiſpanorum, ab initio cum res agitari cœpit, ſubodorata fuiſſe ab illis, qui contrariæ adherebant opinioni*, *Et licèt pericula præuidiſſent.*

nioni, quique, & ipſi rei pondere expenſo, animos aduerſantnertibus faciebant: & pag. 226. *Legatos è re eſſe cenſuiſſe, obuiam periculo ire: nec facile fuiſſe* (vt addit) *in ea conuenire, quia Legati, eiſq; adhærentes ſcopum ſibi cæteris Epiſcopis aduerſum propoſuiſſent.* Nam, cum nemini ex eis, quos Pontificios auctor appellat, quid facto opus eſſet, aperuerint (vt oſtendimus) quamuis quanti ea res momenti, ac periculi eſſet, exploraſſent; cuinam vſui, quæro, Pontifici erant Legati?

Quemadmodum, & in Inſtitutionis pari modo articulo feciſſe aperuimus, quamuis etiam (vt addit eadem pag. 593.) *nondum ſecunda, ea de re, Congregatio abſoluta fuerit, cum ex ſententijs, rationibuſq; allatis, quanti ea momenti, & conſequentiæ eſſet, ſerò percepiſſent.* Cum eorum ſiquidem articulorum pondus ſatis iam exploraſſent, eò etiam maiori ſedulitate, ac diligentia deuotos, adhærenteſque admonere, & quid opus eſſet inſtruere debuiſſent, ſi rei Pōtificiæ procurationi præpoſiti verè fuiſſent.

Et, cum auctor velit pag. 215. *Regulares*, ob id nominatim immunitate à Sede Apoſtolica donatos fuiſſe, *vt Romani Primatus perpetui defenſores eſſent*; quænam erat Legatorum induſtria, ſi, nec pariter cum Theologis, qui Ius Diuinum in eis articulis acerrimè tuebantur, &, vt plurimùm Regulares erant, nil prorſus ad eos, vel remouendos, vel, vt aliam opinionem tuerentur, egiſſe doceat, cum de hoc ne verbum quidem in tota hiſtoria legatur; & immò rem ſemper eadem acrimonia, vſque ad Synodi finem proſecutos fuiſſe narret? Præſertim quia *Indultis Apoſtolicis*, ex eorum articulorum declaratione de Iure Diuino, *euerſis*, (vt Tridenti opinatum fuiſſe ait 214. & 593.) Regulares omnes Epiſcopis ſubijcerentur. Cum enim à ſubiectione illa ſic abhorrerent, vt, cum de ea in Synodo quandoque verba fierent, *omnes, ad ſeditionem prolapſos, Principum Oratores adijſſe* referat 743. proculdubiò vnà etiam ipſorummet quoque agebatur cauſa; Vnde

de facile factu fuiſset.

Et quo pacto etiam Legati conſiliorum, mandatorumque Pontificis directores, promotoreſque fuerunt; ſi in dictis tanti ponderis, & conſequentiæ, pro re Romana, ac Pontificia, articulis, non modò inter ſe diſsenſiſse; ſed ſeſe mutuò inſuper oppugnaſse, & ab opinione de Iure Diuino (hoc eſt aduerſus Pontificem ipſum, vt ſupponit,) ſtetiſse, auctor perſpectiſſimum facit?

Legati ſeſe mutuò, & ipſum Pontificem oppugnabant.

In Reſidentia enim luculentiſſimè ait pag. 481. *Legati inter ſe diſſentiebant: Simonetam verò ab opinione ſtetiſſe, quæ illam de Iure poſitiuo affirmabat, inſuperq; addidiſſe, maiorē partem, etiam qui illam de Iure Diuino cenſuiſſent, in eam ſententiam iuiſſe, vt ea contētio præteriretur, Mantuanum verò, ſe minimè explicando, dixiſſe, maiorē partem declarationē flagitaſſe: & Altēps Simonetæ, alios autem* (Varmienſem ſcilicet, & Seripandium) *Mantuano adhæſiſſe, nec diſſenſionem inter eos citrà acerbitatē fuiſſe.* Qua de cauſa Pontificem querentem inducit 492. *Mantuanum ab Hiſpanis in Reſidētia eſſe, eiſq; in continuatione Synodi declaranda, contrarium, quod nil aliud, profectò eſſet, quàm ſibi in omnibus aduerſari.* Et 498. *Legatos Mantuanum, Varmienſem, ac Seripandium eiuſdem ſententiæ in Reſidentia fuiſſe* (quòd nēpè de Iure Diuino eſset:) & Simonetam ſæpè in Inſtitutione dixiſse pag. 603. *parum ſibi opis à Mantuano, ac Seripandio eſſe, qui, tametſi aliquid agerēt, non omninò tamen intrinſecam ad aduerſarios propenſionē occulere poterant.* Et 607 non ſolùm *Mantuanum ab opinione de Iure Diuino ſtetiſſe; ſed decretum de ea ſub Iulio III. formatum, in Congregatione, ad eam confirmandam, ſtudioſè etiam perlegi mandaſſe.*

Cumque repugnet, Pontificem priuatæ rei ſuæ procurationi Legatos præfeciſse, eoſque ſuorum conſiliorum mandatorumque executores, directoreſque eſse voluiſse: ipſos verò è contra, ea, ob quæ nominatim miſſi, atque inſtructi dicuntur, ſic neglexiſse, vt etiā ipſis, quos Pontifici deuotos, rebuſq; Romanis obſtrictiores appellat, nil omninò

de mente, aut re Pontificis communicarent: & immò opinionibus, quæ Pontifici exitioſiſſimæ credebantur, adhæſiſſe; impoſtura proculdubiò ex hoc ſolo depræhenditur.

Et, cum pariter impoſſibile videatur non tàm Legatos à Pontificis ſcopo penitus aberraſſe, quàm ipſummet de directo Pontificem oppugnaſſe; quis ex his repugnantijs non manu tangit, nonniſi calumnioſè dici, eoſdem Legatos *nil prorſus abſq; expreſſo Pontificis mandato feciſſe; nilque omninò, quantumuis etiam minimum, in Concilio, niſi de præcedenti eiuſdē mandato factum fuiſſe: & cuncta ſibi per eum præſcribi expectaſſe, eaqſde cauſa literas bis in hebdomoda afferri conſueuiſſe*, cum alijs, quæ paulò ante notauimus?

Romæ verò de Legatis priuatim inſtruendis, nec etiam cogitatum fuiſſe, ex hoc ſolo Reſidentiæ articulo, tanti pro re Romana momenti, conuincitur; quandoquidem poſt hæc Pontificem, ad pericula ex ea imminentia vitanda, *Cardinales Synodi rebus præpoſitos pluries conſuluiſſe* referat pag. 488. Nam nonniſi ergo poſtquam materia illa Tridenti agitata, deque ea ſuffragia in Congregatione generali reddita fuerant, Cardinales conſuluit. At enim, ſi rem antea conſuluiſſet, mandata etiam Legatis opportunè dediſſet, nec ei per conſequens, aduerſi eſſe potuiſſent. Vt melius aperit ſubdens, *Romæ de Legatis queſtos eſſe, quòd articulum propoſuiſſent, vel ab alijs proponi ſiuiſſent, Legatoſq; venia indignos diceret, cum quęnam ea diſquiſitio incommoda in prima reductione peperiſſet, ignari non eſſent*; ſiquidem, nullo ergo mandato à Pontifice accepto, articulum propoſuerant.

Et patet etiam ex Simonetæ verbis, quem ait pag. 671. *rerum omnium, quæ malè in Synodo ceſſiſſent, in duos Legatos, Mantuanum, & Seripandium culpam reieciſſe, ex quo, in Reſidentiæ negocio, ex arbitrio magis, quàm è re Eccleſia pro-[illegible]* Nam Legatos, non ex Inſtructione ergo, aut [illegible] Pontificis, ſed proprio marte rem ſolùm [illegible]

Et ex

Et ex legatione quoque Archiepiſcopi Lancianenſis; quem, *Romam per Legatos, ex compoſito, miſſum fuiſſe:* nurrat pag.503. *vt de ſucceſſibus Reſidentiæ Pontificem inſtrueret; eoſdemq; Legatos apud eundem Pontificem ex eo purgaſſet, quia, cum nullum indè incommodum præuidere potuerint, intimum ex conſcientia ſenſum aperuerint.* Nam Pontifex ergo nullam peculiarem opinionem Legatis ſtatuendam præſcripſerat; & rem, eodem Pontifice penitùs inſcio, & pro arbitrio ſolùm geſſerunt.

Eoque magis, quòd Lancianenſem concluſiſſe addat, *cum factum infectum eſſe non poſſet, Sanctitatis eius fore, præteritis obliteratis, ad futura proſpicere infuturumq; iubere, cum impoſterum nil, niſi ex præcedenti eius conſilio ac deliberatione agere, ac proponere paratiſſimi eſſent.* Nam ergo acta illuc vſque in Reſidentia, præcedenti nullatenus Pontificis conſilio, aut mandato, facta ex conſequenti fuerant.

Nec, poſt eos quoque ſucceſſus, quicquam mandaſſe, aut præſcripſiſſe colligatur (licèt tot tumultibus ex eo articulo Synodus iactaretur,) quia Gonzaghius pag.498. *Reſidentiam in futura ſeſſione proponere* Hiſpanis, alijſque opinionem de Iure Diuino tuentibus ſpopondiſſet. Cum enim addat, *ob eam promiſſionem, inſcijs, irrequiſitiſq; Colleghis factam, Simonetam offenſum fuiſſe, ab eoq; apertè diſſenſiſſe, Mantuanumq;, vt malè affectum per Prælatos Pontificios incuſatum, calumniatumq; fuiſſe: idque eum Seripandij, ac Varmienſis aſſenſu fretum feciſſe, quorum mentis conſcius eſſet,* nulla etiam à Pontifice, ea de re, mandata emanaſſe conſequitur; nec illæ per conſequens; tum Romanæ Curiæ aduerſus Legatos querimoniæ, quòd eam propoſitionem feciſſent, tum illæ, ea de re, Pontificis conſultationes ſtare poſſe videantur, cum repugnet; Pontificem de remedijs conſuluiſſe, & Legatos contra ipſius mentē, RomanæqueCuriæ lamentationes, eam nihilominus promiſſionem feciſſe: & inter ſe contrarij, Gonzaghius, Se-

 ripan-

ripandius,& Varmienſis à cœteris alijs Colleghis diſcreparent. Si enim Pontifex de remedio,reuera, conſuluiſſet (vt dixit:) & quid facto opus eſſet Legatis opportunè mandaſſet; (cum in eum finem conſuleret;) nonniſi etiam in vnicum illum ſcopum vnanimes proculdubiò tendere potuiſſent, quem eis Pontifex præfixiſſet: neç poſt ſucceſſum Reſidentiæ, *Legati nil prorſus in futurum, niſi de pręcedētι conſilio, ac deliberatione Pontificis agere, ac proponere,* per Lancianenſem ſpopondiſſent, vt ex pag. 503. paulò ante notauimus. Cumque, illa Gonzaghij promiſſione ſtante, ea Lancianenſis ſponſio, ob contrarietatem corruat, vtramque etiam reddit incertam.

Pōtifex Praſidē es ōni exceptione maiores elegit.

Præterea, quis, in Præſidentibus eligendis, ſynceritatem Pontificis non manu tangit, ſi ex ipſiuſmet auctoris fide, non à ſe, ſed à Cæſare, vt plurimùm, dependentes, Germaniſque notos, probatoſque, atque illis proinde rebus aptiſſimos, omnibuſque inſuper Chriſtianis virtutibus ornatos elegit?

Cardinalis à Mōte primus Legatus.

Ait enim primùm de Cardinali à Monte pag. 107. *Pontificem in eo elegiſſe candorem, mentemque apertam, eaq; fide coniunctam, qua tamen res ſuorum Dominorum propriç præponere conſcientia non poſſet.* Nam hæc præciſa verba, in prima editione à Spalatenſi facta habentur; licèt, qui hiſtoriam poſtea recuderunt, vna tantummodò ſyllaba immutata, pro *præponere*, *poſtponere* callidè poſuerint. Cumque, præter hæc, auctor pag. 199. 293. 302. & alibi, Montem inſuper, *& naturę ingenuæ: & ab hypocriſi, & diſſimulatione alienum, omnibuſq; apertum, in diſſimulationeq; inconſtantem, ac propria libertati cohibenda impotentem* appellet; talemque cum inſuper rebuſmet quoq; ipſis fuiſſe per hiſtoriam comprobet, eò magis aperit, Pontificem nonniſi à Monte voluiſſe, quàm quæ ab ipſius candore, atque ingenuitate aliena non eſſent; quando artificia, improbitates, & doli non benè cum candore, atque ingenuitate conueniant, eoſque ſolùm requirant, qui ſciant

(vt

(vt inquit Sanctus Gregorius)*cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt, vera oſtendere, quæ vera, falſa demonſtrare.*

Cardinalis Ceruinus, ſecundo loco electus, paulò ante fuerat ad Germanos Legatus, illique adeò Nationi cognitus, probatuſque,vt meruerit, *vti Sanctus, & doctus* ab ipſiſmet quoque hæreticis celebrari, vt videre eſt in tabulis Cronologicis Theodori Bibliandi auctoris Lutherani: cuius etiam probitati ſatis adſtipulatur auctor, dum eum pag.380. *Reformationi deditiſſimum* appellat; & 112. *vt nimis ſimplicē, ſcrupuloſumq;* deridet, *naturaq; grauis, atq; ſeuera, conſtantiſq; animi virum* nuncupat 379.Cū pag. enim 107. Pontificem nihilominus *conſtantiam, perſeuerantiamq; immobilem, atque intrepidam in eo elegiſſe* affirmet; quid aliud dicendum eſt, ab eo voluiſſe, quàm quæ à laudatiſſima eius probitate, ac ſanctitate aliena non eſſent? *Cardinalis Ceruinus.*

Cardinalem quoque Polum, tertium Legatum, *ob ſanguinis claritudinem, communemq; de eius probitate exiſtimationem, & quòd Anglus eſſet*, à Pontifice electum fuiſſe, perhibet eadem pag. 107.Quem inſuper pag.374. *à ſtirpe Regia, morumque exemplaritate, atque à prudentia, ac ſanctitate collaudat, ob eaque Angelicæ Nobilitati gratiſſimum fuiſſe* commemorat. Cum etiam (vt ex ſupplemento ad Sabellicum habemus) *ſuprà Regiæ Stirpis claritudinem, & Latinæ facundiæ laudem nemini ferè feliciùs partam, perfectum Christianæ virtutis habitum præſeferret*, eaque inſuper apud Principes exiſtimatione eſſet, vt eum Carolus V. ad Pontificatum euehere, cogitauerit, vt refert auctor dicta pag. 292. *Cardinalis Polus.*

Ex quibus proculdubiò conuincitur, Pontificem nil aliud prorſus, ex ea Legatorum electione præ oculis habere potuiſſe, quàm vt publicæ tantummodò rei conſuleret. Nam, an non publicæ tantummodò rei conſultum voluit, qui nonniſi viris (ex ipſiuſmet oppoſitoris teſti-

mo-

monio) *candidis, probis, apertis, ingenuis, à fictionibus alienis, diſſimulandi impotentibus, ſanctitate, religione, pietate*, aliiſque virtutibus ornatis, quas ipſemet, non tam recenſuiſſe, quàm commendaſſe voluit, eam procurationem demandauit: quique vt Cæſari in primis, Germaniæque cogniti, probatique, in eam rem maximè eſſent?

Cardinalis Creſcentius.

At in ſecunda reductione ſub Iulio III. ait pag. 304. Pontificem elegiſſe Cardinalem Creſcentium, *quia magis fidum maioriſque ſimul virtutis neminem comperiſſet*. Sed, cum ſubdat 353. *Pontificem, cum omnes Cardinales ab aliquo Principe dependerent, vt miniſtros à ſe dependentes haberet, quatuordecim Cardinales creaſſe* (quæ creatio diſceſſum Creſcentij præceſſit;) quid quæſo, cum in Creſcentio prælegiſſe (ex hac auctoris ſuppoſitione) dicendum eſt, *virtutem, an dependentiam*?

Lipomanus, & Pighinus.

Lipomanus verò, & Pighinus, (quos non Legatorum, ſed Nunciorum Apoſtolicorum titulo, vnà cum Creſcentio, præſidere voluit,) iam apud Cæſarem, Germanoſq;, ex recenſione auctoris pag. 287. & 297. Nuncij pariter Apoſtolici munere functi erant: nec aliud Pontifex in Lipomano Epiſcopo Veronenſi elegit, quàm *pietatis, candoris, eximiæque bonitatis famam* (vt pag. 304: &, cum vtrique iam primæ Synodi reductioni, vti Epiſcopi, interfuiſſent, in qua idemmet Pontifex (qui in ea Legatus præſederat) omnes, ad vnum, perpetuò acriter aduerſos expertus fuerat, non potuit etiam in eis procul dubio dependentiam reſpicere: præſertim, quia Lipomanus pag. 247. *de Pontificia poteſtate in Re beneficiaria moderanda* inſuper retuliſſet, quam pag. 18. (vt alibi ſupra notauimus) *ingens Romanæ magnitudinis fundamentum* appellat, eique Pighinus acceſſiſſet, cum omnes acceſſiſſe referat.

Addit tamen Polanus, Pontificem Creſcentio, per nuncios, ſignificaſſe; *ſe eum ſibi ſucceſſorem deſtinaſſe*: & pari modo Pighino, *admodùm occultè, ſe ex amicitia, de illo ſtatuiſſe*. Sed, an Pontificem hæc per alios vnquam nun-

nunciaſſe credibile eſt, quando id coram tutiùs per ſe ipſum facere potuiſſet,cum omnes Romæ eſſent? Polanus fucum impoſturæ facturus,occultos nuncios excogitauit, per quos arcanum patuiſſe,obtruderet.

In tertia quoque Synodi reductione, ſub Pio IV. ait 431. Pontificem *Legationis Principem conſtituiſſe Herculē Gonzagam Cardinalem Mantuæ, ob ſua Domus magnitudinē, fratriſque Ferrandi nomen, propriamque illius virtutē valdè conſpicuum, quòd in eius admodum virtute, ac dexteritate fideret.* Cumque *Cæſarem apud eum deprecatorem adhibuiſſe* addat, *vt munus acciperet*, eum etiam, non à Pontifice,ſed à ſolo Cæſare dependiſſe docet. Cuius inſuper Cardinalis ea erat apud omnes probitatis fama, vt, *ob communem de illo apud Cæſarem, Regemque Hiſpaniæ, ac cæteros omnes ferè Principes, & Prælatos, opinionem; eum, nonniſi certiſſima Tridentinæ exiſtimationis iactura, indè diſcedere potuiſſe*, perhibeat 489. Qua ſola Gonzaghij electione (præſertim quòd cum Legationis Principem conſtituerit), nil magis ſibi ante oculos propoſuiſſe liquidò aperit, quàm, vt ſatis Cęſari, Germaniæq; faceret, cui potiſſimùm Nationi Synodus parabatur.

Cardinalis Hercules Gōzaga.

Quod ex aliorum quoque Legatorum electione elucet, cum omnes Cæſari, Auſtriacisque (vno excepto Nauaggerio) ſubditi, aut addictiſſimi eſſent.

De Seripandio (quem auctor 432. *magna fama Theologum* appellat) ſufficiat, cum maximas, opulentiſſimaſq; (vt vulgatiſſimum eſt) dignitates Eccleſiaſticas, ſibi à Cæſare oblatas conſtantiſſimè reſpuiſſe. Nā quod certius incorruptæ eius bonitatis argumentū? Cuius etiā probitati, non modò Oratores Galli teſtimoniū palā perhibuerunt pag. 669. ſed auctor ipſe ad cumulū adſtipulatur, dū eum (Cardinali Gonzaghio mortuo) Pontifici apertiſſimis verbis enunciaſſe refert 660. *cum in Principatu Legationis ſuccederet rem, nonniſi ex inſpiratione diuina, acturum eſſe*.

Cardinalis Seripandius.

Var-

Cardinalis Varmienſis. Varmienſis Polanus, iam diù antè, ob maximas, ad Carolum V., Ferdinandum Cæſarem, Philippumque Caroli filium Legationes; ſed magis ob reiectam anteà Purpuram, eidem à Paulo IV. delatam, toti orbi, ſed Germaniæ nominatim notus, probatuſque erat, eoque inſuper candore præditus in rebus agendis, *vt eius ſimplicitate* alij (ex Simonetæ verbis 520.) callidè abuterentur. Quem etiam 518. nil *Chriſtianæ Synodi libertate conſultius eſſe* palam profitentem, & leuiſſimo quouis ſcrupulo, à cœteris diſcrepantem inducit, cum in matrimonij clandeſtini irritatione, *ſuffragium ferre noluiſſe* ſcribat 765. *quia id Synodo non licere arbitraretur.* Et Thuanus de eius virtutibus, in ſuo 68. libro, ampliſſimè teſtetur, dicens, *ſuſtulit, & hic annus Stanislaum Hoſium Cracoviæ natum, qui maximis Legationibus ad Carolum V. Ferdinandum, & Philippum Caroli filium, Sigiſmundi Auguſti nomine, magna fidei, & prudentiæ laude, defunctus, ab eoq; Varmienſis Epiſcopus creatus eſt. Eiuſdem opera, ob raram eruditionem, & Theologicarum rerum ſcientiam, Pius IV. vti voluit in Synodi Tridentinę negocio, cui & poſteà cum alijs præfuit, miſſo eo ad Ferdinandum Cæſarem, & Maximilianum Regem, ob idque Cardinalem creauit, cum eandem dignitatem anteà, Paulo IV. deferente, rara hoc ęuo modeſtia, enixè deprecatus eſt.*

Cardinalis Simoneta. Simoneta, Altaemps, & Moronius, Cæſari, atque Auſtriacis addictiſſimi, ac ſubditi erant, Germanicisque idcirco rebus aptiſſimi. Ac præter id, Simoneta in prima reductione Epiſcopus adfuerat, in qua omnes, nemine prorſus excepto, (vt probauimus) Pontifici acerrimè aduerſi fuerant; quare, non ex præcedenti dependentia, aut adhærentia, eligi etiam potuiſſe conſequens eſt.

Altaemps. Altaemps Germanus erat, ex natione, quam auctor pag. 19. *Synceram, & machinationibus, artibuſque ineptam* appellat: qualem, & Nauaggerium fuiſſe aperit, cum Cardinalem Lotharingium arcanam ab eo inſtructionem *Nauaggerius.* explo-

exploraſſe ſupponit 676.

Sed de Moronio, quàm familiariter eo Cæſar vteretur, auctor pag. 407. ſatis, ſuperque manifeſtum facit, dum ait, *Comitem Arcni, eius Legatum, Oratoris Hiſpanici, Cardinaliſque Pacecchij conſilijs poſthabitis, adhæſiſſe Moronio, quòd à Cęſare, de omnibus ad ſe pertinentibus, cum eo decernere, in mandatis haberet.* Cumque, ex ſupplemento ad Sabellicum, habeamus, Pontificem, *Legatum Ioannem Moronium, ſecunda morum, atque doctrinæ fama, per omnes Germaniæ conuentus Legationis munere perfunctum feciſſe*, patet etiam, eum id munus illi demandaſſe, quòd iam toti Germaniæ notus, probatuſque eſſet, eique per conſequens rei, temporique aptiſſimus. Nam totum in rem Germanicam fuiſſe, non obſcurè ſignificat auctor, cum eum pag. 380. *vnà cum Cardinali Anguſtano, in Conclaui inſtitiſſe narrat, vt, inter ea, quæ de more, à Cardinalibus eo tempore Sacramento firmantur, nominatim ſtatueretur, vt ad Eccleſiaſticam perficiendam reformationem, controuerſias de religione terminandas, rationemque ineundam, qua Tridentina Synodus à Germanis reciperetur, aliud per futurum Pontificem, Concilium, de conſilio Cardinalium intra biennium, indiceretur.* Moronius.

Quare, non ſolùm ex fide auctoris perſpectiſſimum eſt, Præſidentes non fuiſſe priuatæ rei Pontificiæ procurationi præpoſitos, nec ab eo ſeorſum ea de re inſtructos; ſed non aliud prorſus, quàm perſpectam eorundem virtutem, ac religionem, rebuſque illis aptitudinem, in eis eligendis, præ oculis habere patuiſſe Pontificem. Quos, cum, nec etiam, cum de ſumma rerum ageretur, induſtrios habuiſſe perſpexerimus, patet itidem quam malignè, ac falsò eos conſiliorum, mandatorumque Pontificis duntaxat executores, directoreſque fuiſſe ſuadere conetur. Quæ malignitas eò magis apparet, quòd, ex fide auctoris 108. conditione per ipſum Pontificem in eorum facultatibus appoſita, *vt in omnibus non-*

 niſi

niſi de conſenſu Patrum procederent, eis omninò rei nauandæ poteſtatem ademiſſe inſuper conuincatur. Nam ſi illos reuera rei propriæ procurationi præpoſitos voluiſſet; an eis vnquam arctiſſimo illo vinculo manus ligaſſet? Quod cum auctor negare non potuerit (quando earum facultatum publica documenta extent) rem ſaltem ambagibus obuoluturus addidit, Legatos, *conditione illa, de conſilio Patrum in omnibus procedendi ſublata, poteſtatem ſibi liberam per Pontificem tribui feciſſe*, ſed conſimili falſitate, vt mox ſuo loco docebimus. Et hæc de Legatis, Nuncijſque Apoſtolicis, Synodi Præſidentibus.

C A-

CAPVT IV.

PONTIFICEM POTIOREM EX PRINCIPIBVS eſſe non potuiſſe: nec eſſe inſuper quæſiuiſſe.

SVMMARIVM.

Pontificem potiorem ex Principibus eſſe non potuiſſe, quòd, & animo malè in eum præoccupato eſſent: & ſcopo ab eo penitus diſcreparent, eiq; idcircò aduerſarentur.

Et ſatis Proteſtantibus, in eorum petitionibus fieri vellent, qui omnem è Concilio poteſtatem Pontificis eliminatam volebant.

Et ſibi quàm maximè arrogarent:

Eorumque Oratores coitiones idcircò inter ſe, & cum Prælatis haberent, quibus etiam fautores aderant:

Et eouſque procederent, vt nec à minis etiam, verbiſque aſperis abſtinerent:

Quibus Epiſcoporum, pro re propria ſedulitas, ad cumulum accedebat.

Nec potiorem etiam ex eis eſſe quæſiuiſſe, quòd eos, habere fautores omninò neglexerit.

OStendimus hucuſque, ex auctore, Pontificem, nec *ex loco*, nec *ex Patribus*, *Theologis*, *& Doctoribus*, nec etiam *ex Præſidentibus* Apoſtolicis potiorem in Concilio re ipſa fuiſſe; vel eſſe voluiſſe, aut etiam potuiſſe. Quod, nec *ex Principibus* potuiſſe, aut eſſe quæſiuiſſe, ex auctore pari modò patefaciemus.

Principes animo malè in Pontificē præoccupato fuiſſe & ſcopo ab eo penitus diſcrepaſſe.

Siquidem non potuiſſe docet, quòd Principes, animo malè in eum præoccupato, deſcribat, enucleatiſſimis verbis dicens pag. 17. *Principes incurioſi, quidnam de doctrina decernendum eſſet, illud exoptabant Concilium, quo Clerici, & Regulares ad ſua redigerentur principia, quòd ea ratio-*

 ne

ne regalibus, iuribuſque temporalibus potiri ſperarent, quibus Ordo Eccleſiaſticus affluebat: & pag. 297. *in eo, quod ad auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, tùm in Concilio, tùm extrà, & ſupra illud pertinet, non modò Proteſtantes, eam oppugnabant, ſed multi Principes, limitibus coarctari voluiſſent.*

Eamque in Principibus animi diſpoſitionem ex facto pariter comprobat, quòd *Oratores Cæſarei* (ex eiuſdem relatione 362.) *tùm Pontificiæ poteſtatis moderandæ ſpem Proteſtantibus feciſſent; tùm opportunitatem ſe, ex eorundem negociatione expectare addidiſſent, quò poſtmodum, & ipſi obſecundarent, & quæ ſtatuiſſent introducerent*. Quocirca *ea præſertim quæ ab Oratoribus agitabantur Pontifici moleſta fuiſſe* addit ibidem, & pag. 500. *quia de Principum in ea vtilitate, aduerſus eius auctoritatem, peragi intelligeret*: & Carolus Imperator, ac Rex Hiſpaniæ (vt ait pag. 35.) Concilij celebrationem *ad auctoritatem Pontificis in Eccleſia moderandam vrgebat, ſine quo temporalẽ minui non poſſe videbat*. Et, non ſolùm, inquit, animo malè in Pontificem affecto erant, ſed ſic ab eo, & ſcopo, & conſilijs inſuper diſcrepabant, vt eorum res cum rebus Pontificis, ob contrarietatem, conuenire non poſſent.

De ſcopo, in quem Principes collimabant, apertiſſimè ait 76. (vt paulò ante notauimus) *Carolum Cæſarem Concilium in duobus ſibi vſui eſſe voluiſſe, primùm, vt, Italico bello durante, Pontificem cohiberet, ſi, ſuccumbẽtibus Gallis, ſe eis, de more Pontificum, ad victorẽ æquilibrandum, iungere cogitaſſet; dein ad Germaniam ſuo ſubijciendam Imperio, quò potiſſimùm reſpiciebat, cum obedientiam Pontificis vti rẽ accidentariam exiſtimaret*, vt ex alijs ad cumulum confirmat pag. 263. 287. 305. & præſertim 371. dicens *ſecundæ Synodi reductioni cauſam dediſſe vehemẽtiſſimum Caroli Imperatoris deſiderium Germaniam ſibi, mediante Religione, ſubijciendi, filioq; ſibi ſucceſſore adſcito, Cæſaream dignitatẽ ſuis ha-*

hæreditariam faciendi, eaq; ratione Monarchiam inter Chriſtianos, quauis alia poſt Romanam, etiam Caroli Magni, ampliorem conſtituendi. Ad quod, cum ſola, qua potius erat victoria ſatis non eſſet, nec in nouis tantummodò armis fiduciam habere poſſet, populos religione, Principeſque officijs, ſubijciendo, ſe in ampliſſimam ſui nominis immortalitati donandi ſpem erexerat.

De Regibus verò Galliæ, & Hiſpaniȩ ait pag. 400. *eos Synodi celebrationem vrgere conſenſiſſe, quò remedia nouis ſtatuerentur doctrinis, cum in eorum ditionibus proficerent, proniſque auribus acciperentur, quodque maioris momenti erat, inquieti, nouarumque rerum cupidi eis adhȩrerent, & noua quotidie, religionis obtentu; tùm in Belgio; tùm in Gallia molirentur*. Quæ alibi, ſed pag. potiſſimùm 667. replicat, ſubdens, *Cæſarem, & Chriſtianiſſimum de Concilio, nonniſi quatenus è re ſuarum ditionum eſſet, cogitaſſe, nec aliud idcircò, quàm qua ſatis ſuis populis facerent, cupijſſe: & niſi id conſequi poſſent, abſolutionem Actionis impedire, ne illos à ſpe deijcerent.*

Quæ Principum conſilia, cum penitùs repugnarent conſilijs, quæ auctor Pontifici tribuit, non modò *eorum res* (vt ait eadem pag. 667.) *cum rebus Pontificis conuenire non poterant*, ſed Pontifici inſuper *aduerſabantur*, cum Cæſar (ex relatione auctoris 564.) *ad rem gratam Germanis faciendam, eoſque ad filium Regem Romanorum eligendum, fautores habendos, ſeſe Conſilijs Pontificis obijceret: & Rex Chriſtianiſſimus, vt rei propriæ cum ſuis Hugonottis conſuleret*: idemque faceret pag. 585. Rex Hiſpaniæ, *ne Belgas à ſpe deijceret, & in Hiſpania de reformatione vniuerſali pluries conſuluiſſet, quò mandata Oratori, quem Tridentum miſſuri eſſent, in promptu haberent, ad hòc, vt Prælati omnes Hiſpani iunctim ad eundem ſcopum tenderent.*

Ac Pontifici aduerſarentur.

Cum-

Et ſatis Proteſtātibus in eorum petitionibus fieri contenderēt, qui res Pontificis oppugnabant.

Cumque Proteſtantes præceptorum Eccleſiæ relaxationem, in primiſque Romanæ Curiæ reformationem vrgerent, idcircò Principes, per ſuos Oratores, nunquam ab eis petitionibus, etiam acerrimè promouendis, deſtiterunt, vt fusè infrà, ex auctore, docebimus in tertio libro, in notis ad pag. 654., vbi de Reformatione agemus.

Ad quæ obtinenda *Cæſar nullam* (vt ait 58.) *loci præſcripti, alteriuſve peculiaris conditionis rationem habebat, dummodò ſatis Germaniæ fieret, ita vt Proteſtantes ſeſe ſubijcerent, præſenteſq; eſſent; quod Rex Galliæ æquum itidem eſſe dicebat, & pro conſecutione opem exhibebat: locumq;* (vt addit 76.) *Mantuæ probabat, in reliquis verò nihil penſi habebat, quaſnam conditiones Pontifex appoſuiſſet, cum, Synodo coacta, quæ in ſuam rem non eſſent, immutare potuiſſet: ſtatueratque* pag. 33. *Synodum eis tempore, & loco celebrari, quando, & vbi idem præſens adeſſe potuiſſet: &, tempore celebrationis, in loco Synodo propinquiori manere: fidemq; inſuper Germanis de eis in omnibus ſatisfaciendo, ſolemni ſponſione, dediſſet; primùm verbis, dicendo* (pag. 303.) *circa ea, quæ ad Germaniam ſpectarent, totum ipſius curæ permitterent, quia qua ratione agendum eſſet, non ignoraret, conſq; ſuſtinentes, quò cæteræ Nationes conuenirent; nam, ſi non ſe Tridentum, ſaltem in locum proximum contuliſſet* (vt fecit,) *&, non verbis, ſed rebus ipſis rem ritè, rectèq; tranſigi curaſſet, nihilque penſi haberent, quę Pontifex diceret, ſed quæ idemmet in verbo Imperatoris, ac Regis polliceretur;* ac dein ſolemni eo decreto, quod ibidem recenſet, in quo ea omnia fuſiùs confirmat, vt ibidem videre eſt.

His de cauſis nolebat Imperator, Pontificem primarium Synodi promotorem haberi; cum pag. 106. eius, in illa indicenda, celeritatem ex eo improbaſſe dicat, *quòd ipſe, ob exiſtimationem propriam, vtque faciliùs Germaniam, ad Synodum induceret, ob multaſque alias rationes præcipuus ea in re, videri voluiſſet; tamen, cum non aliud poſſet, nihil*

omi-

omiſiſſe, quò ſemet auctorem, Pontificem verò adhærentem oſtenderet. Quarè Cæſar (vt addit) *Oratores ad omnes Principes legauit, Indictionem ſignificaturos, oraturoſque, vt ad eius conſeſſus honorem, & ad confirmanda decreta ibidem facienda, Oratores mitterent; præparationique perindè ſeriò incumbebat, ac ſi rem propriam egiſſet; Prælatis Hiſpaniæ, ac Belgij plura denunciauit, ac præcipuè, vt Theologi Louanij ad maturanda dogmata proponenda, conuenirent; nec verbis cum Nuncio, tùm ea; tùm alijs occaſionibus expreſſis, indignationem diſſimulauit, quam in Pontificem conceperat. Immò, cum Pontifex, menſe Decembri, tredecim Cardinales, & inter eos tres Hiſpanos creaſſet, eis inſignia accipere, & nomine, & habitu Cardinalitio vti prohibuit.*

Et in ſecunda pariter Synodi reductione, *omnem operam Cæſaris fuiſſe* ait 310: & in tertia, præter id, quòd Ferdinandum Cæſarem in eam rem totis viribus incubuiſſe recenſet; cauiſſe etiam Germaniæ ait 491. pro ijs, quæ per eos populos petebantur; immò etiam Bipontem ſe contuliſſe addit 665. *vt rebus Synodi conſuleret, præſenſque* (vt præciſis verbis ait) *libertati Synodi adeſſet.* In quo ſuã operam non deſiderari ſiuiſſe auctor paſſim per Hiſtoriam aperit.

Pari modo Rex Chriſtianiſſimus Theologos Pariſienſes Melunium conuenire iuſſit pag. 106. *quò dogmata neceſſaria fidei Chriſtianæ, quæ in Synodo proponenda eſſent, expenderent:* & pro tertia reductione alium conuentum de rebus in Synodo pertractandis, habuit, vt recenſet 433.

Qua verò ſedulitate, ac vigilantia Principes illi ſuſpicioni occurrerint, quam Proteſtantes, alijque Sectarij de Pontifice prætexebant, ne ſeſe Concilio ſubijcerent, præter ea, quæ hucuſque recenſuimus, oſtendit pag. 500. vbi ait *Cæſarem cupientem Filium Regem Romanorum eligi, ſatis in omnibus Germaniæ facere paratum fuiſſe, eaque de re Reformationis articulos Legatis dari iuſſiſſe, Oratorique mandaſſe, vt eos in Synodo proponendos, de eiſque decernendi ratio-*

tionem iniret: & 536. *timuiſſe Pontificem, ne, ob intenſiſſimũ electionis Filij in Regem Romanorum deſiderium, rei maioris quàm illuc vſque detrimenti proponere à Proteſtantibus adigeretur*; cum alijs huiuſmodi pluribus, quæ breuitati ſtudentes omittimus.

Subq; in reb. Concilij quã maximè arrogarent.

His de cauſis, in rebus conciliaribus ſibi adeò Principes arrogabant, vt per Pontificem ſcribendum fuerit Legatis pag. 163. *in eo, quod ad res peragendas pertineret, nil aliud fore, ſi Principum libidini obſecundare vellet, quàm Concilium tumultuoſiùs facere, deliberationeſque magis longas, ac difficiles, cum non alia cuiuſque ipſorum ſollicitudo eſſet, quàm quæ eis non placeant impedire; vel difficultatem alicui rei obijciendo, alia morari*: Eumque ideo querentem inducit 489. *omnes Prælatos Tridentum cum ſuorum Principũ mandatis iuiſſe, ex eiſq; agere, eoſq; Oratores, & epiſtolis, & officijs, ſuorũ Principũ cõmodis obſecundare adigere*: addens 495. *Oratores omnes in Pontificem iunctos fuiſſe*: 503. *Principum miniſtros, in Synodo ſeruanda, concordes, ſtabileſque manſiſſe*: *Patreſque ad eam continuandam, omnia ferre paratos, ipſiuſq; diſſoluendę occaſionem oriri non poſſe*: & 587. Oratores Ferrerium, & Quinqueccleſienſem dixiſſe, ſe, *ſi Synodus ſuſpẽderetur, Tridento non diſceſſuros eſſe, nec, Prælatos adhærentes, abſq; præcedentibus Principum mandatis, abire permiſſuros.*

Eorũq; idcircò Oratores coitiones inter ſe & cum Prælatis haberent.

Oratores etiam, quò maiori poſſent auctoritate operi inſtare, inter ſe, & cum Prælatis adhærentibus conueniebant, deque rebus ad ſuos Principes pertinentibus communiter conſulebant: Communique omnium nomine inſtabant. Vt pag. 554. vbi, cum Cæſareis non placeret, res Sacrificij Miſſæ edi, vt iam ipſius Cæſaris nomine inſtiterant, *omnes alios Oratores congregarunt*, (vt ait) *vnà conſulturi, Legatoſq; iunctim adire decreuerunt, inſtituri, vt in ea Seſſione de Sacramentis loqui, & Canones, doctrinaſque fieri omitteretur*. Vbi, cum dicat, *Lanſacchium, omnium nomine, ex compoſito expoſuiſſe, ſe à ſuis Principibus*

miſſos

miſſos fuiſſe, quò Synodo adeſſent, operam daturi, vt pertinenter, non cum diſſertationibus doctrinæ procederetur, quid aliud innuit, quàm eò vſque ſibi Principes arrogaſſe, vt, & Synodo etiam legem dare,& ex arbitrio rem Tridenti moderari præſumerent; cum non aliud ſibi proculdubiò velit, *Oratores mittere curaturos, vt pertinenter procederetur?*

Quinqueccleſienſem etiam Cæſaris Oratorem, Prælatorum Hungarorum, Polonorum, Hiſpanorumque conuentum habuiſſe refert pag. 571. quò ratio reformationis peragendæ iniretur, vt etiam Oratores inſtabant; idque nonniſi vt relaxationem rituum, preceptorumq; Eccleſiæ (vt diximus) obtinerent, quòd ita Proteſtantibus, alijſque hæreticis, qui eam petebant, ſatis fieri poſſe crederent: nec vnquam Cardinalis Lotharingius cum ſuis Prælatis conuenire omiſit, dum in Synodo manſit. Quæ Prælatorum, Oratorumque coitiones adeò frequẽtes erant, vt ex Auctoris fide pag. 564. *Concilium Secularium, in medio Concilij Prælatorum, eſſe videretur.*

Quibus nec etiam Otatores contenti; Prælatis auctoritate, ac præſentia aderant, quò ſe liberè, nulloque Legatorum reſpectu, aperirent. Nam inter cœtera, Gallos conueniſſe affirmat 623. *Si eorum Prelati liberè loquendo, redarguerentur, vt Oratores proteſtarentur, & Lanſacchium, ad rem euulgandam, ne Pontificij auderent, pluribus coram hortatum fuiſſe Epiſcopum Arauſionis, vt liberè, & abſque timore loqueretur, quòd ſatis eum Regia protectio tueri poſſet*; & pag. 763. Comitem Lunæ Oratorem Hiſpanum ſuis Prælatis præſentem adfuiſſe addit, qui nonnulla in decretis mutata eſſe querebantur. Cumque ſummo ſtudio in hoc potiſſimùm Principes laborarent, vt res ex ipſorum voto procederent, omniſque amoueretur ſuſpicio, quam Proteſtantes de Romana Curia prętexebant, oculatiſſimi in eandem Curiam erant, vt docet auctor dum pag. 733. apertiſſimis verbis ait: *Comitem*

Prælatiſque fautores adeſſent.

tem Lunę apud alios Oratores egiſſe, quò ex ſingulis Nationibus eligi inſtarent, qui quænam reformanda eſſent perpenderent, idque ex eo, quia Legatorum modulus, vtpotè è re Romana factus, alijs regionibus aptari non poſſet. Nam, ſi in his tanto ſtudio laborabant, quid, quæſo, facturi fuiſſent, ſi de libertate, vel in minimo labefactanda actum vllo modo fuiſſet? Adeò ſiquidem rem vrgebant, vt, cum è re ipſerem eſſet, nec etiam in eoſdem Legatos à minis, verbiſque elatis, ac proteſtationibus abſtinerent; vt pluribus docet auctor. Nam pag. 197. ait, Cæſarem, *cum certus eſſet Sanctacrucium ad diſſolutionem Synodi quoquomodo inclinare, eidem per Oratorem ſuum enunciari mandaſſe, ſi quid, ea in re, contrà ipſius mentem auſurus eſſet, ſe illum in Adigem præcipitem dari mandaturum eſſe. Quod omnibus innotuiſſe, ab eiuſque temporis Hiſtoricis euulgatum quoque fuiſſe* ſubijcit.

Nec in ipſos legatos a proteſtationibus minisq, abſtinerent.

Et alia in re, pag. 355. *per ſuos Oratores, Cardinalemque Maduccium operam dari mandaſſe, vt Legatus annueret, ad idque eius auctoritatem, primùm precibus, dein elatis quoque verbis, adhiberent, ni ratio iniri poſſet, qua ſatis ambabus partibus fieret, Legatumque, ac Nuncios ad id, quod æquum eſſet, admittendum humaniter cogerent.*

Et iterum 363. cum è re Cæſaris eſſet Proteſtantes Tridentum adduci, nihilque penſi haberet, an res iterum nec-ne examinandæ eſſent, per Oratores de Proteſtantium queſtibus, deque impedimento, quod eorum acceſſui opponebatur admoneretur, certum hominem Tridentum miſiſſe, *cum mandatis, ſe etiam Romam inſuper conferendi inſtiturum, vt ab actionibus per paucos dies abſtineretur, ſuiſque tractationes intercipere, iuberet, in Pontificios verò, ni ſuaſiones admitterent, ad proteſtationes procederent*: qua de cauſa quamlibet actionem ſuſpendi deliberatum fuiſſe concludit.

Et, cum Marchio Piſcariæ pag. 492. Synodi continuationem declarari ſui Regis nomine efficaciter inſtitiſſet,

Cæſa-

Cæſarem, cum id reſciuiſſet, commotum enunciari Pontifici mandaſſe ſe, Oratores è Tridento reuocaturum eſſe; Sique ea deliberatio fieret, eos illicò, publicatione nullatenus expectata, diſcedere iuſſiſſe.

Legatiſque poſtea in proponendo iterum Calicis decreto reſidibus, Oratores Cæſareos proteſtatos eſſe inquit 554. (*cum Cæſarem adeò paruipendi viderent*) *non amplius congregationibus, ſeſſionibuſue adfuturos, quouſque per Cæſarem admonerentur, quidnam è dignitate Imperiali fieri cenſuiſſet.*

Vt etiam cum ageretur pag. 643. An Pontifex, Vniuerſalis Eccleſiæ regendæ poteſtatem haberet, Gallos, nō ſolùm diſſenſiſſe narrat, ſed inſuper declaraſſe addit, ſi inpoſterum proponeretur, *Oratores; tùm Regis; tum centum viginti Epiſcoporum nomine, proteſtaturos eſſe.* Quēadmodum, viſis in Gallia articulis, qui pro reformatione Principum proponendi erant, Rex operam per ſuos Oratores dari mandaſſe refert pag. 748. vt à rebus ad Principes pertinentibus abſtinerent, perſonarumque Eccleſiaſticarum negotijs incumberent; & *ni hiſce perſuaſionibus Patres obtemperaſſent; ipſos Oratores viriliter obſiſtere, oppoſitioneque facta, eorum nullatenus expectato iudicio, aut eorum ſe Conſilio minimè permittendo, diſcedere, ſeque Venetias recipere; mandando Prælatis Gallis, vt Tridenti perſeuerantes, quæ è re Diuina eſſent, conſulerent; cum certius ſit, eos, vbi aliquid contrà ius, prærogatiuas, aut priuilegia Regis, & Eccleſiæ Gallicanæ in deſcrepationem poni vidiſſent, aliò ſe, ex Maieſtatis Suæ mente, & mandato, transferre non omiſſuros eſſe: in eandemque ſententiam Lotharingio ſcripſiſſe ne, ſe præſente, quicquam in Concilio, Regis iuri aduerſum ſtatutum admitteret; ſed ſi, ea in re, Patres à ſuo munere diſcedant, abiret.*

Addens, Cæſarem, eiſdem viſis articulis, Cardinali Moronio ſcripſiſſe (753.) *ſe, neque vti Imperatorem, nec Archiducem, aſſenſurum vnquam eſſe, vt de Iure Prin-*

Digitized by Google

cipum moderando, in Synodo verba fierent, idcoque aduerterent, ne eos magis irritarent, motuſque maiores excirent. Cumque nihilominus Prælati, ea de re (inuitis tamen Legatis) peragi voluiſſent, Oratores Gallos probroſam illam orationem habuiſſe refert, quam auctor recenſet, Tridentoque abeuntes, redire amplius noluiſſe.

Cumque Comes Lunæ in cauſis criminalibus Epiſcoporum, Pontifici reſeruatis; declarari inſtaret, id citra Inquiſitionis Hiſpanicæ præiudicium fieri, & legati renuerent, Comitem proteſtatum eſſe concludit pag. 763. *ſe; ſi eo modo proponerentur, à Seſſione abſuturum, neminemque è ſuis Prælatis adeſſe permiſſurum eſſe.* Qui etiam pag. 784. ſi Synodus, ſuo irrequiſito Rege, abſolueretur, *præter inſtantiam, quam contra faciebat, ea ſe inſuper additurum fore minatus eſt, quæ è dignitate eſſe arbitraretur.*

Ex quibus, alijſque multis, quæ ſingillatim recenſere nimium eſſet; cum certitudine aſſumi poteſt, an Pontifex, inuitis Principibus, (qui toti in illo negocio erant) rem duntaxàt pro arbitrio agere potuiſſet; & quid inſuper facturi fuiſſent, ſi, vel etiam in re minima, Synodi libertati grauis eſſe voluiſſet; quando ipſi, cum de rebus tantummodò (vt notauimus) omittendis, aut transferendis, actum fuit, tàm acriter obſtiterint, vt nec etiam à minis, & proteſtationibus, verbiſque aſperis temperauerint; cum, ad hæc neceſſariò aſſumenda, ſufficere poſſit, Principes omnes (ex fide auctoris. 523. *non ſolùm in Synodo petenda conueniſſe; ſed, & legationes miſiſſe, & magnum ex omnibus regionibus, Prælatorum numerũ congregaſſe,* vt ait. Præſertim accedente, quòd nonniſi proprium ſibi finem propoſuiſſent, qui à Pontificis rationibus ſic (vt vidimus) diſcrepabat, vt *eorum res cum rebus Pontificis, ob contrarietatem, conuenire non poſſent:* nec induſtriæ, ſedulitati, aut labori pepercerint, quò voti compotes euaderent.

Quibus, ſi ad cumulum addemus, quàm impigrè, ac ſedu-

ſedulè, & quàm anxiè quoque Epiſcopi Actionem, pro re propria, tractauerint, proculdubiò fateri neceſſe erit, impoſſibile omninò fuiſſe, locum vllum ibidem Pontificis imperijs, aut dominatui eſſe potuiſſe, quando Epiſcopos non alium ſibi Scopum propoſuiſſe velit Polanus, (vt ſupra docuimus) quàm vt *Apoſtolicæ Sedis auctoritate infracta, omnique vi Pontificis indultis, priuilegijs, conceſſionibus, exemptionibus, diſpenſationibus, alijsque huiuſmodi ablata, & cauſis omnibus beneficiorum, caſuumque reſeruationibus*, ac quibuſcunque alijs in ſe translatis, Pontificeque in ordinem omninò redacto, abſoluto in ſuis Diœceſibus potirentur arbitrio. Cum namque de communi totius Epiſcopalis Ordinis exaltatione, deque priuatis magis cuiuſque Præſulis commodis ageretur: & cuncta in Synodo eorundemmet Prælatorum ſuffragijs decernerentur (vt peculiari diſſertatione patefaciemus:) & Principes in eadem cauſa Patronos, ſocioſque haberent; an contra ſemet vnquam laboraſſe, vel Pontificis potius, quàm proprijs commodis, ac dignitati conſuluiſſe credendum eſt? Si quis tamen eorum ſedulitatis, in eo negocio maiora documenta velit, ea præcipuè petat, ex ijs, quæ Auctor potiſſimùm in Inſtitutionis, & Reſidentiæ Epiſcoporum, atque auctoritatis Pontificiæ tractationibus ad ſatietatem affert, à quibus ea ſe conſecuturos crediddiſſe ait: & plura itidem in alijs materijs p. 164. 165. 166. 214. 216. 226. 249. 251. 253. 297. 329. 347. 348. 406. 432. 449. 454. 455. 466. 471. 488. 495. 498. 585. 588. 622. & per totam demùm hiſtoriam, in qua hæc ad nauſeam vſque leguntur; ex quibus neceſſariò aſſumitur, non potuiſſe vllo modo Pontificem, Principibus, Prælatiſque repugnantibus, pro libito dominari, aut rem pro ſolo arbitrio tractare.

Quibus Epiſcoporum ſedulitas, pro re propria inſuper accedebat.

Quem nec etiam voluiſſe, aut inſuper quæſiuiſſe dicendum eſt, cum, quemadmodum cum Prælatis, ſic nulla cum Principibus quoque arte, ad eos ſibi conciliandos,

Nec Pontificem potiorē ex principibus eſſe quæſiuiſſe.

Digitized by Google

liandos, egerit: & immò à nulla re, dum Synodus h aberetur (ex auctoris fide) abſtinuerit, qua eorum animos, malè (vt vidimus) in ſe præoccupatos, magis potius abalienaret, infenſoſque redderet.

Vt enim aliqua ex multis recenſeamus pag. 69. Paulus III. qui primus Synodum aperuit, requiſitus à Cardinali Lotharingio, etiam Chriſtianiſſimi Regis nomine, vt Epiſcopatuum Abbatiarumq; nominationem ſuæ ditionis Duci Lotharingiæ concederet, *requiſitionem reiecit*: pag. 104. eòuſque in Cæſarem exarſit, vt nec ſibi etiam *à litteris in eum minacibus* temperauerit, quod cauſæ fuiſſe ſubdit 107. *vt eum ſibi infenſum crederet*: Et, cum Synodum, ipſo Cæſare inſcio, indixiſſet, *ſui in eum animi commotionem Nuncio non occuluit* & alia inſuper addidit, quæ pag. 106. recenſet. Cumque pag. 120. Cæſar diem Archiepiſcopo Coloniæ dixiſſet, Pontifex, ob fori contentionem, *eundem Archiepiſcopum coram ſe vocari iuſſit, à fideliumque communione ſeparauit*: eodemque Cæſare pag. 161. aperta Synodo, de Reformatione tantummodò agi, & dogmata præteriri inſtante, Paulus tamen, nulla eiuſdem Cæſaris ratione habita, de *eis quoque peragi mandauit*: tametſi *id Cæſarem moleſtè laturum eſſe* Lotharingius affirmaſſet: pag. verò 183. fœdus in Proteſtantes, ob eorum in Synodum contumaciam, cum Cæſare iniens, etiam conditionẽ ſeorſum appoſuiſſe ait *concernentem Regem Galliæ, vt ſi quis Princeps Chriſtianus, eo bello durante, arma in Cæſarem ſumpſiſſet, Pontifex, tùm temporalibus, tùm ſpiritualibus in eum armis decerneret*, quo à ſe Regem Chriſtianiſſimum abalienauit: Cæſaremque iteratò offendit, euulgando pag. 196. *cauſam belli religionem fuiſſe*; quod arcanum Cæſar, ob ſuas in Germania machinationes, occultum omninò volebat. Præcipuè quòd auctor ſupponat, Pontificis ſcopum fuiſſe, *vt omnes nouæ religionis Profeſſores in Cæſarem conſpirare adigeret*. Quam declarationem cum iteratò Romæ, ac Tridenti,

denti, publicis ſupplicationibus indictis, feciſſet, ait, Imperatorem frementem noluiſſe, *Cardinalem Farneſium Crucem, vti Legatum exercitus, geſtare, indulgentiaſque impartiri, ideoque recedere coactum fuiſſe*: Et, multiplicatis hinc indè offenſionibus, Pontifex, non ſolùm (vt refert 216. & 217.) *ſuas copias auxiliares è Germania reuocauit; Sed facultates quoque Cęſari datas abrogauit, quibus prouentus Eccleſiaſticos Hiſpanię Maieſtati eius conceſſerat*; adeò querente, ac fremente Cæſare, *vt neminem ſibi magis inimicum Pontifice eſſe*, dixiſſe referat. Quæ, & alia plurima, quæ, breuitatis gratia, omittimus, cum inter Paulum, & Carolum accidiſſent, aperto Concilio, quamuis hic fortior eſſet in loco, & tot ibidem ſuarum ditionum Epiſcopos haberet, ſunt vtiquè argumenta, quibus, Pontificem, ab omni arte, qua conditiones ſuas in Synodo potiores faceret, alienum omninò fuiſſe conuincitur.

At de Iulio III. ſub quo Synodus ſecundò redacta eſt, parî modo ait 295. ei, *neq; amicos, neque adhærentes fuiſſe*: & 299. *ob præterita parū illi cauſa fuiſſe, Cæſari fidem habendi*; & nihilòminus ab eodem ſibi conciliando re ipſa omnino abfuiſſe docet pag. 302, dum ab eo rogatus, *vt exemplar Indictionis* Synodi, ante publicationem, ei mitteret, quò meliùs Germaniæ conſenſum firmaret; illam nihilominus, nullo eius habito reſpectu, non ſine graui eiuſdem offenſione, vulgauit. Quare Pontificem *de illo dubitaſſe* addit 348. Et cum Cæſar, Proteſtantes expectari inſtaret, Synodi Præſidentes ex eo celeriter materias expediuiſſe ait 363. quò Proteſtantes, *vel ſeſe Tridentum conferre deſiſterent; vel cuncta iam deciſa reperirent*: Tridenti verò (obſiſtente Cæſare) cum ab actionibus ceſſatum eſſet, eas nihilominus, nulla eius petitionum ratione habita, *aſſumi precepit* eadem pag. 363.

Cumque in *ſolo Chriſtianiſſimo ſpem illi aliquam eſſe patuiſſe* dicat pag. 299. tamen, ob res Parmæ, grauiſſimas

inter

inter eos altercationes, & bella fuiſſe recenſet: quem etiam pag. 353. promotionem Cardinalium, *quam Gallis opponeret* feciſſe addit.

Pius verò IIII. de Eccleſiaſticis ſubſidijs per Regem Catholicum requiſitus, *varia obiecit, ne Clerum in Synodo contrarium haberet;* & pag. 430. Regem Catholicum, ob Oratores Regis Nauarræ in Aula Regia exceptos, grauiter offendit: cumque Cardinalis Farneſius, Regina Galliæ petente, Auenionis Legationem Cardinali Borbonio cedere annuiſſet; non ſolùm obſtitit, pag. 443. ſed magnas, ea de re, querimonias; & in Conſiſtorio; & contrà Reginam, & Regem Nauarræ habuit, obijciendo, eos *hæreſi fauere, Conuentuum Prælatorum, Colloquiorum, rerumque aliarum præiudicialium auctores eſſe, ad minaſque deſcendit.*

Pag. 501. Synodo inchoata, à querimonijs in omnes Oratores, in Conſiſtorio, haud quaquam abſtinuit, de Gallis præcipuè dicendo, *Lanſachium, ſibi Hugonottorum Oratorem videri, eoſque vti hæreticos perſequi, ac mulctare minitando, quia Concilium ſupra Pontificem eſſe tuerentur:* & de Oratoribus Venetis, itidem querebatur. Cumque pag. 536. Oratores Galli, & Cæſarei diſcuſſionem materiarum ſuſpendi, & interim Prælatos Gallos expectari contenderent, pluries reiecti fuerunt, vt pag. 536. 542. 169. & alibi. Quare, *ſe ad alia remedia* proceſſuros eſſe minitabantur. Et Cæſar idem pag. 540. tùm Tridenti; tùm Romæ inſtans, ne ante Conuentum Germaniæ, de Sacrificio Miſſæ ageretur, voti compos eſſe non potuit; deterioremque in partem accepit (561.) Synodum in Pontificem reieciſſe, an Calix concedendus eſſet, nec ne: vt & cum alijs Regibus, ac Principibus, eorumque Oratoribus pluries factum fuiſſe recenſet. Quæ ſingillatim commemorare omittimus, cùm pro omnibus ſufficere poſſit, Pontificem pag. 694. Regem Galliæ pro alienatione centum millium aureorum annui cenſus Eccleſia-

cleſiaſtici ſupplicantem reieciſſe: & obpræſeſſionis prærogatiuam per eundem Oratori Gallo, decretam, à ſe adeò quoque Regem Catholicum abalienaſſe; vt etiam ad eas proteſtationes in eundem proceſſerit, quas pag. 695. recenſet: & iteratò pag.709. Regem Galliæ, ob locum Tridenti, Oratori Catholico, extrà ordinem Oratorum, aſſignatum, magis, magiſque exacerbauerit; quare maximis eis in Concilio tumultibus occaſio fuit, quos auctor fusè deſcribit: reformationemque demum Principum in eorundem nominatim odium, per Sinodum tractari voluerit, vt alibi diximus: quæ omnia documenta ſunt proculdubiò certiſſima, Pontificem adeò, ab artibus, partiumque ſtudijs alienum fuiſſe, vt nec duos ipſos quinetiam potentiſſimos Reges, Chriſtianitatis arbitros, fantores, aut aduerſos habere ſatageret.

Quare, ex aſſertionibus ipſiuſmet auctoris, conſtito (vt vidimus) Pontificem, nec reſpectu loci, vbi Synodus celebrata fuit: nec ex perſonis, quæ partem habuerunt in ea, arbitrum re ipſa fuiſſe, aut eſſe quæſiuiſſe, aut potuiſſe, etiamſi voluiſſet; quemadmodum indubitatæ, ac penitus irrefragabiles remanent Romana in re Tridentina Synceritas, actioniſque Libertas; ità è contra, aduerſariorum calumnia funditus euerſa, adeò ipſorum etiam malignitas, & impudentia cunctorum oculis deteguntur, vt, citrà omnem dubitationem, manu ipſa tangantur.

(✠)

Finis Primi Libri.

HISTORIAE
CONCILII TRIDENTINI
PETRI SVAVIS POLANI
EX AVCTORIS MET
asserrionibus confortatæ

LIBER SECVNDVS.

ACTIONIS TRIDENTINAE

LIBERTAS.

I. Materias omnes in Synodo agitatas: Doctrinas: Decreta: Canones, & quæcunque alia, à ſolis Patribus purè, integrè, atque omnino liberè emanaſſe.

II. Cuique pro libito proponere, ac liberè loqui datum fuiſſe.

III. Patres pleniſſimum arbitrium perpetuò in omnibus exercuiſſe.

CA-

CAPVT I.

MATERIAS OMNES IN SYNODO AGITATAS: Doctrinas, Decreta, Canones, & quæcumque alia, à Solis Patribus, purè, integrè, atque omninò liberè emanaſſe.

SVMMARIVM.

Pontificem in Concilio, Propoſitionum, deliberationumque omnium auctorem, arbitrumque fuiſſe, primaria, ac potiſſima aduerſariorum accuſatio, ad quam omnes in ſumma eorum criminationes rediguntur.

Propoſitiones tamen, & deliberationes à ſolis Patribus emanaſſe, ex eorundemmet aduerſariorum narratione, in ſingulis Seſſionibus, probatur.

OMnes artes, & machinationes, quæ in Hiſtoria Concilij Tridentini, Pontifici, eiuſque miniſtris aſcribuntur, in eum tandem finem collimaſſe contendunt aduerſarij, vt ipſe ſolus Propoſitionum, deliberationumque auctor, arbiterque eſſet. Quare, ſi Propoſitiones, & deliberationes, non à Pontifice, ſed à ſolis Patribus emanaſſe perſpectum fecerimus, totam etiam eorum hiſtoriam à fundamentis euerterimus; quandoquidem, conſtito, Pontificem reuera arbitrum non fuiſſe, ex neceſſitate ſequatur, eas quoque artes, & machinationes, per quas arbitrio potitus dicitur, per ſolam ei calumniam pari modo aſcribi. Præſertim, ſi artificia illa commentitia inſuper eſſe, ad cumulum, patefecerimus. Quæ probabimus, non quia definitiones Tridentinæ ſuo robore careant, quamuis etiam à Pontifice emanaſſent (cum quæ tanquam ex cathedra pronunciat, irrefragabilem vim obtineant;) ſed vt pateat, nullam hæreticis cauſam Concilij, eo

lij, eo prætextu, reijciendi fuiſſe, quòd Pontifex Iudex (vt aiunt) in cauſa propria fuerit, quo ſolo colore fucum contumaciæ faciunt.

Polanus ſuaſurus, Concilium per Pontificem ſeruitute preſſum fuiſſe, Patreſque omni idcircò arbitrio penitùs caruiſſe, pluribus inſinuare conatur, omnes, quantumuis etiam minimi momẽti, propoſitiones, ac deliberationes, à ſolo Pontifice emanaſſe, nihilque ideò Legatos, niſi eodem Pontifice expreſsè mandante, propoſuiſſe, aut omninò feciſſe, in eumque finem cuncta Romæ prius conſultationi ſuppoſita, ibidemque formata; ac ſtatuta; perque tabellarios, qualibet vice, Tridentum ad Concilium miſſa fuiſſe. Quæ vt benè imprimat, ea pluries, tàm ore proprio, quàm alieno ingerit, vt videre eſt per totã Hiſtoriam, ſed præſertim pag. 163. 362. 467. 482. 493. 503. 523. 542. 641. 665. 685. 713. 799. & paſſim vbique, cum tamen Polanus, ſibi perpetuò contrarius, ex facto ipſo, per ſe relato (quæ eſt aduerſus eum probatio irrefragabilis) diſertiſſimè doceat; propoſitiones, & deliberationes omnes à ſolis Patribus, purè, integrè, atque omninò liberè emanaſſe.

Ad materias preparãdas, peculiares cuique rei cõgregationes aſſignatæ: & prepoſiti, ad decreta formanda, conſtituti.

Nam primùm de materiarum pertractandarum, decretorumque formandorum ratione, ait pag. 134. Tridenti, ab ipſo ſtatim Actionis exordio, propoſitum fuiſſe, vt *materiæ in claſſes diſtinguerentur, ad eaſque præparandas, peculiares cuique congregationes aſſignarentur: & prepoſiti ad decreta formanda, in Congregatione Generali proponenda, conſtituerentur, vbi ſinguli ſuam ſententiam dixiſſent.* Ex cuius ordinationis præſcripto, & materiæ ibidem à ſolis Patribus præparatæ, & decreta ab eiſdem perpetuò ſtatuta pari modo fuerunt.

De materiis in genere pertractandis ſoli Patres decernunt.

Cum namque deliberandum eſſet, in principio, de materijs in genere pertractandis, id à ſolis Patribus factum fuiſſe docet, expreſſis verbis referens pag. 140. *ab omnibus ſtatutum fuiſſe, vt vnà aque articuli Religionis, ac*

Refor-

Reformationis tractarentur. Quod, inuitis etiam, ac repugnantibus Legatis, Pontificeque inſcio, ac nullatenus, per conſequens, mandante, accidiſſe aperit, ſubdens, *Legatos de ſolis fidei dogmatibus, reformatione penitus poſthabita, peragi contendiſſe, ac dixiſſe, ut deliberatio illa Romæ probaretur, non eſſe cur de aliјs, quàm de ſe ipſis iure conqueri debeant, quos ad reſpondendum Epiſtolis, inſtructioneſque neceſſarias mittendas, toties fruſtrà interpellaſſent.*

Quod, & de rerum quoque agendarum ratione, alijſque huiuſmodi pariter factum fuit pag. 141. vbi *Legatos duos articulos exhibuiſſe recenſet, ſuper quibus Patres conſiderationem habere, ſuffragiumque ferre deberent. Primum ſcilicet, an decretum in proxima futura ſeſſione pronunciandum eſſet, vt ſimul perpetuò de capitibus, tùm fidei, tùm reformationis ſibi reſpondentibus agatur, alterum, qua ratione in duobus illis capitibus eligendis, agitandis, atque examinandis procedendum eſſet.* Nam Pontifex nullas adhuc Legatis inſtructiones, aut mandata dederat, vt dixit, & iteratò confirmat pag. 144. & alibi. Quod per totam Actionem factum fuiſſe auctor, ex ipſa rei geſtæ narratione, comprobat, vt in omnibus Seſſionibus (eas ſingillatim perpendendo) patefaciemus.

Et de earum itidem agendarum ratione, aliiſque huiuſmodi.

SESSIONES 1. 2. 3. 4.

CVm, poſt tertiam Seſſionem dicat pag. 144. Legatos Pontifici ſcripſiſſe, *ſe mandata, & inſtructiones ab eo adhuc expectare*: nil etiam de eis, quę ad illas ſeſſiones pertinuerunt, in mandatis à Pontifice habuerant. Quemadmodum nec de eis, quæ in quarta itidem Seſſione agitata fuerunt, cum pag. 159. ſubijciat, *Romæ Seſſione peracta, viſis decretis, rerumque ſtatutarum pondere expenſo animaduertiſſe Pontificem, negocium Synodi pluris faciendum eſſe, quàm illuc vſque feciſſet: ideòque monuiſſe Legatos, ne tempus tererent circa ea, quæ in controuerſia non ſint, vt in*

Harum ſeſſionum materia, ac decreta à ſolis Patribus emanarunt.

Digitized by Google

anteactis in proxima præcedenti Seſſione feciſſe videntur, in quibus omnes conuenirent, & ſunt principia indubitata. Siquidem nunquam acta in ea Seſſione improuiſa Pontifici accidere potuiſſent, nec rerum actarum pondus Romæ, poſt promulgationem decretorum, perpendendum fuiſſet, aut Legatos redarguiſſent, quòd in eis tempus triuiſſent, *ſi propoſitiones, & materia* ab ipſo Pontifice emanaſſent.

De quo omnẽ penitùs dubitationem adimit, cum materiam decretis, tàm doctrinæ, quàm reformationis formandis, per ſolos Patres præparatam, *è Lutheranorum libris erutam* fuiſſe: & decreta ab eiſdem pariter emanaſſe, apertiſſimis verbis referat. pag. 145. 149. 150. 155. 156.

SESSIO V.

Quinta ſeſſionis materia à Patribus.

DE materia quintæ ſeſſionis ait pag. 161. *cum duo capita, velut rerum, antè vltimam Seſſionem, actarum reliquiæ remanſiſſent, nempè lectiones Sacræ Scripturæ, & Diuini verbi prædicatio* (quæ inſcio Pontifice propoſita fuiſſe iam vidimus) *de hoc in prima Congregatione actum fuit.*

In ea etiam *de peccato originali* peragi propoſitum eſt; Idque in prima ſtatim Congregatione, poſt Seſſionem, cum Legati nullas adhuc de rebus agendis, à Pontifice inſtructiones, aut mandata accepiſſent (nam tria tantūmodò monita generalia eis dediſſe retulit pag. 159.) & articuli è doctrina Proteſtantium ibidem extracti, & propoſiti fuerunt pag. 167.

Quod verò, obſiſtentibus (vt ſubdit) Prælatis Hiſpanis, & Italis Cæſari ſubiectis, quò eidem obſequerentur, qui, abſentibus Proteſtantibus, de dogmatibus agendum non eſſe contendebat, Pontifex articulum, nihilominus proponi mandauerit, non tamen ipſe materiam præſcripſit, quæ iam, ipſo inſcio, (vt vidimus) propoſita

ta erat; ſed Synodi Libertati, pro Apoſtolici ſui muneris officio, conſuluit, quòd æquum non eſſet decretum iam factum, vt *ſimul de Religione, ac Reformatione perpetuò ageretur*, ex ſola Principum libidine, infringi.

Et quàm Libertati Synodi per Patres conſuleretur, patet, quòd pag. 162. ob id ſolùm Congregationem coactã fuiſſe dicat, *vt in pertractandis doctrina fidei, & reformationis materia, melior procedendi forma inſtitueretur*. Nam cum duo *idcircò Congregationum genera diſtincta fuiſſe* addat; *alterum Theologorum, qui de reb. fidei diſſererent, quorum ſententia ab vno è Synodi Notarijs ſcripto exciperentur: alterum verò Prælatorum, ad capita, vel doctrinæ, vel reformationis formandæ, quæ examinata, & è communiori opinione digeſta, in Congregatione generali proponerentur, ad ſingulorum ſententiam habendam: & decreta in Seſſione publicanda è maioris partis ſuffragatione ſtatuerentur*; vtique aperit, Patres, circa res pertractandas, ac decernendas, arbitrium ſibi penitùs reſeruaſſe.

Patres circa res tractandas & decernendas, totum voluerunt arbitrium.

Ex quo præſcripto rem agitatam fuiſſe perhibet, illicò ſubdens, *Prælatos hiſce determinationibus inſiſtentes, de Lectionibus, & Concionibus egiſſe, varioſque Decretorum modulos iterum, atque iterum formaſſe, ſed rationem, quæ ſatis omnibus fieret, iniri non potuiſſe: decretumque demùm ſtatutum eſſe* pag. 166. Præſertim cum addat, *ad difficultates tollendas, non modò cum Epiſcopis Italis, ſed cùm Ordinum quoq; Generalibus, officijs agendum fuiſſe*, cum ex his, eam, circa decernenda, libertatem auctoritatemque Tridenti fuiſſe, confirmet, vt nec etiam Cænobitis, nedum Patribus inuitis, decerni potuerit.

Decreta itidẽ per Patres formantur, ac decernuntur.

Et apertiſſimè itidem dicat pag. 174. *peracta Theologorum cenſura, materias inter Patres, ad decernendam formam decreti, agitatas fuiſſe, ac Prælatos, qui decreto formando præpoſiti erant, materiam; ope Theologorum, in quinque Anathematiſmata diſcreuiſſe &c: & in eo, quod ad Con-*

ceptionem B. Virginis pertinet, ad decretum illud tandem ob Dominicanorum, Franciſcanorumque contentiones, deueniſſe, quòd demum ſtatutum fuit.

Et quòd etiam referat pag. 177. *Legatos mirabilem omnium concordiam aduerſus doctrinam Lutheranam, eiuſque damnandæ conſultum iam factum, Romam nunciaſſe, formatorumque Anathematum exempla miſiſſe: & in materia Conceptionis B. Virginis, tùm per ſe, tùm per Prælatos prudentiores contentiones deponi ſuaſiſſe: &, cum nulla ampliùs reliqua eſſet de rebus controuerſis diſſenſio, &, tùm fidei, tùm reformationis decreta formata, in Seſſione promulgata fuerunt.* Nam decreta Tridenti per ſolos Patres Theologos, & Doctores religioſè adeò facta, formata, ac ſtatuta fuiſſe oſtendit, vt, non niſi omnibus ſingillatim, ac pleniſſimè ſatisfactis, quicquam decerni potuerit, deliberationumque notitiam, poſt factum tantummodò, Pontifici delatam eſſe.

SESSIO VI.

Sexta ſeſſionis materię à Patribus. IN hac Seſſione de Diuina gratia, aliiſque actum fuit, ſed Patribus, ac Theologis auctoribus, quòd Pontifex, non ſolùm nullas adhuc inſtructiones miſiſſet; ſed quia dicat pag. 185. *Diuinam gratiam è præcipuorum Theologorum ſententia, in medium allatam fuiſſe, & ex ea determinatione concluſum, vt è Martini Libris, Colloquÿs, Apologÿs, cæteriſque Lutheranorum, aliorumque ſcriptis articuli diſcuſſioni, & cenſurę ſubÿciendi ſeligerentur: & tres Patres, totidemque Theologos deſtinatos eſſe, qui ea, quæ ſuggererentur, ſimul colligerent, articuloſque ordinarent.*

Vt etiam confirmat, cum dicat pag. 187. *Prępoſitos ad iuſtificationis articulos colligendos, cum extractus propoſitionum ab vnoquoque recenſitarum recepiſſent, vt cenſurę ſubÿcerentur, non omnino concordes fuiſſe, quòd alÿ quatuor, aut ſex fundamentales nouæ doctrinæ articulos, alÿ autem omnes*

cenſu-

cenſura dignos damnari contenderent. Et cum ij, qui celerem Synodi expeditionem cupiebant (nempè Pontificij, vt poſteà declarat) *priorem probaſſent opinionem, Patres alteri nihilominus adhæſerunt affirmando, oportere omnes Lutheranæ doctrinæ propoſitiones examinare, eaſque proſcribere, quæ, maturâ deliberatione habita, congruere, & neceſſe eſſe viderentur, ac viginti quinque idcircò articulos formatos fuiſſe.* Nam nil prorſus circa materias pertractandas, citra Patrum, immò, & Theologorum, quoque conſilium, aſſenſum, ſuffragium, explicitamque voluntatem, factum fuiſſe docet.

Quorum arbitrium illimitatum in his omninò fuiſſe itidem ſuggerit, quia, cum Legatus Sanctæcrucius dictæ controuerſię de gratia finem imponi cuperet, *ea re ſemel, atque iterum in Congregatione propoſita, obtinuiſſe tandem* concludat pag. 202. *vt de operibus præparatorijs, deque legis obſeruantia ageretur.* Nam, cuncta à ſola Patrum voluntate ſic dependiſſe confirmat, vt quæ ipſi etiam Legati voluiſſent, à Patribus impetrarent.

Liberi itidem arbitrij materia à multis ea occaſione introducta fuit, vt ſubijcit: Cardinaliſque idcircò propoſuit; *an de ea quoque ſimul peragi, è re eſſe cenſerent, cum eæ connexione, ſeparari non poſſe viderentur: & Prælatos, Theologoſque electos fuiſſe, qui articulos cenſuræ ſubijciendos, è Lutheranorum libris ſeligerent.*

In Prædeſtinationis quoque diſſertationem, è re nata, inciderunt pag. 205. atque *articulos è Proteſtantium doctrina extrahi* decreuerunt.

Et, non tam in rebus fidei, quàm Reformationis pari pollebant arbitrio, cum perhibeat 185. *Congregationem,* *Reformationis materia.*
ad ordinandas Reformationis materias, factam fuiſſe, quas approbationi ac ſuffragationi Patrum, ſubiecerint. *Et, cum ſubdat* 186. *Legatos aſſentiri coactos fuiſſe, vt in tractatione Reſidentiæ, vnà etiam de exemptionibus, quibus impediebatur, abolendis deliberaretur: mandatumque eſſe, vt*

quilibet animaduerteret, ſuamque aperiret ſententiam: deſignatoſque fuiſſe, qui decretum examini ſubijciendum formarent, apertum magis, magiſque facit, Patrum hac in parte, arbitria omninò illimitata fuiſſe; cum non vltrà progredi proculdubiò poſſent, quàm vt Legatos ipſos ad ea tractanda compellerent, quæ ad ſolam Sedem Apoſtolicam pertinebant, vt erat abrogatio exemptionum Apoſtolicarum.

Decreta itidem à Patribus.

Vt etiam in formatione decretorum perſpicitur, cum verbis parimodo apertiſſimis dicat 199. *in Congregatione, habita 20. Auguſti, cum ſatis ad Anathemata formanda, dictum ſupra 25. articulis videretur, propoſitum eſſe Patres, ad ea componenda, decerni: treſque Epiſcopos, totidemq; Ordinum Generales, ac primum inter eos Sanctacrucium nominatos fuiſſe, Canonumque modulum feciſſe, ac propoſuiſſe, quò de eis in ſequentibus Congregationibus diſquireretur.*

Et iteratò, pag. 209. *Liberi arbitrij, Prędeſtinationiſq; examine per Theologos abſoluto, atque Anathematiſmatibus etiā in eis materijs formatis, obiectiones à multis, vbi verbum aliquod eorum ſenſui alienum occurreret, factas fuiſſe: & cum lectio, ex modulo facto, pro maiori parte, longa, & haud facilè ob veritatis cum falſitate, rerumque approbatarum cum reprobatis, mixtionem, intelligibilis euaderet, vtrique incommodo, ex Epiſcopi Senogallienſis Conſilio, occurſum eſſe, cum doctrinam Catholicam ab aduerſa ſeiungi, duoque decreta fieri monuiſſet, in quorum altero totus Eccleſiæ ſenſus continuatim declararetur, confirmareturque, in altero verò contrarius damnaretur, anathematizareturque, ac primùm ideò Anathematiſmata ſeparatim, ac demùm alterum decretum, formata fuiſſe, illudque doctrinæ Decretum, illud verò Canones appellaſſe, eumque Stylum in ſecunda poſtmodum, ac tertia Synodi Reductione perpetuò ſeruatum eſſe: demùm concludens* (pag: 210.) *Sanctacrucium, ſuprà quàm credibile eſt, laboraſſe, euitando, quoad eius fieri potuit, ne quid eis inter Scholaſticos controuerſum inſereretur, ſic attingendo, quæ*

omitte-

omittere non potuit, vt ſatis omnibus fieret, in ſinguliſque Congregationibus, quæ non probarentur animaduertiſſe, & ex cuiuſque monitu deleuiſſe, aut caſtigaſſe, vt fusè recenſet. Nam ex his apertiſſimum facit, decreta, è ſingulorum omninò comprobatione, non Romæ, ſed Tridenti, facta fuiſſe, & ità etiam perpetuò formari conſueuiſſe. Cũque addat, Cardinalem, *poſtquam decretum Tridenti ab omnibus probatum fuit, illud Pontifici miſiſſe, à quo Cænobitis, aliſque Romanæ Curiæ Litteratis examinandum propoſitum fuerit*, adeò inſuper falſum eſſe oſtendit, decreta Romæ per Pontificem formari, ab eoque poſtea Tridentum per Tabellarios mitti conſueuiſſe, vt contrarium immò factum omninò fuiſſe comprobet.

De Reformationis decretis pari modo ait pag. 216. *Legatos perpendiſſe, cum non tota Reformatio in ea Seſſione fieri poſſet, exordiri eam oportere, ſuamque, temporibus quoque ſequentibus, portionem relinqui, ideòque annuiſſe Legatos, vt exemptiones Clericis priuatis, & Cœnobitis extra clauſtra degentibus, Capituliſque in rebus tantummodò Criminalibus adimerentur, cum maiora, ex eis proueniant incommoda, ac facultate etiam ablata conferendi eis ordines Clericales, qui in Diœceſi propria non reſideant, aliorumque abuſuum correctionem in alia quoque Seſſione proſequendam eſſe pollicendo.* *Reformationis decreta.*

SESSIO VII.

DE huius Seſſionis materijs, ait pag. 225. die *à Seſſione, Congregationem Generalem, ad decernendam, ordinandamq; materiam in futura Seſſione diſcutiendam, redactam fuiſſe: &, recenſitis* circà electionem materiæ fidei, Patrum, Theologorumque diſceptationibus, cum alij de *miniſterio Eccleſiaſtico*, alij verò *de poteſtate Eccleſiaſtica* peragi proponerent, *concluſum tandem fuiſſe* (inquit) *de Sacramentis agere.* *Tam ſeptima huius quàm aliarũ ſubſequentiũ omnium Seſſionum materia ęque fidei, ac reformationis à Patribus & Theologis emanarunt;*

Quæ fidei materia, & ea per conſequens, quę pro reformatione,

matione, circa eandem materiam, occurrerunt, cum vſque ad Synodi finem agitata fuerint (vt patet ex decretis) profectò liquet, ea, quæ in omnibus etiam Seſſionibus poſterioribus, tàm fidei, quàm reformationis, propoſita, atque agitata fuerunt, à ſolis Patribus, & etiam à Theologis emanaſſe. Quod, & inſcio Pontifice, factum inſuper fuiſſe docet, non ſolùm, quia in eademmet Congregatione, in qua ea propoſitio per Patres, & Theologos facta fuit, deliberatio itidem eis de rebus agendi emanauerit; ſed quia ibidem apertiſſimis pariter verbis addat, *Legatos, cum eorum dependentibus tractationi Sacramentorum, ob id intrinſecus adhæſiſſe, quòd in alia tractatione, quæ propoſita fuerat, de poteſtate Conciliorum, & Pontificis, alijſque arduis, quæ monère è re minimè eſſet, agi oportuiſſet*: nam materias ſibi adeò periculoſas, vtique proponi Pontifex non mandaſſet. Cumque hæc materia à ſolis Patribus, ac Theologis, inſcio Pontifice, emanaſſet, omnis etiam de materijs in reliquis Seſſionibus pertractatis, controuerſia dirimitur. Et licèt hac de re idcircò, vlteriùs quærendum non eſſet, cum, conſtito, materiam principalem, nonniſi à Patribus, ac Theologis emanaſſe, de alijs, quæ ex connexione, aut ex conſequentia, in diſceptationem venerunt, ambigi non poſſit; tamen inſtitutum noſtrum, etiam circa alia, de more, proſequemur.

Statuto itaque, vt de materia Sacramentorũ ageretur, ait pag. 226. *conſideratum fuiſſe, copioſam eam, & amplã eſſe, nec vnica Seſſione abſolui poſſe, aut facilè diſcerni, quotnam in partes diſtribuenda eſſet. Breuem ab Auguſtanis factam fuiſſe, cum quatuor Sacramenta reſecauerint, quæ idcircò exactiùs, ad illa iteratò ſtabilienda, pertractanda eſſent, atque è re eſſe, Sacramenta priùs in genere diſcuti, articuloſque è doctrina Lutherana erutos ordinari; mandatumque, vt, deſcendendo quoque ad Sacramenta in ſpecie, quotnam diſcutienda eſſe viderentur: vtque refor-*

matio definitionem fidei, dogmatumque conſequeretur, abuſus in miniſterio Sacramentorum occurrentes ſimul colligerentur, inſtituendo Congregationem Prælatorum, aliorumque Canonum conſultorum, qui de remedijs verba facerent, ſuper eiſque decreta formarent: & , ob promiſſionem proſequendi quoque materiam reſidentiæ, decretum eſſe, peculiarem aliquem de ea articulum agitari, eaque de cauſa in Congregatione ſtatutum, pag. 227. *res in Seſſione præcedenti omiſſas aſſumere, & de impedimentis amouendis, quæ non reſidere cogunt, tractare, inter quæ cum, velut maximè præcipuum, beneficiorum pluralitas occurreret, de ea peragi deliberatum fuit: & in materia Sacramentorum, non ſolùm articulos à præpoſitis formatos eſſe, ſed inſuper de ſcripto admoneri mandatum, ſi cui alius articulus cēſura dignus occurreret*. Et pag. 240. *Cõgregationē Canonum conſultorum formatam fuiſſe, ad colligendos, medendumque abuſibus, ipſas Sacramentorum materias in genere, & Baptiſmi, & Confirmationis in ſpecie, concernentibus*; & pag. 249. *Hiſpanos, Cenſura ſuper capitibus propoſitis facta eam Legatis, in Congregatione, ex ſcripto, exibuiſſe*. Et, ſi (vt addit 231.) *in aliquibus forſan non conueniſſent, difficultates ad Synodum, hoc eſt ad Congregationem Generalem reijciebantur*. Ex quibus adeò plena, & integra Patrum arbitria fuiſſe perſpicitur, vt, non ſolùm ipſi materias pertractandas proponerent, ſtatuerentque, ſed articulos etiam colligerent, ordinarent, formarent, ac de ſcripto, quoque vnà cum abuſibus, in eis materijs occurrentibus, eorumque remedijs exhiberent: idque adeò liberè, vt, cum difficultates occurrerent, eas, non in Pontificem, aut Legatos, ſed in Patres tantummodò reijcerent.

Decreta, pari modo, à Patribus, Theologis, ac Doctoribus formata, ac facta fuerunt, vt pag. 240. vbi *cum Articuli per Theologos diſcuterentur in Canonum Conſultorum Congregatione decretum ſex capita continens formatum fuit*. *Decreta à Patribus.*

fuit: & pag. 241. *licèt Canonum conſulti, faciliùs in his decretis, quàm in ſuis diſcuſſionibus Theologi conueniſſent, aliqua tamen inter eos diſſentiones remanſerunt*: nec eis etiã, poſt longas altercationes, conuenientibus, *dubijs formatis, ea Congregationi Generali explicanda prabuerunt*: & pag. 243. *Patres ad decreta formanda prapoſiti, Theologorum ſententijs, concluſionibuſque, in quibus conuenerunt, expenſis, quatuordecim Anathemata de Sacramentis in genere, decem verò de Baptiſmo, & triã de Confirmatione in ſpecie, tali forma explicata formarunt, qua ſatis omnibus fieret: & in capitibus ad explicandam doctrinam componendis, cum ità fieri non poſſet, quin magis ab aliqua parte penderent, rem pari modo ad Congregationem Generalem reiecerunt*, in qua ea ratione cautum fuiſſe concludit, qua *res omnibus probarentur*.

Vt & pag. 255. Legati (vt ait) *decretum quindecim capitibus formari mandarunt, illudque in Congregatione propoſuerunt*. Vbi cum addat, *ſuper eo maiores, quàm anteà difficultates* (ob ea quæ recenſet) *emanaſſe, illudque à tribus partibus approbatum fuiſſe*; profectò, non Pontificem, aut Legatos, ſed ſolos Patres decretorum auctores, formatores, arbitroſque reuera extitiſſe docet; cum & alia etiam decreta approbata itidem ab eis fuiſſe, proſequendo, recenſeat.

Ait tamen pag. 249. Prælatos Hiſpanos cum alijs, qui eos ſequebantur, omnium ſeſe caput conſtituente Cardinali Pacecco, ſimul numero viginti conuenientes concluſiſſe, ex ratione in Congregationibus introducta, nil boni ſtatui poſſe, quòd quicquid ad rem afferatur, ab eis, qui regebant actiones diſſimularetur, vel contentionibus obſcuraretur, ac neceſſe ideò eſſe ab ea ratione recedere, petitioneſque in ſcriptis exhibere, quia ita res ad exitum perueniſſet, ac Cenſura ſuper capitibus propoſitis facta, eam Legatis in Congregatione dediſſe (quam Cenſuram ibidem recenſet.) Legatoſque turba-

tos

tos fuiſſe, non tam quia multos articulos in medium allatos viderent, qui omnes in id collimarent, vt auctoritatem Pontificiam coarctarent, Epiſcopalemque amplificarent, quàm, ob eius principij momentum, petitiones de ſcripto exhibendi, multoſque in vna petitione conueniendi: ac monendo Pontificem de libertate, quam Prælati ſibi quotidie maiorem arrogabantur, cum de Cardinalibus irreuerenter loqui non ceſſarent, quos in ordinem cogi neceſſe eſſe, palam dicerent, & de Sanctitate eius itidem minus quàm deceat reuerenter, quòd nonniſi verbis paleat, & Concilio ad populorum deſideria inanibus expectationibus detinenda, non autem ad Reformationem faciendam, abutatur, nec facilè poſtmodum in officio contineri poterunt: quòd inter ſe ſæpe coitiones, congregationeſque haberent: & aliquam reipſa Reformationem Romæ facere, eamque ante Seſſionem edere è re eſſet; Hiſpanorumque cenſuras miſiſſe, expendentes, quò eorum cæpta tenderent, in futurumque progredi poſſent; quandoquidem veriſimile non ſit eos, abſque alicuius magni Principis adhærentia, & calore, & forſan inſtigationibus, eò vſque audere: & quidnam per eos faciendum eſſet petijſſe, in eaque ſententia ſe eſſe, vt acriter perſiſtentes, nulla in parte cederent, idque, non tàm ob rerum pondus, quàm ne aditus Prælatis ad ea, quæ non eis vltrò concedantur, per vim, & ſeditionem extorquenda, aperiatur, quod nonniſi ab eorum arbitrijs pendère, ſeſeque in diſcrimen aliquid conijcere eſſet.

Sed, cum eoſdem Legatos concluſiſſe ſubijciat, *enixuros ſe, ne in diſputationibus ſuperentur, ſed tandem, poſt diſputationes, non cedentibus Aduerſarijs, ad plura, aut pauciora ſuffragia neceſſariò deueniendum fore, qua in concludendo non ponderentur, ſed numerentur*; vnà etiam confirmat, deliberationes, nonniſi à ſola Patrum ſuffragatione, purè, integrè, atque omninò liberè dependiſſe: &

quàm malignè ideò hæc, Hiſpanorum ore, proferat.

Subditque pag. 251. *Congregationem Romæ perpendiſſe æque, totum negare, ac totum concedere, periculoſum eſſe, & ſi Legati ſuperiores fore pluſquam certi non eſſent, modificationum partem, aut omnes concedere poterant, quemadmodum res in ipſo facto conſuluiſſet, quę cuique ſingillatim articulo cenſuræ Hiſpanicæ, in forma reſponſionis digeſta erant* (quas recenſet.) Quam reſponſionem Pontificem Tridentum miſiſſe ſubijcit, *permittendo prudentiæ Legatorum, vt, re cum beneuolis benè exagitata ea ratione decernerent, quam magis, in ipſo facto, expedire cenſuiſſent, partem petitionum, aut omnes concedendo, non excedendo tamen fines Romæ in Congregatione pręſcriptos, eiſdem itidem permittendo cuncta, etiam, ſi id facere poſſe viderent, denegare*; ex quibus magis, magiſque comprobat, deliberationes omnes à ſolis Patribus dependiſſe.

Et licèt addat, Pontificem itidem ſcripſiſſe Lagatis, vt capita doctrinæ Sacramentorum penitus omitterent, & ſola Anathematiſmata vulgarent, in quibus omnes conuenerunt, quandoquidem doctrina illa ſine aliquo periculo explicari non poſſit: & decreta abuſuum Sacramentorum Baptiſmi, & Confirmationis omninò prætermitterent, cum impoſſibile eſſet, eam materiam, ſine læſione totius Ordinis tenuiorum Clericorum, ac Regularium attingere, & quia nimium concederetur hæreticis, fatendo in præteritis temporibus notabiliter abſurda conceſſa fuiſſe; nihilominus poſteà docet, id Pontificem, non præcipiendo, ſed tantummodò conſulendo dixiſſe, cum pag. 258. hæc *conſultationi Patrum ſubiecta fuiſſe* narret, *& maioris numeri conſenſum feciſſe* concludat, *vt pro ea opinione decerneretur*: & pag. 319. perhibeat, *Concilium coactum fuiſſe in Seſſione, opinionem Sacramentorum (circa doctrinam explicandam) ob vrgentes cauſas mutare*. Quod, cum ex *neceſſitate* feciſſe ſubdat, non ergo ex pręcepto Pontificis fuiſſe docet.

SE-

Secunda Synodi Reductio ſub IVLIO III.

SYnodo in Ciuitate Bononiæ redacta, cum dicat pag. 267. Legatos *ignoraſſe quæ agenda eſſent, ac Pontificem mandaſſe, ne ad actionem vllam procederent, quæ impugnari poſſet*; proculdubiò Pontifex, non ſolùm agenda non præſcripſit, ſed nec ea quidem in futurum præſcribere voluit. Nam quorſum ea mandata, ſi, nonniſi ex ſolo ſui præſcripto, proponi, aut peragi voluiſſet, aut potuiſſet?

Pontifex Cõcilio ad Bononiam tranſlato, non ſolum agenda non præſcripſit, ſed nec etiam præſcribere voluit.

SESSIO 8. 9. 10. 11. 12. 13.

SEd Synodo ad Tridentum reſtituta, Seſſionibus 8. 9. 10. 11. & 12. dilatis, ait Synodum in 12. ſtatuiſſe, ac decreuiſſe (quemadmodum in ipſo decreto exponitur, & Auctor recenſet pag. 311.) *vt Concilium in ſtatu, in quo reperiebatur, proſequendo, cum in præteritis Seſſionibus de ſeptem Sacramentis Nouæ Legis in genere, & in ſpecie de Baptiſmo, & Confirmatione definitum fuerit, de Sanctiſſima Eucharistia Sacramento, nec non, quod ad Reformationem attinet, de reliquis agi, & tractari debere, quę ad faciliorem, & commodiorem Prælatorum reſidentiam pertinent*: & de his in hac Seſſione tractatum fuit. De quibus Sacramentorum materijs, tàm in genere, quam in ſpecie, eorumque abuſibus, cum iam in ſeptima Seſſione, *Patribus, ac Theologis proponentibus pariter, ac decernentibus* (vt vidimus) *peragi ſtatutum eſſe*; id nunc meminiſſe ſufficiat, ne eadem in ſingulis Seſſionibus, non ſine legentium tædio, repetere cogamur.

Seſſionis xiii. materia iam à Patribus. & Teologis ſtatuta erant.

Quemadmodum, & ipſos articulos, non niſi ab eiſdem Patribus ſelectos fuiſſe docet, ſubdens 316. *die ſecunda Septembris, quæ proxima à Seſſione fuit, Generali Congregatione coacta, in ea Patres electos fuiſſe, qui articulos Eu-*

Tam fidei quàm reformationis articuli ab eiſdẽ Patribus ſelecti.

quàm malignè ideò hæc, Hiſpanorum ore, proferat.

Subditque pag. 251. *Congregationem Romæ perpendiſſe æque, totum negare, ac totum concedere, periculoſum eſſe, & ſi Legati ſuperiores fore pluſquam certi non eſſent, modificationum partem, aut omnes concedere poterant, quemadmodum res in ipſo facto conſuluiſſet, quæ cuique ſingillatim articulo cenſura Hiſpanica, in forma reſponſionis digeſta erant* (quas recenſet.) Quam reſponſionem Pontificem Tridentum miſiſſe ſubijcit, *permittendo prudentia Legatorum, vt, re cum beneuolis benè exagitata ea ratione decernerent, quam magis, in ipſo facto, expedire cenſuiſſent, partem petitionum, aut omnes concedendo, non excedendo tamen fines Romæ in Congregatione præſcriptos, eiſdem itidem permittendo cuncta, etiam, ſi id facere poſſe viderent, denegare*; ex quibus magis, magiſque comprobat, deliberationes omnes à ſolis Patribus dependiſſe.

Et licèt addat, Pontificem itidem ſcripſiſſe Lagatis, vt capita doctrinæ Sacramentorum penitus omitterent; & ſola Anathematiſmata vulgarent, in quibus omnes conuènerunt, quandoquidem doctrina illa ſine aliquo periculo explicari non poſſit: & decreta abuſuum Sacramentorum Baptiſmi, & Confirmationis omninò prætermitterent, cum impoſſibile eſſet, eam materiam, ſine læſione totius Ordinis tenuiorum Clericorum, ac Regularium attingere, & quia nimium concederetur hæreticis, fatendo in præteritis temporibus notabiliter abſurda conceſſa fuiſſe; nihilominus poſteà docet, id Pontificem, non præcipiendo, ſed tantummodò conſulendo dixiſſe, cum pag. 258. hæc *conſultationi Patrum ſubiecta fuiſſe* narret, *& maioris numeri conſenſum feciſſe* concludat, *vt pro ea opinione decerneretur*: & pag. 319. perhibeat, *Concilium coactum fuiſſe in Seſſione, opinionem Sacramentorum (circa doctrinam explicandam) ob vrgentes cauſas mutare*; Quod, cum ex *neceſſitate* feciſſe ſubdat, non ergo ex præcepto Pontificis fuiſſe docet.

SE-

Secunda Synodi Reductio ſub IVLIO III.

SYnodo in Ciuitate Bononiæ redacta, cum dicat pag. 267. Legatos *ignoraſſe quæ agenda eſſent, ac Pontificem mandaſſe, ne ad actionem vllam procederent, quæ impugnari poſſet*; proculdubiò Pontifex, non ſolùm agenda non prę-ſcripſit, ſed nec ea quidem in futurum præſcribere voluit. Nam quorſum ea mandata, ſi, nonniſi ex ſolo ſui præſcripto, proponi, aut peragi voluiſſet, aut potuiſſet?

Pontifex Cõcilio ad Boniam tranſlato, non ſolum agenda non præſcripſit, ſed nec etiam præſcribere voluit.

SESSIO 8.9.10.11.12.13.

SEd Synodo ad Tridentum reſtituta, Seſſionibus 8. 9. 10. 11. & 12. dilatis, ait Synodum in 12. ſtatuiſſe, ac decreuiſſe (quemadmodum in ipſo decreto exponitur, & Auctor recenſet pag. 311.) *vt Concilium in ſtatu, in quo reperiebatur, proſequendo, cum in præteritis Seſſionibus de ſeptem Sacramentis Nouæ Legis in genere, & in ſpecie de Baptiſmo, & Confirmatione definitum fuerit, de Sanctiſſima Eucharistia Sacramento, nec non, quod ad Reformationem attinet, de reliquis agi, & tractari debere, quę ad faciliorem, & commodiorem Prælatorum reſidentiam pertinent*: & de his in hac Seſſione tractatum fuit. De quibus Sacramentorum materijs, tàm in genere, quam in ſpecie, eorumque abuſibus, cum iam in ſeptima Seſſione, *Patribus, ac Theologis proponentibus pariter, ac decernentibus* (vt vidimus) *peragi ſtatutum eſſet*, id nunc meminiſſe ſufficiat, ne eadem in ſingulis Seſſionibus, non ſine legentium tædio, repetere cogamur.

Seſſionis xiii. materia iam à Patribus. & Teologis ſtatuta erant.

Quemadmodum, & ipſos articulos, non niſi ab eiſdem Patribus ſelectos fuiſſe docet, ſubdens 316. *die ſecunda Septembris, quæ proxima à Seſſione fuit, Generali Congregatione coacta, in ea Patres electos fuiſſe, qui articulos Eu-*

Tam fidei quàm reformationis articuli ab eiſdẽ Patribus ſelecti.

chariſtia, Theologis exhibendos, formarent, abuſuſque in ea materia illapſos colligerent, ac decem numero, è zuinglianorum, & Lutheranorum doctrina extractos, exhibuiſſe, qui die octaua agitari cœperunt.

De Reformatione verò inquit, *cum ea ad remouendas Epiſcopis non reſidendi cauſas, eſſe deberet, multas, & antè, Tridenti, & Bononiæ, tùm, & recenter propoſitas commemoratas fuiſſe, & in Iuriſdictione demùm conſtitiſſe, dicendo, Epiſcopos, partim cauſarum auocationibus, partim appellationibus, ac denique exemptionibus, ea penitùs deſtitutos eſſe; immò à ſubditis, vel ſpecialibus ab Vrbe commiſſionibus, vel conſeruatoriarũ vi, frequentiùs ſuper, & contra ipſos exerceri: eaque de re Patres ad formandos articulos electos* (quam materiam iam ſuprà à Patribus propoſitam fuiſſe vidimus) quorumque articulorum Pontifex conſcius eſſe non potuit, cum Patres ad eos ſeligendos, *die 2. Septembris* deſignarentur, & *antè diem octauam* eos in Congregatione exhibuerint, quo temporis ſpatio Pontifex moneri, aut conſuli proculdubiò non potuit.

Et inſcio etiã Pontifice.

Decreta pariter, doctrinas, & ſimilia ab eiſdem itidem facta, ac formata fuerunt. Nam (vt ait 319.) *Patres ei rei præpoſiti, è Theologorum ſententijs ſeptem Anathematiſmata formarunt, eiſque in Congregatione Generali propoſitis, antè omnia perpenderunt, non decere, eam materiam, ex ſolis Anathematiſmatibus miſſam fieri, quòd & antiqua Concilia conſueuerint, ſententiam ſemper Catholicam declarare, & contrariam poſtmodum damnare, Theologorumque Italorum ea in re præualente ſententia, mandatum eſſe, doctrinę capita formari, ad eamque rem Patres decerni: & capitibus ad octo redactis, vnà etiam occurrentes abuſus colligi, opportunaque remedia ſubdi propoſitum eſſe: In quorum Canonũ formatione multa à multis animaduerſa fuiſſe* ſubiungit: *& pleroſque perpendiſſe* pag. 320. *multi ponderis caput deeſſe, nempè explicandi, miniſtrum huiuſce Sacramenti eſſe Sacerdotem legitimè ordinatum.*

Decreta itidem, & alia tam fidei, quàm reformationis à Patribus.

Orta

Orta verò pag.321. inter Teologos *de ratione exiſtentia Chriſti in Eucbariſtia, & de tranſubſtantiatione, quæſtione, diuerſos modulos formatos pari modò fuiſſe* narrat 322. *&, cum nullus probaretur, eam tandem formationem nonnullis Patribus, ac Theologis, Nuncioque Veronenſi, qui præeſſet, à Congregatione Generali demandatam eſſe; & in materia abuſuum, quinque iisdem Canones formaſſe; & in fine Congregationis abuſus in hac eadem materia cum remedijs, ad eos extirpandos, colligi propoſuiſſe, multoſque in Congregationibus ſequentibus commemoratos eſſe: ad quorum, aliorumque remedium quinque Canones, vnà cum elegantiſſimo proemio, formaſſe* ait pag. 323.

Decreta etiam, ad Iuriſdictionem Epiſcoporum pertinentia, nonniſi per Patres, deque plurium ſuffragatione facta fuerunt, cum pag.329. loquens de Appellationibus, referat, *reſtituere iudicia Synodalia ferè ab omnibus reiectum fuiſſe, quòd auctoritatem Epiſcopalem minuat, popularitatemque ſapiat: per gradus in appellatione procedere, licèt ſuſtineretur à multis, pluralitate vocum excluſum eſſe: à ſolis definitiuis prouocare, ſed in rebus tantummodò criminalibus, placuiſſe: de iudicio verò contrà perſonas Epiſcoporum, Parochorum Synodo reſtituenda, nullum verbum, ſed vt res maiori Ordinis Epiſcopalis dignitate tranſigeretur, illud Pontifici remaneret, commiſſionibus tamen Apoſtolicis moderatis, per quas perſonis ordinis inferioris ſubijci cogebantur. Quod ab omnibus expetitum adeò fuiſſe* addit, *vt Legatus aſſenſum præbere cogeretur, tametſi nulla ei Epiſcoporum exaltatio probaretur, cum, quæcumque illis conferantur, Pontifici ſint ablata.*

Ex quibus quiſque facilè percipit, non minus fidei, ac reformationis materias, quàm decreta, doctrinas, & Anathemata per ſolos Patres propoſita, ſtatuta, ac formata fuiſſe: eaque inſuper Patres, eis in rebus, auctoritate, ac libertate præpolluiſſe, vt Legatos quinetiam ipſos cogerent. Quæ inſcio etiam Pontifice, facta fuiſſe

ſug-

De quibus Pō tifex poſt factū, conſcius factus fuit.

ſuggerit, ſubdens 320. *Legatum de omnibus per Theologos pertractatis, ac de Anathematiſmatibus formatis, deque ſtatutis circa materiā Reformationis, certum feciſſe Pontificem.* Nā nonniſi ergo poſt factum, conſcius factus fuit Vt ex eo quin inſuper docet, *quòd quamuis Legatus* (vt addit 330.) *Pōtificem qualibet hebdomada de omnibus, qua acciaiſſent certum feciſſet, eundem tamen Legatum, vnà etiam decretorum formulas, in Congregatione ſtatui voluiſſe*, affirmet, *quò eorum exemplaria mittere, reſponſumque, accipere poſſet*; cum ex hoc nihilominus (velit nolit) confirmet, decreta priùs in Synodo *per Patres formari, ac ſtatui*, conſueuiſſe, quàm ad Pontificem mitterentur.

Et Patrum arbitrium, non tàm in materijs præſcribendis, decretiſque formandis, quàm in alijs quoque perſpicitur. Cum namque Comes Monfortij, Orator Cæſaris, inſtitiſſet, eadem pag. 320. vt Proteſtantibus Saluusconductus per Synodum concederetur, & ne materiæ Euchariſtiæ controuerſæ, ſed præcipuè Communio Calicis, ante eorum aduentum, agitarentur, licèt dicat, *Legatum rem* Pontifici ſignificaſſe, qui eas petitiones Romæ in conſultatione poſuerit, & formulam Saluiconductus miſiſſe, materiamque Calicis differri annuiſſe; tamen vtramque deliberationem (*an ſcilicèt Saluuſconductus concedendus, & qua forma: & an materia Calicis differenda eſſet*) in Congregatione Generali, per Patres diſcuſſam, ex eorumque ſuffragatione ſtatutam fuiſſe oſtendit pag. 330. & 331.

Immò, cum Proteſtantes materias differri, Saluumque conductum, ex formula Baſileenſis peterent, itidem ait: 356. non ſolùm, *Patres dilationem, & Saluumconductum, conceſſiſſe, ſed, & modum eos recipiendi, cum eiſque agendi, immobili ſemper* (vt ait) *Legato, & neceſſitate coactum acquieſcere apertiſſimè oſtendente, ſtatuiſſe, deliberatumque fuiſſe* (ſubdit) *vt die 24 menſis Congregatio Generalis haberetur, in qua Oratores Saxones reciperentur, audirentur-*

renturque, *& die* 25. *præſtituta Seſſio haberetur*, *in qua dilatio vſque ad Theologorum Proteſtantium aduentum*, *publicaretur*, *Patreſque eligerentur*, *qui*, *vnà cum Nuncio Sipontino*, *Decretum*, *Proteſtationem*, *Saluumque conductum formarent*; Quæ omnia, cum in eadem Congregatione propoſita, ac, *Legato neceſſitate coacto* deliberata fuerint, profectò indubitanter confirmant, Patres quæcumque agenda eſſent, inſcio penitùs Pontifice, liberè omninò feciſſe, ac ſtatuiſſe, vt patet etiam in ſequentibus ex mutationibus, & alijs ad hæc ſpectantibus: & falſum ideò eſſe, nil, niſi Pontifice mandante, fieri conſueuiſſe.

SESSIO XIV.

Decime quarte ſeſſionis materia, & articuli, tam fidei, quę reformationis à Patribus.

IN hac dixit pag. 336. *die à Seſſione Congregationem Generalem coactam fuiſſe*, *ad diſponendum*, *vt de Pænitentia*, *& Extrema Vnctione*, *deque Reformatione continuanda ageretur*: & 337. *cum iam de eis peragi ſtatutum eſſet*, *aliquod verbum de Reformatione factū eſſe Patreſque deſignatos*, *qui articulos*, *in materia fidei*, *vnà cum Nuncio Veronenſi*, *& de Reformatione cum Sipontino*, *ordinarent*: *& in materia fidei*, *in eo quod ad Sacramentum Pænitentiæ pertinet*, 12. *articulos è libris Martini*, *aliorumque eius diſcipulorum erutos ſe*, *quò per Theologos diſquireretur*, *an vt hæretici habendi*, *ac proſcribendi eſſent*. *Quos poſteà*, *Theologorum auditis ſuffragijs*, *adeò in Anathematibus formandis*, *immutatos fuiſſe* (inquit) *vt*, *cum nullum de eis remaneret veſtigium*, *eos recenſere ſuperuacaneum duxerit*. *Quibus quatuor alios Extremę Vnctionis articulos*, *Anathematibus ſtabilitis*, *per omnia reſpondentes additos eſſe*; ſubiungit: *& reformationis articulos quindecim numero formatos*, *qui capitibus*, *quę poſteà ſtabilita fuerunt* (*decimo quinto excepto*) *reſpondebant*.

Decreta, doctrinę. & alia à Patribus.

At circa decreta, & doctrinas, recenſito ordine, de modo ſuper eis capitibus loquendi, in Congregationibus ſeruato, concludit pag. 338. *ab his variorum paleæ gene-*

confidentibus propalauerit; nempè, non expedire vſui contendendi, & tàm liberè loquendi introducere, qui & Proteſtantes, ſi veniſſent, tantundem itidem ſibi, ac noſtri pro ſuis opinionibus arrogaturi eſſent; malignitatem propriam, de more, detegit; non ſolùm, quia Proteſtantium aduentus deſperatus omninò eſſet (vt idem paſſim affirmat;) ſed quia eam contendendi, & liberè loquendi, immò & poſtulandi libertatem perpetuò in Synodo poſteà permiſſam fuiſſe, illicò doceat, ſubdens eadem pag. 343. *Theologos, in eo quod ad Extrema Vnctionis Sacramentum pertinet, eadem prolixitate locutos eſſe*; vt & ex alijs poſtmodum aperit, quæ ſuis locis ad notabimus.

Cumque ſubdat, *Cardinalem addidiſſe, ad boneſtam, & rationabilem Concilij libertatem, ſatis ſuperque eſſe, ſuam ſententiam, dum res in contentione ſunt, aperire, ſed poſtmodum, quando, omnibus auditis decreta à Prępoſitis formata ſunt, & à Præſidentibus approbata, viſa quoque, & examinata, & approbata Romæ, ea in dubium reuocare, & è re propria, mutationes in eis requirere, nimiæ licentiæ eſſe*; quidnam certius; & quòd ſoli Patres deliberationum Auctores eſſent, & Pontificem, nonniſi poſtquam decreta Tridenti formata, & approbata erant, & Patribus omninò ſatisfactum, earum conſcium fieri conſueuiſſe? Nam, an ipſe Cardinalis id tàm audacter, aſſeueranterque palàm omnibus affirmaſſet, vel Patres publicam eam aſſertionem, abſque vlla prorſus contradictione, admiſiſſent vnquam, vt fecerunt, ni ità reuera factum fuiſſet?

Pontifex, nonniſi poſtquam decreta formata, ac ſtatuta erant à Patrib. de eis conſcius erat.

Vt demùm ex facto comprobat, referens eadem pag. 343. ſuper *Theologorum ſententijs tria doctrinę capita, & quatuor Anathematiſmata formata eſſe: & in materia Reformationis* (in qua vt dictũ eſt, quatuordecim articuli propoſiti fuerant, omnes ad iuriſdictiõnẽ Epiſcopalẽ pertinẽtes) *auditis pariter, in eorum tractatione, ſententijs Canonum*

conſultorum, omnibuſque de ſcripto in Congregatione Generali relatis, ad formationem decreti deuentum fuiſſe, vt 344. fusè recenſet: Ex quibus, & materias, & decreta, & doctrinas, eius etiam Seſſionis, (quemadmodum, & aliarum) à ſolis Patribus Tridentinis omninò emanaſſe, compertiſſimum facit.

SESSIO XV.

Seſſionis decimę quintę materia, & articuli à Patribus.

POſt Seſſionem ait pag. 351. *Congregationem Generalem fuiſſe, vt diſcuſſioni materię Sacrificij Miſſæ, Communionisque Calicis, & puerorum, ordo ſtatueretur: Et licèt decreta iam pro Seſſione diei vndecima Octobris, & poſteà dilata, formata eſſent, tamen, perindè, ac ſi nil prorſus actum fuiſſet, ea de reiteratò tractaſſe, Patreſque elegiſſe, qui articulos diſputandos colligerent, & qui decretum formarent, ſeptemque articulos formaſſe* (quas materias iam Patres collegiſſe recenſuit) *in eorumque electorum numero cooptatos fuiſſe addit, Oratorem Ferdinandi, & Iulium Plugium Namburgi Epiſcopum, & Electorem quoque Coloniæ, maioris honoris gratia, quò tota ea doctrina è Germania, non ab Vrbe emanare videretur: & 13. Anathematiſmata, & quatuor poſteà doctrinæ capita formata eſſe. Quę ad ſolemnitates Natalitias ſtatuta fuerunt, licèt poſteà in Seſſione ſequenti non promulgarentur.*

At pag. 353. Natalitijs ſolemnitatibus peractis. Congregationem Generalem habitam, pari modo ait, *vt tractationi Sacramenti Ordinis forma præſcriberetur, Patreſque de abuſibus indè in Eccleſiam illapſis verba feciſſe: & primùm è re eſſe cenſuiſſe articulos è Lutheri doctrina extractos, de more, proponere, & poſtmodum, quinam eorum, vt hæretici damnandi eſſent, diſcutere, & Anathematiſmata, & capita doctrinæ formare, & demùm de abuſibus agere; duodecimque ideò articulos Theologis traditos eſſe:* & pag. 354. *Prælatos deſignatos ab eorundẽ Theologorum ſententijs octo*

primùm

primùm Anathematiſmata, & quatuor doctrinæ Capita ſuper eis formaſſe, eaque omnia, cum à Congregatione Generali approbata eſſent, in decreto ſub eodem contextu, cum eo de Sacrificio, collocata fuiſſe, quò in Seſſione publicarentur: licèt Synodo poſteà ſuſpenſa, ob ea, quæ recenſet, exequi non potuit. Quod cauſæ fuiſſe ſubijcit, vt *nec etiam quæ in eis Congregationibus Decembri, & Ianuario habitis agitata fuerunt, ſpecialiùs recenſuerit, cum eadem materię in tertia Synodi reductione ſub Pio IV. iteratò agitatę eſſent, ac decreta immutata.*

Decreta pari modo à Patribus.

Cum, & electos etiam Patres fuiſſe, addat 356. (vt paulò antè notauimus) *qui vnà cum Nuncio Sipontino, tùm decretum, tùm Saluumconductum, ac proteſtationem in receptione Oratorum Saxonum faciendam formarent:* & certiſſimum, per conſequens, facit, materias, decreta, Canones, Anathemata, doctrinas, & quæuis alia, per ſolos Patres Tridentinos præparata, præſcripta, ſelecta, ac ſtatuta fuiſſe.

SESSIO XVI.

SEſſione præcedenti prorogata, cum intereà de Sacramento Matrimonij peragi, & de Reformationis materia proſequenda decretum eſſet, ait 363. *Legatos in eius decreti executionem, Congregatione Generali coacta, electiſque Patribus, triginta tres articulos per Theologos diſcutiendos, in ea materia exhibuiſſe: & Canones per Prępoſitos è præcipuarum rerum diſcuſſione iugiter formari mandaſſe, nonnullaſque Congregationes factas fuiſſe, & ad ſex Canones formatos.* Sed querentibus (vt inquit) Proteſtantibus, ac Cæſare vrgente, vlteriùs progredi deſtitiſſe, Synodumque tandem ſuſpenſam eſſe.

Decima ſextę Seſſionis materia, articuli, & decreta à Patribus.

Digitized by Google

Tertia Synodi Reductio ſub
PIO IV.

SESSIO XVII.

Decretũ apertionis Synodi in tertia reductione fit à Patribus.

IN hac decretum apertionis Synodi ex foma, in quam *Patres cum Legatis*, poſt longam diſcuſſionem, conuenerant, formatum fuit pag. 454. & cum, ad ordinem ſeruandum, res tractandas per Legatos proponi,è re eſſe decerni perſpicerent, nonniſi ex eorundem Patrum aſſenſu, ac ſuffragatione fieri pariter potuiſſe oſtendit,dum ibidem præciſis verbis affirmat, *Legatos, tùm propoſitionis arduitatem animaduertiſſe; tùm contradictionem præuidiſſe, multamque per eos artem adhiberi oportuiſſe, vt ſuauiter, incautèque reciperetur*. Sed cum dicit, id, eo fine, à Legatis factum fuiſſe, vt, cæteris alijs omnibus ſecluſis,ipſi ſoli proponere poſſent, propriam detegit malignitatem, non tàm quia, ex recenſione auctoris 134. illud munus ſibi ſolis, iam in principio, abſque vlla prorſus contradictione, reſeruaſſent: eiſque ſolis (vtpote dignioribus) ex vſu perpetuò in Eccleſia ſeruato competeret, (vt ex auctore docebimus in ſequenti Capite;) ſed quia, licèt eis ſolis competeret, omnibus nihilominus indifferenter pro libito, proponere permiſerint, vt in ſequenti Capite. fusè probabimus: & Polanus ipſe immediatè docet,cum Archiepiſcopum Granatæ articulum Reſidentiæ de Iure Diuino propoſuiſſe narret 472.

SESSIO XVIII.

Seſſionis 18. propoſitiones ſuffragationi Patrum ſubijciuntur.

Cœtu coacto, in eo tres popoſitiones à Legatis factæ fuerunt, pag. 457. *Prima, vt Libri editi per varios Auctores, poſt hæreſes ortas, vnà cum cenſuris Catholicorum in eos, examinarentur, quò quid de eis, per Synodum ſtatuendum eſſet, decerneretur. Secunda, vt Tridenti, ex de-*

creto

creto Synodi, omnibus, quorum intererat, dies diceretur; Ac demùm, an in hæreſim lapſi, impunitate, ac Saluoconducto propoſito, ad pœnitentiam inuitandi eſſent. Quæ deliberationi Patrum ſubiecta fuerunt, cum mandatum fuiſſe addat, vt *Patres, propoſitionibus expenſis, ſuam ſententiam in ſequenti congregatione dicerent.*

Subdit tamen pag.466. in Seſſione Breue Pontificis lectum eſſe, quo materiam Indicis Synodo permittebat. Quod non fuit pro facultate dictam materiam librorum proponendi, cum iam ante exhibitionem dicti Breuis, propoſita,& agitata eſſet; ſed quia, cum Index (vt ſubijcit) *tam à Paulo IV. ſtatutus eſſet, ſuperioritas in Concilio argui potuiſſet, ſi Tridenti agitaretur, & ad huiuſmodi præiudicium vitandum, è re eſſe cenſuiſſe id ex ipſius Pontificis permiſſione fieri*: in quo Patrum arbitrium in eo quod pertinet ad res propoſitas, certius apparet. Nam, an Pontifex ea vnquam proponi mandaſſet, ex quibus eius ſuperioritas vocari potuiſſet in dubium? *Index librorum à Patribus propoſitus.*

Quemadmodum, & concludentiſſimè probat dicens pag.462. *libertatem Legatis datam fuiſſe eligendi Patres ad Congregationem ſuper Indice formandam, & alios ad futuræ Seſſionis decretum faciendum*: nam non tàm circa materias, & decreta ſolùm, quàm circa electionem etiam eorum, per quos Congregationes fieri,& decreta formari debuiſſent, integra libertate potiebantur Patres, dum Legati, non pro libito, ſed *libertate* (vt præciſis verbis inquit) *à Synodo accepta*, procedebant, quò totum eorum placitis reſeruarent.

Vt & iteratò ſubijciens 463. *Oratores Cæſareos, die 13. Februarij quinque petitiones Legatis expoſuiſſe, quas etiam ex ſcripto dederint. Cum enim dicat, Legatos, decimaſeptima eiuſdem, ſingulis reſpondendo, ſatisfeciſſe, decretumque per Præpoſitos in terminis generalibus formatum fuiſſe; tùm vt Cæſareorum petitionibus annuerent; tùm quia materia ſatis digeſta non eſſet;* non ergo deliberatio-

nes

nes à Pontifice emanarent, cum à die decimatertia ad decimamſeptimam ſpatium Romam ſcribendi non fuerit.

Inquit poſtea, pag. 464. de Saluoconducto, & alijs, quæ ſupra pag. 457. & ſequentibus, propoſita in diſcuſſione fuerant, Legatos, *difficultate, præſertim ob Inquiſitionem Romanam, & Hiſpanicam detecta, illud totum ſcripſiſſe, quod tàm circa illud caput, quàm circa Indicem dictum fuerat, & reſponſum à Pontifice expectaſſe:* & pag. 467. Pontificem ad monita Legatorum reſpondiſſe, *non eſſe hæreticos ad pœnitentiam, cum promiſſione veniæ, inuitandos, quia, cum id ſemel per Iulium, & iteratò per Paulum IV. factum eſſet, nullum peperiſſet effectum &c: & Saluumconductum eis omnibus dari commendabat, qui ſub Inquiſitione non ſint, quæ exceptio tamen exprimenda non eſſet* &c. *modumque id exprimendi ad Synodi beneplacitum reijciebat; addens, eam ſe formam laudare, quam Synodus Germaniæ dederat anno* 1552. *Præpoſitoſque Indicem proſequi mandauit &c.* Sed has deliberationes liberæ Patrum diſpoſitioni attamen reliquiſſe aperit, illicò ſubdens, *reſponſo accepto, Congregationem Generalem coactam fuiſſe, ad decernendum, an generalis venia publicanda eſſet, Saluuſque conductus concedendus, & quanam forma vtrique danda: & poſt longas diſputationes, rem, è Patrum ſuffragatione, concluſiſſe, difficultateſque, omnes ſuperatas, & decretum in tres partes formatum fuiſſe.* Vbi cum addat, *Legatos, auctoritate Pontificis nullatenus immixta, operam dediſſe, vt deliberatio ex mente Pontificis caderet,* eò magis patet, deliberationes à Patribus dependiſſe, apud quos dexteritate etiam agendum eſſet, vt è ſententia res, caderent.

Deliberationes à Patribus.

SESSIO XIX. XX. & XXI.

Decimanona, & vigeſima Seſſiones prorogatæ fuerut: & Legati (vt inquit 469.) *Die* 11. *Martij, duodecim*

decim articulos, in ſequentibus Congregationibus diſcutiendos, propoſuerunt; qui de Reformatione fuerunt: eiſque articulum etiam de Matrimonijs clandeſtinis, per Theologos itidem examinandum, addiderunt: quæ omnia fuerunt in ordine ad materiam Sacramentorum, quæ eo tempore agitabatur.

Vigeſima prima Seſſionis articuli, inſcio Pontifice, propoſiti.

Quos articulos, inſcio Pontifice propoſitos fuiſſe aperit, ſubdens, *nonnullos cenſuiſſe, è loco, tempore, & opportunitate non eſſe, eam diſceptationem in medium afferri* (nempè Reſidentiæ, quæ prima in eis articulis erat,) *cum indè dari poſſet occaſio, (vt iam murmurari inter aliquos audiebatur) defectiones à Sede Apoſtolica moliendi, auctoritatis Pontificiæ coarctandæ, ac Romanę deprimendæ Curię: & æquum non eſſe, eam materiam, Pontifice, & Cardinalibus inſcijs, pertractari.*

Quæſtio Reſidentiæ de Iure Diuino per Archiepiſcopũ Granatæ proponitur.

Cumque de remedijs ad Reſidentiam ſtatuendam, ageretur, addit 472. *Archiepiſcopum Granatæ ſubdidiſſe, aliud potentius, efficaciuſque remedium in eo Concilio propoſitum eſſe, nempè reſidendi obligationem ex lege Diuina eſſe: qua determinatione facta, omnia per ſe impedimenta ceſſarent: &, cum eam veritatem ex Veteris, & Noui Teſtamenti auctoritate, Patrumque expoſitione, Catholicam comprobaſſet, opinionem illam, eius defenſoribus, auctoritate, & rationibus contendentibus, à maiori Congregationis parte probatam fuiſſe.* Vndè quæſtio Reſidentiæ de Iure Diuino; tùm inſcio Pontifice; tùm per Archiepiſcopum Granatæ in medium allata fuit, vt meliùs etiam declarat pag.473.

Decreta à Patribus.

Quod verò pertinet ad decreta, ait 481. *cum de articulis ſatis dictum eſſet, Patres ſelecti fuerunt ad decreta formanda, ac die ſequenti, Legatos, vnà cum Præpoſitis conueniſſe, vt è Patrum ſententijs ſubſtantiam exprimerent; Sed ſuper primo articulo de Reſidentia, inter ſe diſcrepaſſe, cum Simoneta ſtaret ab opinione, quæ eam de Iure poſitiuo aſſerebat, ac diceret, maiorem partem, etiam, qui illam de Iure Diuino eſſe contendebant, quæſtionem præteriri ſenſiſſe; Mantuanus*

tuanus verò, ſeſe minimè explicando, declarationem à maiori parte flagitatam fuiſſe affirmaret: & ex alijs Legatis, Altaempſium Simoneta adhaſiſſe, alios verò duos Mantuano; diſſenſionemque inter eos, non ſine aliqua ſenſus acerbitate, licèt modeſtè expreſſa, fuiſſe. Quæ Legatorum diſſenſio, aperit, eos, in ea materia, nil prorſus in mandatis à Pontifice habuiſſe. Nam, an non omnes vnanimiter in eundem ſcopum, per Pontificem ſibi præfixum, collimaſſent?

Decreta ex plurium ſuffragatione ſtatui cõſueuiſſe.

Congregatione poſtea Generali, eade re, per Legatos habita, infraſcriptam petitionem, de ſcripto, factam fuiſſe ait. Quoniam multi Patres Reſidentiam de Iure Diuino declarandam eſſe dixerunt, & alij nullum, eade re, verbum fecerunt, aliqui verò eam declarationem minimè faciendam eſſe ſenſerunt: ad hoc vt Prapoſiti ad formanda decreta, poſſint ea citò, faciliter, ac tutò formare, dicant ſolo verbo, Placet; an declarari velint, Reſidentiam de Iure Diuino eſſe nec ne. Nam decretum, ex maiori ſuffragiorum numero, è conſueto huius Sanctę Synodi more, perſcribetur, cum ob ſententiarum varietatem, verus redditorum ſuffragiorum numerus haberi non poſſit: & adeò clarè, diſtinctè, & ſingillatim loqui velint, vt ſingulorum ſuffragium, adnotari poſſit: redditiſque ſuffragijs, ſexaginta, & octo abſolutè dixiſſe, Placet: triginta tres abſolutè, non Placet: tredecim, Placet, conſulto prius Sanctiſſ. D.N. & decem, & ſeptem, non Placet, niſi prius Sanctiſſ. D. N. Quos tredecim ab illis decem, & ſeptem in eo diſcrepaſſe, declarat, quòd declarationem abſolutè vellent, eam tamen reſpuere parati, ſi Pontifex contrà ſentiret; decem verò, & ſeptem eam abſolutè reijcerent, aſſenſuri tamen, ſi eam Pontifex voluiſſet: quam differentiam admodum tenuem appellat, ſed vbi quilibet melius haro inſeruire putabat.

Ex quibus apparet, quàm religioſè decreta ex plurium comprobatione, ac ſuffragatione, formari, ac ſtatui conſueuerint, cum non potuerit auctor ea verba Legati non recenſere, quibus *ità in illa Sancta Synodo ſemper fieri conſueuiſſe*, palam dixiſſe ait. Nam, cum ex ſcripto prolata fuerint

fuerint, ex quo Polanus redargui facilè potuiſſet, ea ſilentio præterire auſus non fuit.

Addit poſteà, *conſtito ex ſuffragÿs redditis, pluſquam dimidiam ſuffragiorum partem à declaratione fuiſſe, & quartam tantùmmodò partem illam receſſiſſe (cum cæteri, licèt ſub conditione, cum primis eſſent) Patres in acriora verba exarſerunt, & Epiſcopum Budua dixiſſe, ſe declarationem pro ſtatuta habere, ſed Legatos Pontificem de rebus omnibus certum facere, reſponſumque expectare decreuiſſe, Hiſpanis grauiter conquerentibus, non ſolùm, cuncta Romam nuncianda, ſed ibidem etiam conſultationi ſubÿcienda, ac decernenda eſſe: & nil per Patres, ſed omnia Romæ per Pontificem ſtatuenda; adeò vt in ore omnium blaſphemum prouerbium eſſet, Synodum Tridentinam à Spiritu Sancto regi, ſibi tabellarÿ manticis ab Vrbe, qualibet vice, tranſmiſſo.* Hæc in re aduerſariorũ commenta & maledicta.

Sed quod ad declarationem illam pertinet, quàm Buduenſem pro ſtatuta habuiſſe dicit; aliud eſt decernere, Reſidentiam fieri debere; aliud verò, de quo Iure ſit. Nam, primo modo, cum ſit articulus Reformationis, ſat maior ſuffragiorum pars, ad eam decernendam fuiſſet. At ſecundo modò, cum pertineat ad dogmata, non poterat *notabili parte contradicente*, ſtatui, vt auctor in ea Synodo ſeruatum fuiſſe præciſis verbis perhibet pag. ſupra alibi notata 560. Vndè, licèt etiam maior pars in eam opinionem conueniſſet, declarationem tamen, de Iure Diuino, factam fuiſſe, dici non poterat.

Nec *cæteri omnes, licèt ſub conditione, ab illis ſexaginta & octo erant, qui abſolutè à declaratione ſtabant*. Nam, ſi illis ſexaginta, & octo illi tredecim adiungendi fuiſſent, qui eis *ſub conditione* acceſſerant; etiam illis *triginta tribus*, qui declarationem abſolutè reſpuebant, *illi decem, & ſeptem* eadem ratione, itidem cumulandi fuiſſent, qui eam *ſub conditione*, pariter reſpuebant: &, cum nec affirmatiua idcircò, nec negatiua a maiori numero, nedum à duabus partibus ſuſtineretur; neutra etiam proculdubiò ſtatuta fuerat.

Digitized by Google

Cumque res ideò indeciſa eſſet: & tàm illi decem, & ſeptem, quàm alij tredecim ſeſe nominatim in Pontificem reieciſſent; an non Pontifex per Legatos certus ex neceſſitate faciendus, conſulenduſque erat?

Quàm falsò autem, ore Hiſpanorum, aſſerat, *cuncta Romæ nunciari, ac definiri conſueuiſſe: & nil Tridenti per Patres, ſed cuncta Romæ per Pontificem decreta fuiſſe*; iam ſatis luculenter apparet, cum ex facto ipſo, per Polanum deſcripto, (quæ eſt aduerſus eum probatio irrefragabilis) comprobauerimus ante actarum omnium Seſſionum *propoſitiones, & decreta* à ſolis Patribus, *inſciò etiam Pontifice*, penitùs præſcripta, facta, ac ſtatuta fuiſſe. Vt peculiariter in hac eadem quæſtione Reſidentiæ de Iure Diuino, de qua Hiſpanos nunc nominatim querentes inducit, apertiſſimum fecit; non ſolùm quòd ea, inſcio Pontifice, ab Archiepiſcopo Granatæ in medium allata fuerit (vt vidimus;) ſed quia nil omninò Legatis, de ea, in mandatis dediſſe, ex eorum inter ſe diſſenſionibus irrefragabiliter aſſumatur, vt diximus. Ex quibus etiam liquidò patet, quàm impiè auctor, ad huiuſmodi fulciendam calumniam, blaſphœmum illud prouerbium vſurpauerit, quo hæretici, & malignantes, liuore, ac rabie tabeſcentes, ad exſtimationem Synodi labefactandam, malignè vtebantur.

Cum &, præter hæc, auctor ſibi poſteà, de more, contrarius, malignitatem, in hoc, propriam imprudens, obliuioſuſque prodat, præciſiſſimis verbis illicò referens 496. *Legatos omnes vnanimes Pontificem meliùs inſtruere decreuiſſe eidem cuncta illucuſque acta, & decretum, iam promulgatum ſignificando.* Nam quo pacto ergo Legatos nil, niſi ſe mandante, agere permittebat Pontifex, ſi de omnibus illuc vſque actis, *poſt factum*, & de ipſis quin etiam decretis, *poſt eorum promulgationem*, per eoſdem Legatos, inſtruendus, certuſque faciendus fuit? Quis hæc auctoris deliramenta non rideat?

Et hæc de propoſitione, & decreto Reſidentiæ; nam de alijs, quæ, ea de re, ſubijcit, in Tertio libro, peculiari hac de re tractatione, dicemus.

At, aliorum decretorum formationem proſequendo, pari modo ait 490. *Præpoſitos, auditis Patrum ſententijs, nouem decreta formaſſe, eaque in Congregatione, ad ea ſtatuenda, & in Seſſione ſtatuto tempore, perlegenda, propoſita eſſe*: & pariter 491. *paucis moderatis, vndeuiginti capita formata fuiſſe*. *Alia decreta à Patribus.*

Et non ſolùm Patres decreta omnia formabant; ſed circa ea etiam, quæ tractanda, aut omittenda eſſent, & quæcunque alia, liberum exercebant arbitrium. Siquidem *articulos Matrimonij omiſſos fuiſſe* addit, *quòd ſic tam decretum eſſet: & pariter Reſidentiæ, quòd ità conueniſſent Legati, officijſque inſuper cum nonnullis egiſſent, vt acquieſcerent:* & 496. cum Reſidentiam ad aliam Seſſionem traduci decerneretur, *eadem re Legatos ſcriptum formaſſe; illudque in Congregatione legiſſe, quò ab omnibus approbaretur, declarando, ſequentem Seſſionem præteriri, materiaſque dignis de cauſis ad aliam differri*.

Et, mandante Pontifice (vt ibidem ſupponit) continuationem ſynodi declarari, apertiſſimis verbis itidem ait, *Legatos vnanimes decreuiſſe, Pontificem melius inſtruere, ſignificando ei res omnes pertractatas, & decretum iam promulgatum, impoſſibilemque vnà ſui mandati executionem* & pag. 497. *Congregationem generalem, ad ſequentis Seſſionis tractationem coactam eſſe, articuloſque ad Communionem ſpectantes propoſitos, Patreſque requiſitos, an eam materiam peragi vellent, vel aliud addendum articulis remaneret*: & iterum 510. *Theologorum Congregationibus peractis, cum Legati ad Calicem Germanis, ex Pauli III. alijſque conditionibus, concedendum inclinarent, decretum ſuper primo, quarto, & quinto articulis formaſſe, alijs eouſque dilatis, quò de ratione euitandi difficultates, ſibi per Theologos factas, cogitarent; Prælatorumque Congregatione adhibita, itidem propoſuiſſe*

Digitized by Google

poſuiſſe, an vellent tria decreta formata dari, quò ſententiæ in prima Congregatione dicerentur; ſed Granatenſem, qui Legatorum mentem percepiſſet, (vtpotè conceſſioni Calicis aduerſiſſimum) contradixiſſe, dicendo, articulorum ordini, vtpotè eſſentiali inſiſtendum eſſe, cum de quarto, & quinto, ſecundo, & tertio minimè ſtatutis, decernere impoſſibile eſſet.

Quod arbitrium eò magis perſpicitur, quia ſubdat 514. *Legatos eorum decretorum formulas ſuper primis tredecim articulis dediſſe, ne in præcedentis Congregationis oppoſitiones inciderent, deque eis actum eſſe; ſed cum cæteros articulos, ob difficultates, quas prauidebant, proponere differrent, Oratores Cæſareos, & Bauarum* pag. 515. *Super eis ſuffragia reddi inſtitiſſe: Oratoreſque Gallos* (cum ea de re Congregatio haberetur) *hortatos eſſe Patres, de ſcripto, vt Communionem Calicis concederent, ſexque decretorum Capita data fuiſſe, quò de eis in ſequentibus ageretur.* Nam hæ aduerſus Legatos, in deliberationibus faciendis oppoſitiones, & difficultates, nonniſi plenitudinem arbitrij in Patribus certiſſimè comprobant.

Quæ plenitudo ea inſuper erat, vt cum Legati (ob eas rationes, quas vrgentiſſimas attulit pag. 507.) *de Calice peragi opportunum non eſſe decernerent, cum Pagnano Agente Marchionis Piſcariæ egiſſe addat* 515 *vt inſtaret, ne, ea de re, ſuo Rege inſcio, deliberaretur: ideòque ſexta, & ſeptima dici Congregationibus præteritis, eis diebus cum Oratoribus Cæſareis, & Gallis egiſſe, quò eam materiam differri annuerent.* Præſertim quòd eos annuiſſe addat, *facta tamen in decreto; tùm dilationis mentione; tùm ea de re, alta vice decernendi ſponſione emiſſa: & nonniſi difficultatibus ſuperatis, ſeſe decretorum formationibus dediſſe.* Siquidem Legatos nil, Patribus repugnantibus, feciſſe, aut agere potuiſſe, aut voluiſſe, ex his compertiſſimum facit.

Quæ Prælatorum repugnantiæ, atque inſtantiæ adeo, ob frequentiam moleſtæ erant, vt, cum Granatenſis pag. 519.

519.nonnulla verba in primo capite adijci vellet, dicat, *cum videretur graue, res iam ſtatutas, additionibus non neceſſarÿs interturbari, quinquaginta ſeptem reſpondiſſe, non placet: Legatoſque, vt finis imponeretur, quandam clauſulam apponi annuiſſe; deliberatamque earundem Legatorum voluntatem, ac patientiam difficultates ſuperaſſe, ità vt Doctrina capita, & Anathemata in Congregatione de ſero firmarentur: & , cum nonnulla ſuper tertio doctrinæ capite monerentur, multique Patres monitioni adhærentes, illud iteratò formari peterent, Simonetam, non ſine difficultate, motionem ſedaſſe, dicentem, formulam ex ea ratione, qua iteratò formanda eſſet, ex ſcripto in ſequenti Congregatione dari*. Quibus mutationibus, caſtigationibus, & additionibus vſque ad Seſſionem ſatis cuiuſque requiſitionibus faciendum fuiſſe, fuſiſſimè refert, & ex conſequenti confirmat, cuncta à Patribus integrè dependiſſe, Legatoſque idcircò verè Oratoribus Gallis, reſpondiſſe pag. 495. *poteſtatem ſibi tantummodò, iuxtà tenorem Bullæ Pontificis, & voluntatem Synodi, præſidendi eſſe*.

Quæ etiam in Reformatione patent. Nam pag. 517. *in ſequenti Congregatione, nouem Reformationis iam ſtabilita capita lecta fuerunt. Vbi, cum multa à multis Epiſcopis propoſita, atque animaduerſa eſſe*: & ipſius quinetiam Pontificis, rerumq; ad eum ſpectantium reformationem per eos pariter propoſita fuiſſe ſubdat, eorum quoque arbitria in omnibus penitus illimitata fuiſſe magis, magiſque aperit, cum nec etiam à rebus ad Pontificem ipſum ſpectantibus abſtinerent.

Subdit tamen 518. *eorum ſententÿs multi è Patribus Hiſpanis, & nonnulli Itali annuere videbantur, ſed, partim dicendo, decreta illa iam formata eſſe, & tempus vſque ad Seſſionem non ferre, vt noua materiæ digeri poſſent (cum tres ſoli dies ſupereſſent) partim eas oppoſitiones faciendo, quæ rebus ab eis allatis fieri poterant, & pallicendo, Pontificem Reformationem diſtrictiſſimam in Curia facturum eſſe, cuius abuſi-*

abuſibus remedia melius Romæ diſcerni, & applicari poſſent, vbi infirmitas magis agnita erat, quàm in Concilio, & huiuſmodi alijs rationibus, prouiſiones, ab illis, alijſque Patribus commemoratæ, eluſæ fuerunt, actumque vt in præſenti, nonem articulis contenti eſſent; ſed malignitatem propriã, nihilominus detegit; cum Pontificem Reformationem Curiæ multis deplomatibus æditis, abundè feciſſe, idemmet quoque referat pag. 490. 527. & alibi pluries.

SESSIO XXII.

Congregatione coacta, propoſitum fuiſſe ait 525. *tùm de Sacrificio Miſſæ; tùm de abuſibus circa eam agere: &, licèt ea in re, Capita doctrinæ, & Anathematiſmata, aliàs in eodem Concilio examinata, diſcuſſa, & stabilita, quamuis* (vt ſubdit 533.) *non publicata, eſſent, & Epiſcopus Segobienſis, qui eis tunc tractationibus intererat, eandem doctrinam, & Canones caſtigari, & aſſumi conſuleret, & multi multa addi vellent*; tandem, poſt plurium dierum diſceptationem, *omnia apponi conueniſſe* concludit 534. (quæ iam, vt vidimus, à Prælatis emanauerant.) *Nam Prælati ſuam opinionem in Congregationibus attuliſſent, & quæ maiori parti non placuiſſent, amouerentur: multoſque etiam abuſus, circa eam rem, collegiſſe, formulamque decreti exhibuiſſe.*

Addit poſteà, Archiepiſcopum Lanciani *in ea opinione fuiſſe vt Anathematiſmata ſola publicarentur, & doctrinæ Capita penitus omitterentur, ac ſubdidiſſe, celerem Synodi expeditionem, ob eorum temporum conditiones, requiri, verbiſque optimè à Legatis, Pontificique adhærentibus perceptis, innuiſſe, hac ratione ſatis Pontificis deſiderio factum iri.* Sed, cum *re diebus ſequentibus, prehenſationibus agitata, atque his, alijſque rationibus, & qui Synodum expediri, & qui eam protrahi ſatagebant, inſiſtentibus, deliberatione iteratò in Congregatione propoſita* ſubdat, *maiorem partem ab ordine*

incepto

incepto minimè recedendum eſſe decreuiſſe; ex ſeipſo docet; quàm calumnioſè, ore Gallorum, paulò antè dixerit 527 *Concilium nullis res aures præbere voluiſſe, quæ vtilitati, atque auctoritati Curiæ aduerſaretur, quando Pontifex propoſitionum arbiter eſſet, ex quo à principio ſtatutum, ac ſucceſſiuè poſtmodum obſeruatum ſit, vt nil, niſi per Legatos proponeretur: nec minus etiam deliberationum, ob multos Prælatos penſionarios, alioſque deuotos*. Nam ſi Pontifex, etiam cum eius mens, & Legatis, & eis, quos Auctor Pontificios appellat, propalata eſſet, reſque officijs, ac prehenſationibus per multos dies ſedulò agitata, voti compos tamen eſſe non potuit; quanam veritate propoſitionum, deliberationumque arbitrer erat?

Et quid calumnioſius, ſi idemmet apertiſſimè inquit pag. 535. *Pontifici, hoc tempore, periculis auctoritati ſuę ob difficultates & confuſiones Tridentinas, imminentibus armis, conſulendum fuiſſe?* Siquidem, ſi, reuera, ob penſionarios, ac deuotos, propoſitionum, deliberationumque arbiter extitiſſet, an aliundè ſibi, *ob difficultates Tridentinas*, remedia quærenda fuiſſent?

Deliberationes verò omnes à Pontifice emanaſſe, præter ea, quæ hucuſque attulimus, certa eſt impoſtura, quòd illicò ſubdat 556. *Granatenſem tempus protrahi, & quę agēda eſſent, minimè declarari, ſed quemadmodum aliàs factum erat, in vniuerſalibus morari, & ex accidentibus decerni conſuluiſſe*; cum ex hac Granatenſis atteſtatione ſatis aperiat, deliberationes, de rebus agendis, ex tempore, & pro re nata, inſcioque per conſequens, Pontifice, per Patres ipſos fieri conſueuiſſe.

Vt etiam aperit, quia dixerit 551. Legatos oſtendiſſe Quinqueccleſienſi Cæſaris Oratori, obtineri non poſſe decretum quoddam eo modo fieri, quo ipſe petebat, *quia Prælati aduerſi fuiſſent*: & decretum Sacrificij *ex maioris partis approbatione ſtatutum fuiſſe*. Nam non ergo in deliberationibus, Pontifex, aut Legati, ſed ſoli Patres arbitri erant.

Decem

Decem quoque *articuli pro Reformatione abuſuum in Miſſa occurrentium, alijque itidem vndecim in varijs Reformationum generibus* ibidem dati fuerunt. Quos cum, *data opera, de rebus facilibus, & contradictionibus minimè ſubiectis, Epiſcoporumque auctoritati fauorabilibus electos fuiſſe addat, ne quid mora, ob alicuius oppoſitionem, interponeretur*; Prælatos pariter obſiſtendi, opponendi, reijciendi, aſſentiendi, ac diſſentiendi, deliberationumque idcircò omninò arbitros extitiſſe comprobat.

Decreta à Patribus

Quod verò ad decretorum formationem attinet, ait 554. *cum nil momenti opponeretur, caput abuſuum Miſſę, cum vndecim alijs Reformationis capitibus ſtatutum eſſe: decretum verò communionis minorem opinione difficultatem habuiſſe, ſed primò propoſitum, ob quandam clauſulam in eo appoſitam, quę per Prælatos oppugnata fuit, reiectum, ea dempta, & iteratò propoſitum, ex maiori parte, licèt multis opponentibus approbatum fuiſſe: & 556. poſtremam Congregationem, ad decreta formanda, habuiſſe: & cum decreta omnia ſimul legerentur, contradictiones, & contentiones iteratò emanaſſe, quę difficulter per Legatos lenitate verborum ſedabantur: & cuncta denique ex maiori ſuffragiorum parte, cum paulò minor contradicentium eßet, comprobata eſſe*: ex quibus manu ipſa tangatur, res, nonniſi Tridenti formari, & ex Prælatorum ſuffragatione, vocumque pluralitate ibidem ſtatui conſueuiſſe. idque tanta inſuper libertate, vt etiam in Seſſionibus ipſis (vbi ex auctore 133.) *res penitus ſtabilita* afferebantur, repugnare, & contradicere permitteretur, vt & pag. 558. & in præſenti, & alijs etiam Seſſionibus factum fuiſſe commemorat.

SESSIO XXIII.

CVM huius Seſſionis tempus, & materia decernenda eſſent, dixit loco paulò ante relato, Granatenſem *tempus in longius protrahi conſuluiße, quò Gallis, & Po-*

lonis

lonis, non tàm veniendi, quàm ſeſe etiam cum perueniſſent, inſtruendi ſpatium eſſet: nec ad peculiarem rerum agendarum declarationem deueniri, ſed, vt aliàs factum fuerat, in vniuerſalibus conſiſterent, ex accidentibuſque decernerent: & ex conſequenti docet, non tàm materias pertractandas, quàm temporis inſuper circumſtantias, & huiuſmodi alia, per Patres ſtatuta fuiſſe, quæ ex occaſione, & improuisò, ac Pontifice idcirco inſcio, in Synodo decerni quoque conſueuiſſe, ore Granatenſis apertiſſimum facit, vt etiam paulò antè notauimus.

In Concilio de rebus agendis, è re nata, & ex improuiſo, ac Pontifice per cõſequẽs, inſcio decernebatur.

Cumque (vt addit, eadem 556.) *illi opinioni Hiſpani, alijque multi adhererent, ab omnibus etiam approbata fuiſſet, ni vox emiſſa, qua Pontificem, non vltra duos menſes differri, deque Ordinis, & Matrimonij Sacramentis inuicem agi mandaſſe ferebatur, Pontificios inſtare induxiſſet, ne tempus vltrà protraheretur, & de vtroque Sacramento ageretur: Legatoſque idcircò decretum in ea conformatione formare coactos fuiſſe*; nil aliud profectò etiam oſtendit (dato etiàm quòd ea vox, nullo certo auctore emiſſa, reuera fuiſſet) quàm Pontificem expeditionem acceleraſſe, cũ decretum agendi de Sacramentis iamdiù in ſeptima Seſſione, (vt vidimus,) *ipſis Patribus, ac Theologis proponentibus, pariter, ac decernentibus*, ſtatutum eſſet; nam cum omnia alia Sacramenta pertractata eſſent, ſequebatur, ex neceſſitate, vt de duobus illis, quæ reliqua erant, ageretur. Vndè, ob grauiſſimas illas ſolùm cauſas, quas idem Polanus recenſet, expeditionem accelerauit.

In executionem idcirco dicti decreti, octo articuli, in materia Ordinis propoſiti fuerunt, pag. 570. & allata fuit etiam in medium quæſtio, *quonam Iure Epiſcopi inſtituti eſſent*: idque in Congregatione Theologorum, per Theologum Epiſcopi Pampilonenſis, vt refert 580. eamque proſecuti deindè fuerunt alij Theologi, & Patres. Quam quæſtionem eos mouiſſe, ibidem addit, *quòd eam Legati proponere renuiſſent*: & licèt nulla inſuper, (vt di-

Inſtitutionis Epiſcoporũ quæſtio à Patribus mota.

xit 573.) *ea de re, cum hæreticis diſſenſio eſſet*; Immò quamuis etiam, *de ea verba fieri vetitum à Legatis fuiſſe, Pontificios euulgare feciſſe* ſuppoſuerit. Vnde comprobat, quàm verè Legatus paulò antè Oratoribus Cæſareo, & Gallo dixerit 569. *illud de more Tridenti ſeruatum fuiſſe, vt cuilibet, cuiuſcumque conditionis ſit, Legatos ipſos de eis, quę neceſſaria, vtilia, & opportuna cenſuiſſent, admonere liceret*. Nam, his per auctorem poſitis, non modò monere, ſed, inuitis immò, ac prohibentibus quoque (vt ſupponit) Legatis, quæſtiones mouere, eaſque pro libito, in medium afferre, Legatis nullatenus obſiſtentibus, aut reclamantibus, licuit; quamuis etiam quæſtiones, præter Synodi ſcopum, & ſupremi inſuper momenti eſſent, vt eam quæſtionem Inſtitutionis Epiſcoporum fuiſſe refert, cum in ea de ſumma rerum, pro re Romana, ac Pontificia agi creditum fuiſſe affirmet 593. & alibi pluries.

Decreta Tridēti formata, ac ſtatuta.

Circa decreta verò ſubdit 587. *Tridenti Præpoſitos ad formanda Anathematiſmata, Theologorum ſententijs expenſis, modulum feciſſe, in quo Epiſcopos de Iure Diuino ſuperiores eſſe, poſitum fuit, quòd Archiepiſcopus Iaderenſis, & Epiſcopus Coimbricenſis, inter Præpoſitos primores, in ea ſententia eſſent*: & quemadmodum quæſtio per Patres, inuitis, ac repugnantibus Legatis, mota fuerat, ſic, & decretum, eis quoque penitùs inſcijs, formatum. Nam Legatos, *non permiſiſſe ait, dicentes æquum non eſſe, conceptum in articulis non contentum, decretis inſeri, &, ſi poſteà Prælati in Congregationibus requiſiſſent, ea de re cogitatum eſſe*.

Aduerſariorum aduerſus Patrum libertatē calumnia.

Addit verò, id *immediatè Hiſpanos requirere ſtatuiſſe, Legatoſque, re percepta, ex conſultatione facta, decreuiſſe, ſuos Prælatos, contradicere conſuetos monere, vt ſi ea materia proponeretur, tacerent, nec eam diſputationi ſubijcerent, ne occaſionem Hiſpanis replicandi pręberent, qua Congregationes protraherentur, & incommoda, vt in materia Reſidentię fa-*

tia factum fuit, excitarentur, ſed ſi petitio, per Granatenſem, aut alios fieret, Cardinalis Varmienſis interciperet, reſpondendo, illud caput non eſſe in Concilio agitandum, quia cum Proteſtationibus controuerſum non ſit.

Et quàm plena, atque illimitata eſſent Patrum arbitria confirmat, cum *eos nihilominùs, & materiam in medium afferri, & de ea diſſertationem inſtitui voluiſſe*, recenſeat, licèt etiam *Pontificos euulgari feciſſe* ſuppoſuerit, (vt iam notauimus) *de ea verba fieri vetitum à Legatis eſſe.* Nam (vt refert illicò, eadem pag. 588.) *cum in prima Congregatione Prælatorum, Patriarchæ, & nonnulli Archiepiſcopi Anathematiſmata, vt formata erant, approbaſſent, Archiepiſcopus Granatæ, cum ſuam, circa ſex primos Canones, ſententiam paucis explicuiſſet, in ſeptimo dicendum eſſe, inſtitit, Epiſcopos de Iure Diuino inſtitutos, Presbyteris ſuperiores eſſe, quod id iure poterat, ac debebat requirere, cum in hac forma propoſitum eſſet in Synodo per Cardinalem Creſcentium, tempore Iulij III. & ab eadem Synodo approbatum: cuius rei teſtes allegauit Epiſcopos Segobienſem, & Panormitanum: ac ſubdidiſſe, non poſſe de vtroque capite non deliberari, nempè Epiſcopos inſtitutos eſſe de Iure Diuino, & eodem Iure Presbyteris ſuperiores eſſe, cum ab hæreticis negaretur*; multiſque argumentis, rationibus, & auctoritatibus ſuam ſententiam, benè longa diſſertatione, comprobaſſe, quam auctor per capita fusè recenſet, per totam pag. 588. & 589. quem demùm *concluſiſſe*, ait, *cum ea omnia vera eſſent, & certa, pluribuſque in locis, quos Epiſcopus Segobienſis collegerat, ab hæreticis negata, ea declarari, & à Synodo decerni, erroreſque contrarios damnari neceſſe erat: Et hinc Varmienſem eum intercipiendi occaſionem ſumpſiſſe, cum adhuc proſequeretur, &, ex condicto, dixiſſe, de hoc nullam cum hæreticis controuerſiam eſſe; inter eumque & Archiepiſcopum altercatum fuiſſe*: quod vtique (vt patet) non fuit intercipere loquentem, aut prohibere, ea de re, ſermonem haberi, cum Varmienſis non antè verba

 fecerit,

fecerit, niſi *poſt quam* (vt præciſiſſimis verbis ait) *Granatenſis ſermonem concluſerat:* quemadmodum, & Archiepiſcopum Iaderæ, & Bracharenſem præcipuè, alioſque, ea de re, fuſiſſime diſſeruiſſe addit, Varmienſi, nulloue alio Legato intercipiente, aut aduerſante. Vnde non niſi malignè inducit ibidem Epiſcopum Tropeiæ dicentē, *ſe in materia Epiſcopatus, ſuam ſententiam dicturum fuiſſe, ſi permiſſio per Legatos fieret:* nam nullo pacto id dicere potuiſſet, cum tot alij, nullo Legatorum reſpectu habito, aut permiſſione ab eis requiſita, ea de re, illucuſq; liberrimè diſſeruiſſent, vt retulit: in eodemque numero aliquot immò fuiſſe immediatè addat, *qui breui ſermone, nonnullorum eorum ſententia adhaeſerunt, qui antè diſſeruerant: & alios in eaſdem rationes diuerſimodè amplificandas, conuertendaſque ſeſe diffudiſſe;* adeò vt idem auctor, præciſiſſimis verbis, *longum ſibi fore*, concludat, *ſi ſententias omnes recenſere vellet, quę ad eius manus peruenerunt:* prolixamque inſuper ibidem Epiſcopi Segnenſis diſſertationem recenſeat, qua opinionem de Iure Diuino (nullatenus intercipientibus, aut prohibentibus Legatis) tuebatur.

Et, non modò, ex his, Patrum arbitria illimitata fuiſſe aperit, ſed quia inſuper addat pag. *639*. Pontificem *Cenſuram ad Legatos ſuper capitibus per Gallos miſſis, cum mandatis miſiſſe, vt de ea materia loqui, quàm longiùs poſſent differrent: & ad ea proponenda, neceſſitate compulſi à minus exitioſis exordirentur, qui ad mores, & doctrinam pertinent, tractationeſq; de Ritibus, deq; re Beneficiaria, differendo: ſuper quibus loqui coacti, ea diſcuſſioni, & controuerſiæ ſubijcerent;* cum Legatos ad propoſitiones faciendas, per Patres, cogi etiam potuiſſe, eiuſdem Pontificis ore, perhibeat.

Pag. etiam 644. Cardinali Mantuæ proponente, vt, *inſtante principio Quadrageſimæ, diebuſque poſtmodum Sanctis, ſolemnitatibuſque Paſchalibus ſuccedentibus, Seſſio poſt eas differretur, interiumque in Congregationibus Reformatio, ad*

tio, ad Ordinem Sacrum pertinens, & materia Sacramenti Matrimonij diſcuteretur, refert *propoſitionẽ, magnã contradictionem habuiſſe*, ob ea, quę à Gallis, Hiſpanis, & Italis obijciebantur (quæ recenſet:) & poſt magnam contentionem *dilationem ad vigeſimamſecundam vſq; Aprilis, ex pluriũ ſuffragatione ſtatutam fuiſſe: Ex eaq; deliberatione, die ſequenti, articulos Matrimonij, per Theologos diſputandos, datos eſſe*. Eodemque iterum proponente pag. 650. *vt Prælati, ad proponendam correctionem abuſuum, in materia Ordinis, decernerentur; cum ità decretum fuiſſe* referat; ex hoc Patres, etiam *ex decreto Synodi* propoſuiſſe, & Concilium ideò in propoſitionibus faciendis arbitrum omninò fuiſſe comprobet.

Eoque magis cum, pag. 662. in eam quæſtionem tranſcurſum fuiſſe ſubdat; *An his temporibus, diſpenſare, ſeu præceptum Continentiæ Sacerdotibus tolli expediret*; *cum Legatos, ob eius articuli diſſertationem reprahenſos fuiſſe* dicat (quòd multa, & grauiſſima ex eo, in perniciem Pontificis, conſequerentur) vtique eam propoſitionem (licèt tanti momenti) inſcio penitus Pontifice factam fuiſſe cõſequitur. Quòd tamen, non per tranſcurſum factum fuit (vt inquit) cum pag. 650. præciſis verbis dixerit, *Cardinalem Lotharingium Auſpurgium petijſſe, accepta prius fide à Legatis, ſe abſente, de articulo Matrimonij Sacerdotum minimè agendum eſſe*.

Pag. 707. *noua de Reformatione Cardinalium tractatio in medium allata fuit*; quam itidem à Legatis emanare non potuiſſe dicendum eſt, quòd poſteà ſubdat, *Pontificem, cũ intelligeret, de hoc in omnibus Aulis verba fieri, & Tridenti Oratores Galliæ, Hiſpaniæ, & Luſitaniæ, id à Concilio petere inuicem conueniſſe, Legatis ſcripſiſſe, conſilium petendo, an id Romæ, an verò Tridenti fieri expediret*. Nam, an petijſſet, à Legatis, poſt propoſitionem factam, vbinam, Tridenti ne, an Romæ agenda eſſet, ſi, ſe conſcio, aut mandante, propoſita fuiſſet? Quæ tractatio, ſi omiſſa fuit,

non Pontifice agente, aut mandante fuit, quòd ſubijciat, illicò pag. 708. *eam Reformationis Cardinalium materiam citò quieuiſſe, quia omnes, qui Tridenti erant in eo propendentes, vt potiùs à Pontifice, & Collegio fieret, & qui eam dignitatem abirent, veriti, ne multa eorum votis obijcerentur impedimenta, in cauſa fuerunt, vt ab ea tractatione facilè recederetur.*

Auctoris malignitas. Vndè in hac etiam Seſſione patet, propoſitiones à Patribus emanaſſe: nec, præſcribente Pontifice, factas fuiſſe. Dixit tamen 578. Legatos in vnum ſimul redigi feciſſe propoſitiones Cæſareorum, omneſque inſtantias, quæ in materia Reformationis, illucuſque factæ fuerant, cum reſponſionibus datis, rerumque in Conuentu Galliæ ſtatutarum, & extractu petitionum Prælatorum Hiſpanorum, eaque omnia ad Pontificem miſiſſe monendo, haud amplius ſibi videri, rem illam verbis *protrahi* poſſe, ſeque eam pertractandi animum habere, aliquo effectu patefaciendum eſſe, remque expediendo, Principum Oratoribus, præſertim in ijs, quæ ad ſuarum Regionum vtilitatem pertinerent, ſatis aliqua ex parte facere, ea tamen ratione rerum conditiones perpendendo, vt Pontificiæ Poteſtati, Romanæque Eccleſiæ detrimento non eſſent; ſed cum ſuprà immediatè dixerit (vt iam notauimus,) *Legatos Reformationem, poſt tractationem de Ordine, proponere Oratoribus promiſiſſe* (quæ materia tunc temporis agitabatur in Synodo) vt itidem Pontifici ſcripſiſſe ſubdit 584. vtique Legati, non eo fine ad Pontificem ſcribere potuerunt, *quò mandata ab eo reciperent*, vt malignè ait, cum ea iam antè *proponere Oratoribus promiſiſſent*, idemque Pontifici pari modo ſcripſiſſent,

Alia decreta à Patribus. In materia verò decretorum ait 586. *in Congregatione Cardinalium deliberatum fuiſſe, reſpondere Legatis, vt omni ope contenderent, articulum Reſidentiæ ad Pontificem, abſque vllo decreto, ſi poſſibile eſſet, reijci, ſin minùs, cum decreto: Et ſi id obtinere non poſſit, vt cum præmijs, & pœnis omiſſa*

omiſſa penitùs declaratione, an eſſet de Iure Diuino; nec ne; declararetur. Quemadmodum, & in articulo itidem Inſtitutionis mandaſſe addit. Quæ cum Pontifex à Patribus; & ea inſuper conditione impetrari mandauerit *ſi poſſibile eſſet*, illibatum eorundẽ Patrum in omnibus deliberationibus placitum luculentiſſimè exprimunt.

Quod ex facto ipſo meliùs quoque declarat, ſubdens illicò 587. *Præpoſitos formandis Anathematiſmatibus, & capitibus doctrinæ, expenſis Theologorum ſententijs, modulum formaſſe*, (vt iam notauimus) *in quo expreſſerint, Epiſcopos, Iure Diuino, ſuperiores eſſe, quòd Archiepiſcopus Iaderenſis, Epiſcopus Coimbricenſis, inter præpoſitos primores, in ea ſententia eſſent*. Præſertim quòd Legatos ea de re (vt addit) *tùm officijs cum Hiſpanis, & Italis, per plures Epiſcopos egerint; tùm, facta decreti formula, Patrem Sotum cum Hiſpanis acturum miſerint: & plenam idcircò, lectionem, per Patrem Laynez, ad eos, qui contraria adhæſiſſent opinioni, euincendos, haberi voluerint*, pag. 591. 592. & 593. Et, non ſolùm (vt addit, 604.) *pro decreto Reſidentiæ valdè laborauerint, ſed de obiectionibus, quæ illi decreto per Patres fieri potuiſſent, admodum timuerint*; cum ex tot Legatorum officijs, prehenſationibus, trepidationibus, ac laboribus, ad definitiones à Patribus obtinendas, quemadmodum neceſſariò aſſumitur, totum, in decernendo, arbitrium in Patribus omninò fuiſſe; ſic etiam concludendum neceſſariò videtur, Pontificem, & Legatos nil, niſi à Patribus, emanare, ac decerni penitus voluiſſe.

Eoque certiùs; quòd Pontificem Legatis ſcripſiſſe ſubdat 629. *abſolutè affirmare; Inſtitutionem Epiſcoporum eſſe de Iure Diuino, opinionem falſam, erroneamque eſſe; cum ſola Ordinis poteſtas à Chriſto ſit; Iuriſdictio verò à Romano Pontifice, & eatenus à Chriſto dici poſſit, quatenus Pontificis auctoritas ab eius Maieſtate ſit, & quicquid Pontifex facit, per Chriſtum, eo mediante, fiat; ideoque, vel abſolutè,*

verba

verba, de Iure Diuino, omitterentur, vel iuxtà formam, quam tranſmittebat, proponerentur; in qua dicebatur, Chriſtum inſtituiſſe Epiſcopos, à Romano Pontifice creandos, cum diſtributione qualis, & quantę auctoritatis ipſi eis, pro beneficio Eccleſiæ, tribuere videretur, & cum illimitata attributa, ex ſententia, reſtringendæ, amplificandæque poteſtate. Vndquaquæ etiam ſcripſiſſe, cum in Reſidentia perſpicuum ſit, Pontificem diſpenſandi poteſtatem habere, eius auctoritatis indemnitati, in decreto, cauerent, in quo verba, de Iure Diuino, apponi non poterant, vt Catharinus optimè probauerat: à cuius ſententia, vti Catholica, diſcedendum non eſſet, quandoquidem ex his proculdubiò liqueat, Pontificem, in eis decretis, per Patres formandis, ſuam tantummodò ſententiam, vti Doctorem, ac priuatam ſolùm perſonam dixiſſe, non autem præceptiuè mandaſſe, cum determinationem deliberationi Synodi, penitùs, atque omninò integrè reſeruaſſet, nullamque Patribus neceſſitatem in eis definiendis controuerſijs appoſuiſſe.

In cuius euidentiam illicò ſubdit, Legatos, *his Epiſtolis acceptis, Pontificis mandata exequi impoſſibile eſſe duxiſſe: & neceſſe eſſe, Pontificem accuratiùs, ac per litteras fieri poſſet, de rebus occurrentibus inſtruere, eique oſtendere, Concilium ea ratione moderari non poſſe, qua Romæ opinabantur: & per Sanctitatem Suam apertiùs inſtrui, quidnam per eos faciendum eſſet: Epiſcopumque Ventimilienſem, ea de re certum ad Pontificem allegaſſe.* Siquidem ex his impoſſibilitatibus, in decretis, iuxta monita Pontificis formandis, quis non videat, eas formationes, non in Pontificis, aut Legatorum arbitrijs, ſed penès ſolos Patres integrè, plenè, ac liberè omninò fuiſſe?

Quæ tamen dicta ſint, licèt ea monita, & mandata Pontificis ad Legatos contradictione non careant, quæ impoſturam prodant. Nam, quo pacto, dum Legati Pontificis mandata exequi impoſſibile eſſe exponunt, eaque de re eum, per hominem certum admonent, at-
tamen

tamen mandata eodemmet tempore, ac de eadem re, ab ipſo flagitent? Nam quid magis ridiculum? ſed ſunt conſueta deliramenta Polani.

In alijs quoque Decretorum, Canonumque formationibus idem exercuerunt arbitrium, cum rem proſequens, dicat 637. *Roma Legatis perſcribi decretum fuiſſe, vt Canon Inſtitutionis Epiſcoporum eis verbis formaretur, quòd nempè Epiſcopi Principem in Eccleſia locum, à Romano Pontifice dependentem habent, ab eoque in partem ſollicitudinis vocatos eſſe: & in Canone, qui de Pontificis Poteſtate introductus erat* (quo aperit, Canones illos iam Tridenti formatos fuiſſe) *decerneretur, Pontificem Eccleſiæ Vniuerſalis, vice Chriſti paſcendi, & regendi poteſtatem habere, cui, vti Vicario Generali, tota eius auctoritas communicata ſit. Sed in decreto doctrinæ verba Concilij Florentini extenderentur* (quæ recenſet:) *nec ab ea forma diſcederent, quam recipiendam fore certò tenebat*; Nam ſi mittebat, illas formulas ea ſpe, quòd per Patres (vt ait) *recipiendæ eſſent*, vtique ſententiam ſuam vti Doctor (vt diximus) & priuata perſona, approbationi Patrum ſubijciebat; & eas, per conſequens formulas per Synodum, vtpotè catholicas, approbari, ac recipi contendebat. Præſertim quòd addiderit (vt ſubijcit) *eam formulam è Concilio Generali erutam eſſe & qui illam oppugnare voluiſſet, ſe ſe Schiſmaticum declaraſſet, cenſuriſque ſubijceret, quæ, cum maiori ſemper Sedis Apoſtolicæ exaltatione, ob Diuinam Prouidentiam, punita fuerint, confidebat, cauſam Eccleſiæ, à Maieſtate Diuina, & à bonis Catholicis deſerendam non fore*. Nam ſatis luculenter expreſſit, eos Canones contentioni, cenſuræ, approbationi, ac deliberationi Patrum per eum omninò ſubiectos fuiſſe.

Quibus & ad cumulum, ex facto comprobationem addit, cum ex eius relatione pag. 640.) *Congregatio Tridenti facta fuerit, & exemplari decretorum Inſtitutionis in ea exhibito, ſtatutum, vt Congregationes, ad ea examinan-*

 da,

da, aſſumerentur. Cardinalibuſque Lotharingio, & Madruccio iniunctum, vt vnà cum eis Prælatis, quos ſibi ſocios aſſumere voluiſſent, decretum Reſidentiæ reformarent: & Hiſpanos primùm, formulis à Pontifice miſſis, ac dein Gallos, difficultates multò maiores obiecisse, quas ibidem recenſet.

Et quæ eſſent, in formationibus decretorum, Patrum arbitria, cò magis aperit, ſubdens 641. *cum formula ſuper Reſidentia à Lotharingio & Madruccio cōpoſita eſſet & in quadam particula per Legatos, de conſilio Canonum Conſultorum, emēdata & ita reformata in Congregatione propoſita, Cardinales grauem receperunt offenſionem, quòd ſe contemni arbitrarentur, affirmante Lotharingio, ſe nullam in poſterum curam aſſumpturum, nec cum Prælatis ampliùs acturum & querente itidem Madruccio, Concilium in Concilio eſſe, quod auctoritatem ſibi maiorem aſſumeret* (ex qua mutatione multis controuerſijs, motibus, & altercationibus occaſionem fuiſſe commemorat, ex quibus etiam a Congregationibus faciendis, ceſſandum fuerit.) Nam hæc certiſſima itidem ſunt documenta, formationes illas à Patribus integrè dependiſſe; Tridentique ſolùm fierent, ab eiſque in Congregationibus, ſi quid mutari contigiſſet, approbaretur: idque liberè adeò, ac plenè, vt ſi quid Legati, forſan, in eis (etiam de conſilio Doctorum, vt ait) immutarent, Patres, & Cardinales ipſi id nullatenus ferrent, & in queſtus, contentiones, ſeditioneſque erumperent, licèt etiam illæ mutationes, in Congregatione, Patrum examini, atque approbationi ſubijcerentur. Et, ſi Pontifex, cum Canones de propria ipſius poteſtate formandi eſſent, ſuam, ea in re, ſententiam, forſitan, expreſſiſſet; inſtando, *vt iuxtà decreta, aliàs à Concilijs Generalibus facta, formarentur* (vt æquiſſimum proculdubiò erat) res tamen acerrimè à Patribus exagitabatur; quando (vt ſubijcit 642.) *frequentes per eos dies Tridento Romam, & Roma Tridentum Curſores commeauerint, Legatis frequentes, quæ* (vt præciſis verbis inquit) *pluebant,*

contradictiones nunciantibus : & Pontifice Canonum miſſorum propoſitionem vrgente. Quæ contradictiones ab Hiſpanis, & Gallis potiſſimùm excitabantur (vt dixit) cum in eis Canonibus Pontificem Vniuerſalis Eccleſię Rectorem dici obſiſterent, quemadmodum *in multis Concilijs dictum fuiſſe, Epiſcopus Senogallienſis Cardinali Lotharingio* retulit 643. Vnde tot eos motus excitarunt, quot recenſet, & quorum cauſam reijcere in Pontificios malignè conatur, vt alibi etiam magis fusè docebimus.

Ex quibus difficultatibus, & contradictionibus (cum nonniſi, Patribus plenè ſatisfactis, ſedari potuerint) profectò manu ipſa tangitur, Patres, in rebus etiam ad Pontificem ipſum pertinentibus, eiuſque immediatè auctoritatem tangentibus, liberè contradixiſſe, earumque idcircò definitiones à liberis ipſorũ arbitrijs penitùs dependiſſe. Quemadmodum, & auctor pluribus alijs, ad cumulum, docet. Nam ſubdit 693. *Cardinalem Ferrarienſem officijs cum Lotharingio, Pontificis, Legatorumque nomine, egiſſe quò Reſidentiam (prætermiſſa declaratione, an eſſet de Iure Diuino) cum decreto pœnali terminari annueret, & cum Prælatis idcircò Italis prehenſationibus actum eſſe, ne decretum declarandæ Reſidentiæ reciperetur:* pag. 694. Reginam Galliæ, (quò Synodus citò poſſet abſolui) *ſuam Pontifici operam exhibuiſſe ad hoc, vt Lotharingius, ac Prælati Galli ab eius poteſtate oppugnanda deſiſterent*: pag. 700. *Conſultationem Legatorum, Cardinalium, & viginti Prælatorum adhibitam eſſe, vt ſtabiliendę doctrinæ Inſtitutionis Epiſcoporum ratio iniretur: & Legatos* pag. 704. *duo Capita Inſtitutionis, & Reſidentiæ Epiſcoporum verbis ità generalibus concinnaſſe, vt ſatis ambabus partibus facerent*: eiſque nihilominùs eas oppoſitiones factas fuiſſe, quas ſubijcit: & pag. 706. non ſolùm *controuerſias perſeueraſſe, immò differentias ſuper Capitibus Inſtitutionis Epiſcoporum, & Auctoritatis Pontificis acriùs efferbuiſſe: & cum de eis in Congregationibus diſſerere nil aliud eſſet, quàm difficultates,*

Digitized by Google

magis; magiſque augere, Patres, ad differentias ſedandas, de communi ferè concordia, rem priuatim agitare, & conſilia proponere cœpiſſe: cumque nonnulli, qui controuerſiis finem imponi, progreſſumque aliquem cupiebant, nullum concordiæ modum viderent, vtramque materiam penitus omitti conſuluiſſe: eamque ſententiam (licèt tandem, vt ait, euicerit) varijs tamen à principio Hiſpanorum, Gallorumque præſertim contradictionibus iactatã eſſe (quas recenſet) *adeò vt etiam de aliquo ſchiſmate periculũ fuiſſe concludat.*

Quos motus, non Pontificiorum cauſa emanaſſe magis, magiſque confirmat, quòd pag. 714. referat, Cæſarem *ſuis opportunè Oratoribus mandaſſe, vt omni officio contenderent, ne in Concilio de poteſtate Pontificis ageretur.* Nam, cum id *ab eo factum fuiſſe* ſubijciat, *quòd videret partem maiorem in eius amplificanda diſpoſitione eſſe, verereturque, ne quid decerneretur, quòd concordiam difficiliorem cum Proteſtantibus redderet*, eos etiam motus, ac difficultates ab eis emanaſſe docet, qui obſiſtere *maiori parti* volebant, quæ infrà peculiaribus notis fuſius quoque aperiemus.

Vt pleniùs comprobat, ſubdens, *cum officium illud fieret per Oratores apud Legatos, & Cardinalem Lotharingium, aliosque è primoribus Prælatis, in cauſa fuit, vt, & illud, & Inſtitutionis Epiſcoporum capita omitti deliberaretur: eaque de re multis habitis conſultationibus, eis adhibiti fuerunt Prælati primarij, & qui magis ſequacibus pollebant, nunc minùs, nunc verò magis frequentes, ad rem, ea ratione diſponendam, quæ ſatis omnib. fieret.* Quemadmodum & pag. itidem 715. operam datam fuiſſe commemorat *vt caput Reſidentiæ aptaretur, omnibus reſecatis, quæ eis diſplicere potuiſſent, qui eam; tùm de Iure Diuino; tum de poſitiuo affirmabant, Cardinalemque Lotharingium maxima in concordandis Patribus diligentia, & efficacia laboraſſe, quò finem diſſenſionibus poneret, Prælatoſque inter ſe diſcrepantes componeret.* Vndè concludit 716. *rebus ſtatutis, perlectiſque,*

que, partes ambæ acquieuerunt: eaque demum iteratò in Congregatione Generali lecta, & ab omnibus approbata fuerunt: & 718. *cum decreta ab omnibus approbata eſſent, hoc initium ſpei fuiſſe Seſſionis ſuo tempore habendæ, quod antè impoſſibile exiſtimabatur; ſed dexteritate Cardinalis Lotharingij, ad exitum perductum: & diebus ſequentibus, ſuffragijs ſuper alijs Reformationis capitib. redditis, licùque in nonnullis, verborum mutatione, ſatis Patribus omnibus factum, cunctaque ab omnibus approbata eſſe* 719 Ex quibus luce clarius patet, plenam, illimitatamque omninò auctoritatem, libertatemque Patribus fuiſſe, cum officia cum Cardinalibus, & Prælatis frequenter nomine Pontificis, & Legatorum facta, *ad eos inter ſe conciliandos*; eorumque aſſenſum eliciendum & quæ itidem Cæſar, & Regina Galliæ cum ſuis egerunt; quò à Pontificis poteſtate, *aduerſus maiorem numerum*, oppugnanda deſiſterent: &, tùm conſultationes, *ad ineundam* (vt ait) *in articulis controuerſis, concordiæ rationem* perpetuò habitæ: & contradictiones; & oppoſitiones, quæ vſque *ad ſeditionis periculum* exarſerunt: & neceſſitas cuique in omnibus ſingillatim ſatisfaciendi, eiſque in minimis etiam verbulis morem gerendi, citra omnem dubitationem, comprobent arbitrium nonniſi in ſolis Patribus perpetuò reipſa manſiſſe.

Quam poteſtatem, arbitriumque circa alia itidem omnia exercuiſſe docet, cum pag. 706. reſponſionem dandam Birago, Miniſtro Regis Chriſtianiſſimi, à Legatis; & Lotharingio factam, *in Congregationeque approbatam fuiſſe* ait: pag. 702. *dies Seſſionis ex plurium ſuffragatione approbanda fuit:* 745. in decreto electionis Epiſcoporum oportuit *obligationem digniorís eligendi* apponere, licèt id Pontificij in diminutionem auctoritatis Pontificiæ eſſe obijcerent: vt & de alijs omnibus quoq; concludit 724. referens, *cuncta in Seſſione, opera Lotharingij, quietè, & ex vniuerſali omnium conſenſione peracta fuiſſe.*

Alia omnia à Patribus itidem emanaſſe.

SESSIO XXIV.

Vigeſima quarta Seſſionis materia a Patribus, & Theologis.

CVm in præcedenti Seſſione (ex relatione auctoris 724.) ſtatutum eſſet, *vt de Sacramento Matrimonij, alijſque ad doctrinam fidei pertinentibus, deque Epiſcopatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum prouiſionibus, diuerſiſque alijs Reformationis articulis ageretur*, (quæ ab ipſis Patribus emanaſſe docuimus) addit 726. *Legatos de eis, quæ reliqua eſſent, faciliter expediendis propoſuiſſe, quæ in materia fidei, erant Indulgentiæ, Inuocatio Sanctorum, & Purgatorium*. Eamque materiam per Patres, Theologoſque Tridentinos præparatam fuiſſe aperit, ſubdens, *ad hunc effectum elegiſſe decem Theologos, duos Ordinum Generales, & binos pro quolibet Principe, nempè Pontificis, Galliæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ, eis iniungendo, vt perpenderent, qua ratione Proteſtantium, in ea re, opinio breuiter confutari poſſet: & poſtquam deliberaſſent, eorum ſententia in Congregatione Generali proponerentur; ſuper eiſque Canones, eodem tempore formarentur, quo de Matrimonio ageretur, Theologorum diſputationibus, quemadmodum anteà factum erat, minimè auditis, quò materia celeriùs expedirentur*. Vbi cum addat, *Oratorem Hiſpanum multa obieciſſe, ac præſertim requiſiuiſſe, vt Theologi, de more, ſuper materijs publicè loquerentur, officijſque cum Prælatis egiſſe, ne procedendi ratio immutaretur*; profecto aperit, non modò difficile fuiſſe, à conſuetis recedere, ſed res a ſolis Patribus penitùs dependiſſe, cum quibus Oratorem, non autem cum Legatis, egiſſe narrat.

At 728. in re Matrimoniali, data fuerunt (vt ait) *Anathematiſmata parum ab ea forma diſcrepantia, quæ tandem ſtatuta fuerunt: quæque à Patribus iterum, atque iterum formata, atque immutata fuiſſe* poſtmodum pluribus docet: & 729. *moniti Patres fuerunt, vt quæ in materia Matrimonij adnotaſſent, ei rei Præpoſitis, de ſcripto, traderent*:

&, cum

Digitized by Google

&, cum de his ſubdat 731. *in Congregationibus ſtatutum eſſe ; tùm propinquitatem ſpiritualem, affinitatemque ob ſponſalia, & fornicationem coarctare ; tùm diſpenſationes intrà quoſdam cancellos coercere* , vt in Decretis apparet ; eas propoſitiones, à Pontifice non emanaſſe dicendum eſt, non tàm, quia circa diſpenſationes coercendas eſſent (cum credibile non ſit, Pontificem auctoritatem propriã imminuere voluiſſe) quàm quia Epiſcopos ea ſibi reſeruari obtendiſſe addat, quò *ſeſe omnes Pontifices facerent, & quòd Sedem Apoſtolicam recognoſcere nollent*. Quæ Tridenti per Patres ſtabilita fuiſſe narrat 737. dicens, *Congregationes ad Matrimonij Anathematiſmata, & decreta ſtatuenda incaptas eſſe*, in quibus ea à Patribus formata, & ſtatuta fuerint, vt pluribus docet.

Pag. etiam 729. duo alij articuli propoſiti fuerunt, primus, *An expediret Vxoratos ad Ordines Sacros promoueri*; quem *vnanimi omnium Patrum ſuffragio, reiectum fuiſſe* ait: *Alter Matrimoniorum clandeſtinorum irritatio*: & 136. *irritationem approbaſſe: 57 contradixiſſe; & 10. aperire ſe noluiſſe: decretumque ex maioris partis opinione formaſſe*. In qua propoſitione, ac deliberatione, nullam partem Pontificem habuiſſe aperit, cum de primo articulo dixerit 662. *Legatis crimini datum fuiſſe* (ob ea, quæ inde grauiſſima in perniciem Sedis Apoſtolicæ conſequerentur) quòd id *permiſiſſent*: & in ſecundo, *Legatos inter ſe opinione diſcrepaſſe*: & 738. *Varmienſem, Simonetam, & alios* (quos Pontificios fuiſſe obtendit) *aduerſos irritationi extitiſſe* affirmet. Nam, an non Legati, & Pontificij in ſolum ſcopum à Pontifice præfixum vnanimiter conſpiraſſent?

Decreta à Patribus formata ac ſtatuta fuerũt.

Capita quoque *Reformationis, Legati, numero triginta, & octo, Oratoribus exhibuerunt* pag. 733. *quò, antequam Patrum examini ſubijcerentur, quæ vellent, exponerent*. Quæ de eorundem Oratorum aſſenſu propoſita etiam fuere, cum pag. 726. retulerit, *Legatos cum Cardinali Lotharingio*,

tharingio, Oratoribuſque Cæſaris & Catholici egiſſe, an de Principum quoque Reformatione proponi annuerent, eorumque aſſenſu elicito, omnia in vnum Capita redigi mandaſſe.

Cumque eadem pag. 733. *Comes Luna prehenſationibus, & officijs, à cæteris Oratoribus petijſſet, vt Præpoſitos ex ſingulis Nationibus eligi inſtarent, qui ea, quæ reformanda eſſent expenderent, quòd modulus, per Legatos exhibitus, vti ex vtilitatibus Romanis factus, alijs regionibus congruere non poſſet*; illimitatam in materijs proponendis, libertatem in Concilio fuiſſe confirmat, præcifis verbis addendo, *Cardinalem Lotharingium, Oratoreſque Gallum, Luſitanum, & Cæſareos obſtitiſſe, allegantes, ſuper capitibus propoſitis; tùm ſuam cuilibet aperire ſententiam; tùm alia inſuper, ſi opus eſſet, proponere liberum eſſe*; cum ex hac tantorum virorum teſtificatione, omnis in hac parte dubitatio à radicibus euellatur.

Et, cum Oratores poſtmodum omnes ſuas animaduerſiones, petitioneſque dediſſent (vt pag. 734. & infra videre eſt:) & referat *Cæſareos, eas die 31. Iulij: Gallos 3. Augusti, Hiſpanos verò ſeptima eiuſdem exhibuiſſe*: & pag. 737. *die ſequenti conſultati nem habitam eſſe inter Legatos, & duos Cardinales*, (Madruccium nempè, & Lotharingium) *ad Oratorum animaduerſiones perpendendas: & vt capita Reformationis eo modo diſponerent, quo Patribus tradenda eſſent* (vndè tempus Pontificem conſulendi non fuit) quid itidem certius, propoſitiones illas Pontifice inconſulto, ac penitùs inſcio, examini ſubiectas fuiſſe, licèt etiam de rebus maximi ponderis in illis Reformationibus (vt patet ex eis) ageretur.

Ait etiam 742. *Legatos, vna cum nonnullis Prælatis, propoſitiones Oratorum ſuper Reformatione expendiſſe, eaſdemque inſtantibus, ſex è Capitibus propoſitis omiſiſſe, eaque ad 32. redegiſſe: Cardinalem verò Lotharingium peculiarem Gallorum Congregationem, ad ea examinanda, habuiſſe, quòd caperent de eis, antequàm in Congregatione Generali propo-*

proponerentur, communi omnium ſatisfactione tranſigere: ad quem finem etiam ea Archiepiſcopo Hydruntino, & Tarentino, & Epiſcopo Parmæ exhibuiſſe addit, *vt, quæ communiter placuiſſent, explorarent: & ad id etiam, vt ante Congregationem, difficultatibus obuiarent, Legatoſque decreta, ex eorundem Prælatorum animaduerſionibus caſtigaſſe, atque immutaſſe*; & in nullo, per conſequens à Prælatorum voluntate receſſiſſe.

Addit tamen 739. *cum Decreto Matrimonij clandeſtini formam, quæ videtur, Franciſcus Beaupere Epiſcopus Metenſis dediſſet, & propoſitum in Congregatione 133. ſuffragijs approbaretur, 56. expreſsè reijceretur, id totum Legatos Pontifici ſignificaſſe, flagitando, quid nam peragi mandaret: &, ſi numeroſa adeò contradictione minimè obſtante, quando officijs eam ſuperare non poſſent, decretum ſtabilire deberent*: & pag. 751. *Legatos ad difficultates Clandeſtini explicandas publicam diſputationem, in contradictione, cum defenſoribus, & oppugnatoribus per Theologos haberi voluiſſe (quod nunquam aliàs in Concilio factum fuit) & nil boni inde emanaſſe, cum omnes immò in ſua opinione firmiores diſceſſiſſent*: & aperit ex his; primùm, Pontificem, in re tanti ponderis, nonniſi poſt decreti formationem, & ſuffragia ſuper eo in Congregatione reddita, conſcium factum fuiſſe: ſecundò, decreta, Patribus contradicentibus, ſtabiliri non conſueuiſſe: Tertiò, &, non ſolùm officijs cum eis, ad ea ſtabilienda, agendum, ſed rationibus etiam per diſputationes euincendos fuiſſe.

Et, ſi Pontifex poſteà (vt ſupponit 765.) ſcripſit *Legatis, vt decretum Clandeſtini, quæ maiori poſſet concordia, ſtatuerent, non tamen abſtinendo, licèt eadem etiam oppoſitio perſeueraret*; tamen rei ſolum expeditioni conſuluit, cum decretum iam Tridenti formatum, & à Patribus ſtatutum eſſet, nilque prorſus de eo præceperit, vt patet, quòd ſubdat in eodem loco, Legatos, *cum ſuffra-*

gia ſuper ea, in Seſſione, redderentur, non ſolùm inter ſe opinionibus diſcrepaſſe, ſed ſi ſe in Pontificis inſuper voluntatem reiecisſe. Quæ vtique illis facere non oportuiſſet, ſi quicquam eis certò præſcripſiſſet, aut ſuam quoquomodo mentem aperuiſſet.

Propoſitiones quoque, & decreta ſuper Reformatione Regularium, *in Congregatione à principio anni inſtituta* (vt ait 743. facta fuerunt. Vt & alia itidem Reformationis decreta Tridenti concluſa eſſe narrat 763. & infrà. Vbi, querentibus Hiſpanis, *duo capita ab ea forma immutata eſſe, quam Patres adnotauerant, ac Legatis, Præpoſitiſque decretis formandis de hoc altercantibus*, cum dicat, *Comitem Lunæ ſuis præſtò adfuiſſe, petentem, ſuorum Prælatorum oppoſitiones in conſideratione haberi*; quis non videat, inuiolabilia prorsùs fuiſſe, quæ Patres decreuiſſent, cum, non modò ipſi etiam Oratores Principum eis præſtò eſſent, ſed & in ipſa quinetiam Seſſione, quę forſan immutata eſſent caſtigari vellent? Nam pag 766. *cum Decreta in Seſſione legerentur, & in quinto de Cauſis Criminalibus Epiſcoporum, exciperentur Regina, in quibus Inquiſitio erat, motionem magnam inter Patres excitatam fuiſſe* ait, *dicentibus prom ſiuè Inſubribus, ac Neapolitanis, exceptionem illam nunquam appoſitam in Congregatione fuiſſe, expungendamque eſſe*, vt illicò feciſſe concludit.

Quare non mirum, ſi Pontifex Legatis ſcripſit 741. *vt totum, abſoluendæ Synodi gratia, concederent; quod negari non poſſet, & quę minus exitioſa eſſent, admitterentur*.

Et, ſi Lotharingio, ob inſtantias Oratorum Cæſaris, & Regis Hiſpaniæ; Reformationem Principum differri conſulente, dicat 742. *id placuiſſet, ni dubium remaneret, ne Prælati ſuſpicantes, totam Principum Reformationem penitùs omittendam eſſe, & publicè, & priuatim in Congregationibus reclamandi occaſionem arriperent*.

Quemadmodum, re ipſa, fecerunt, cum pag. 748. *id eos moliri ſuſpicantes, non ſolùm de non vltrà in actibus Synodalibus*

nodalibus procedendo, inter ſe agitare cœpiſſe referat, *ni Caput etiam illud quod de Principibus agebat, vnà cum alijs deliberationi ſubijceretur; ſed adeò inſuper proceſſiſſe* addat, *vt contum ex ipſis, fide ſibi inuicem obſtricta, conſtanter in ea deliberatione perſiſtendi Syngrapham ab omnibus ſubſcriptam formauerint, Legatoſque adierint, petentes, vt articuli Reformationis Principum proponerentur, ac Patribus traderentur, declarando ferè in forma proteſtationis, non vltrà ſe in alijs quoque agitandis progreſſuros, nec quicquam, niſi vnà cum eis in cæteris quoque alijs, deliberaturos eſſe*, vt feciſſe comprobauit euentus, cum Legatos pag. 751. *ad aſſumendas Congregationes, Reformationemque tractandam, reliquum articulorum exibuiſſent, quorum poſtremus pro Reformatione Principum erat, quòd ad id faciendum, Prælatorum ſeditione adigi viderentur*. Qua in re, quæ Prælatorum conſtantia fuerit, vel ex eo ſatis, ſuperque perſpicitur, quòd ad cumulum ſubdat, 760. *Legatos, cum fidem Lotharingio, ante illius diſceſſum dediſſent cuncta excipiendi, quæ à gratijs Pontificum dependiſſent, veluti Indulta, Priuilegia, aliaſque Sedis Apoſtolicæ Conceſſiones, primam nihilominùs formulam, cum eiſdem rebus, quas demere promiſiſſent, Patribus, poſt eius diſceſſum, dediſſent*. Nam, quæ erant, circa res proponendas, Patrum arbitria, ſi Legatos, non ſolùm inuitos proponere; ſed à fide etiam Principibus data recedere, & articulos inſuper contrà ipſam Apoſtolicam Sedem, examini ſubijcere, per vim, ac ſeditionem, cogebant?

Sed quid vltrà, ſi ipſum quinetiam Pontificem, vſque ad deſperationis quoque terminos adduxerunt? Ait enim expreſſiſſimis verbis 749. *cauſam, ob quam Seſſio in longiùs dilata fuit, extitiſſe, quia Pontifex, difficultatibus abſoluendæ Synodi perceptis, quæ, partim ob contrauerſias inter Prælatos, partim verò ob oppoſitiones Oratoris Hiſpaniæ, erant, ſpem omnem eas ſuperandi, in Cardinali Lotharingio poſuit, ideòque Legatis ſcripſit, vt Seſſionem, ni*

Q 2 *ſtato*

ſtato tempore, haberi potuiſſet ad duos menſes differrent, idque feciſſe, quò Cardinali ſeſe Romam conferendi, & quæ, nec per literas, nec per nuncios fieri poſſent, cum eo agendi ſpatium eſſet. Siquidem, cum, *nullam aliam ei deliberationem, illucuſque fuiſſe* concludat, *quàm Synodi abſoluendæ, & tunc ſi id non poſſet (cum ab ea ſeſe quoquomodo explicandi neceſſitate adigi videret) eam diſſoluere firmiter ſtatuiſſe; ad eumque finem, diſſolutionis, aut ſuſpenſionis faciendæ (vt melius de conſilio Patrum expedire cenſerent) Legatis facultatem miſiſſe* addat; vtique Pontificem ad extremos deſperationis terminos deueniſſe, perſpectiſſimum facit.

SESSIO XXV. & vltima.

Vigeſima quinta, & vltima Seſſionis materie, ac decreta, tùm fidei, tùm Reformationis, & quæcunque alia à Patribus emanarunt.

HVius Seſſionis materiam iam in præcedenti Seſſione ſtatutam fuiſſe recenſuit, cum dixit pag. 766. *agendum eſſe de ſexto capite, tunc in ea dilato, & de reliquis Reformationis capitibus iam exhibitis, deque aliis ad eam pertinentibus, & ſi opportunum videbitur, & tempus ſinet, poterit etiam de nonnullis dogmatibus tractari, prout in Congregationibus, ſuo tempore, proponetur.*

Addit poſteà 778. Cardinalem Lotharingium dixiſſe, *Concilium abſoluere neceſſarium eſſe*, ob multas rationes, quas attulit: &, in eo *quod pertinet ad id faciendi rationem, vnica Seſſione fieri poſſe, agendo in ea, quæ de Reformatione reliqua eſſent, & Cathechiſmum, Indicemque librorum prohibitorum, quæ iam peracta erant*, expediendo, *quæque ſupereſſent ad Pontificem reijciendo, nec articuli Indulgentiarum, & Imaginum diſputarentur, vel Anathemata in aliquem peculiariter ex hæreticis fierent, ſed res in terminis generalibus tranſigantur. Cui ſententiæ cum Patres acceſſiſſent, deliberationem Oratoribus omnibus communicatam fuiſſe* ait 779. Et, licèt ſolus Hiſpanus renueret, nihilominus Legati, cum deliberationem factam exequi vellent, *Caput Principum exhibuerunt.* Qua etiam die, de ſero, Congregatio-

gationem habitam eſſe addit, *quò de Reformatione agi inciperetur : & , cum maior difficultas ſuper ſexto capite de ſubiectione Capitulorum erga Epiſcopos eſſet , decretum tandem formatum fuiſſe .*

Et pag. 780. decreuiſſe in Congregatione, addit, *vt confirmatio omnium decretorum Concilij ſub Paulo , Iulio , & Pio , à Pontifice requireretur , in eademque Seſſione Synodus miſſa fieret .*

Et 781. *Cardinali Varmienſi , & octo Prælatis mandatum eſſe , vt decretum Purgatorij , Inuocationis , Venerationis , Reliquiarum , & Imaginum Sanctorum formarent: & , cum circa expreſſionem , ob varias difficultates non conuenirent , & Archiepiſcopus Lanciani admonuiſſet , cum de Miſſa ageretur , dictum fuiſſe Sacrificium illud pro Defunctis in Chriſto , non integrè purgatis , offerri , ob qua verba doctrina Purgatorij ſatis definita eſſet , & nil aliud idcircò oportere , quàm mandare Epiſcopis , vt eam predicari , abuſuſque tolli curarent , operamque darent , ne debita ſuffragia pro Defunctis omitterentur , in hac ſententia decretum formaſſe. Quemadmodum , & in decreto Sanctorum , & Imaginum , poſt aliquot difficultates , conueniſſe ſubdit .*

Addens, *nonnullos inſuper Prælatos , ad Fratrum , Monialiumque Reformationem caſtigandam , electos eſſe , præter eos , qui eam compoſuerant , Ordinum Generalibus additis . In qua nonnulla mutaſſe* recenſet .

Et 784. *In eo , quod pertinet ad Indulgentias , Epiſcopū Mutinenſem cum alijs Epiſcopis , & Cœnobitis electos fuiſſe ad decretum formandum , iuxta ſenſum in quo conuenerant additis abuſuum remedijs : In Congregationibuſque ſequentibus de librorum Indice , Cathechiſmo , Breuiario , Miſſali , Agendiſque actum eſſe , & lecta fuiſſe , quę ſtatuta erant in peculiaribus Congregationibus Prælatorum , qui illi rei , vſque ab exordio Synodi prapoſiti fuerant : & de libris Ritualibus , cum non deeſſent difficultates , rem in Pontificem rejcı Legatos propoſuiſſe paucoſque aliquos Prelatos non annuiſſe .*

Et

Et demùm, Cœtu coacto 785. *Purgatorij, Sanctorumque decreta, vt à Cardinali Varmienſi, alijſque præpoſitis formata fuerant, Regulariumque Reformationem, lecta, & maxima ſuffragiorum breuitate approbata eſſe: & poſtmodum Reformationis capitibus lectis, & nonnullis emendatis, ſtatutum, vt decreta omnia ſub Paulo, & Iulio, & Pio, deliberata, legerentur; & Synodum tandem, communi omnium, etiam Oratoris Hiſpanici conſenſione, abſolutam, clauſamque fuiſſe.*

Quare ex ipſamet facti ſerie, à Polano deſcripti, luce clariùs patet, Patres ſolos Tridentinos, non modò materias omnes in Synodo agitatas præſcripſiſſe, ex hæreticorumque libris, extraxiſſe, eaſque, inſcio inſuper Pontifice, propoſitas eſſe; ſed Decreta itidem, & Canones, Anathemata, Doctrinas, & quæcunque alia, nonniſi Tridenti, per eoſdem facta, formata, ac ſtatuta perpetuò eſſe; Pontificemque deliberationum conſcium, poſt factum, vt plurimùm extitiſſe; & cuncta, per conſequens, à ſolis Patrum arbitrijs, ſuffragijſque dependiſſe: ab eiſque ſolis, liberè, purè, atque omninò integrè emanaſſe.

De quo auctor certiſſima documenta, ad cumulum, affert, in fine ſuæ Narrationis concludendo 795. *Pontificem, Legatis Moronio, & Simoneta Romam aduenientibus, in multis cum eis congreſſibus, de ſucceſſibus ſingillatim ab eis inſtrui voluiſſe: Romanamque Curiam, audita Pontificis, de Synodo confirmanda deliberatione, lætitiam in querimoniam vertiſſe, conquerentibus Officialibus omnibus ob iacturam, cui, ob eorum munera ſubijcerentur ſi Reformatio illa executioni demandata eſſet: inſuper perpendendo, cũ ea Decreta in terminis generalibus, & abſq; ſubtilis explicationis clauſulis, concepta eſſent, quandocunq; difficultas oriri contigiſſet mundum in Curiam adlatrare iam aſſuetum, contrariam eorum vtilitatibus interpretationem facturum eſſe, & veluti res ſpecioſa, tituloque Reformationis palliata*

ample-

amplecteretur. Ideòque ſupplices iam Pontifici libelli, ac memorialia porrigebantur ab eis, qui munera emerant, eamque præuidentes perniciem pro indemnitate inſtabant. Quam rem plurimi à Sanctitate ſua factam fuiſſe addit, *opportunoque ideò remedio conſulendum cenſuiſſe, ne Romana Vrbi deuaſtationem afferret: reque optimè perpenſa, conſtituiſſe Cardinales, qui, tùm de Confirmatione conſulerent; tùm remedium, quo querelis Curiæ poſſet occurri, exquirerent: omneſque fere* (vt ſubdit) *miniſtri Curiæ, damna, ac præiudicia propria repræſentabant, oſtendendo, id totum denique in ipſiuſmet Pontificis, Sediſque Apoſtolicæ iacturam, eorumque prouentuum diminutionem recaſurum eſſe*. Siquidem, his per auctorem poſitis; quis eius leuitatem non rideat, qui, cum obtrudere voluerit, Pontificem, non alia de cauſa, propoſitionum, deliberationumque arbitrum eſſe voluiſſe, quàm vt Romanæ Curiæ, propriæque indemnitati conſuleret; nihilominus eas propoſitiones, & decreta fecerit, quibus *tot damna ſuæ Curiæ miniſtris: diminutionem cenſibus proprijs: Sedique Apoſtolicæ ipſique Vrbi deuaſtationem* (vt præciſiſſimis verbis perhibet) *allaturus fuiſſet*? Quæ ſunt hæc deliramenta Polane?

Et, an ea decreta Romæ (peracta Synodo) cenſuræ ſubijcienda fuiſſent; vel octo Cardinales eis examinandis, per Pontificem præpoſiti, *ea omnia moderanda eſſe decreuiſſent*, (vt ait 796.) ſi ibid. ex eorundem met ſolùm arbitrio, & vtilitate, per Pontificem facta, & formata reuera fuiſſent?

Cumque ibidem addat, eoſdem Cardinales addidiſſe, *cum certum ſit, eos, qui Synodum procurauerant, nil aliud ſibi procul dubiò propoſuiſſe, quàm Sedis Apoſtolicæ auctoritatem infringere, atque omnes (Synodo aperta) perindè locutos fuiſſe, ac ſi eidem Pontifici ius præſcribendi facultas eſſet, ea de cauſa, aliquot ex eis decretis abrogando; aut moderando, oſtendi oportere, non recipere leges à Concilijs, ſed eis dare Pontificis eſſe*; quis non videat, quàm magna ſit veri-

veritas, & quàm præualeat; quandò nulla maior confeſſio, aut clarior probatio eſſe poſſit, ea decreta, non à Pontifice, ſed à ſolis Patribus omninò integrè, ac liberè emanaſſe?

Et, cum Pontificem, ad ea Decreta facienda, Congregationem Cardinalium Romæ adhibuiſſe dixerit; an non penitùs quoque repugnat, eoſdemmet Cardinales, qui ea feciſſent, illa poſtmodùm improbaſſe? Siquidem apertiſſimè inquit eadem pag. 796. *Pontificem, ob querimonias Curiæ, vniuerſalemque Cardinalium opinionem, perplexum fuiſſe.*

Et licèt auctoritatem Epiſcoporum funditùs euertere, peculiarem Romanæ Curiæ ſcopum fuiſſe obtendat, vt vbique per Hiſtoriam inſinuare voluit; ea tamen è contrà ſic per Synodum amplificatam fuiſſe doceat, vt, requiſitis in Conſiſtorio Cardinalibus, *an Synodum per Pontificem confirmandam eſſe cenſerent; Cardinales S. Clementis, & Alexandrinus, ex eo potiſſimùm non confirmandam eſſe dicerent* (798. *quòd nimia, ex ea, Epiſcopis auctoritas tribueretur: & ea capita, quæ illam nimis amplificarent, moderanda eſſe*. Nam, ſi Decreta verè Romæ facta fuiſſent, an, queſo, vnquam contra ſcopum ſibi (ex auctoris ſuppoſitione) propoſitum decreuiſſent?

Quibus omnibus cumulum denique addit pag. 800. dum ait, *Lotharingium in Gallia reprehenſum fuiſſe, quia per verba primi Capitis Reformationis penultimæ Seſſionis, cum dicatur, Pontificem Vniuerſalis Eccleſiæ ſollicitudinem habere, ceſſiſſet ſententiæ, quam ipſe, omneſque Epiſcopi Galli tantoperè oppugnauerant, ac ſuperauerant, ne præiudicium fieret opinioni Galliæ de Superioritate Concilij ſupra Pontificem*; quando, his poſitis, velit, nolit, perſpectiſſimum faciat, deliberationes, nonniſi per ſolos Patres fieri, aut reprobari conſueuiſſe, aut potuiſſe, cùm Gallos eam definitionem, non modò in Concilio *ſemper oppugnaſſe, ſed etiam viciſſe* teſtetur. Ex quibus ſolis vnà quo-

quoque aſſumi poteſt, quàm malignè, & calumnioſè paucis anteà verbis, dixerit *opus non fuiſſe, Decreta per Pontificem ante confirmationem expendi, cum nil Tridenti factum fuiſset, quòd non ipſemet priùs expendiſſet*, & irrefragabiliter idcircò euincitur, Actionem Tridentinam, Liberam, Sanctam, atque illibatam omninò fuiſſe, ac non minùs falſa, quàm maligna, per conſequens eſſe, quæ auctor, ad hanc veritatem labefactandam, Pontifici, ac Romanæ Curiæ, per totam Hiſtoriam, impudentiſſimè tribuit, vt meliùs etiam (ea ſingillatim ſuis locis expendentes) ad cumulum patefaciemus.

✠

Digitized by Google

CAPVT II.

CVIQVE PRO LIBITO PROPONERE, monere, ac liberè loqui datum fuiſſe.

SVMMARIVM.

Legatos proponendi munus ſibi doloſè reſeruaſſe, calumnioſè obijci, quòd, quamuis eis ſolis competeret, eam nihilominus facultatem cuique perpetuò liberam eſſe voluerint.

Ea de re Cardinalis Lotharingij, Oratorumque Gallorum, Luſitaniaque teſtificatio.

Circa res proponendas, ac propoſitas Patrum libertas.

Et in propoſitionibus, etiam in Romanam Curiam, Pontificemque ipſum faciendis.

Quæ ab inferioribus quoque vſurpabatur.

Idque, non tàm permittentibus, quàm expreſsè inſuper præcipientibus Legatis.

Eadem Prælatis, in monendo, libertas; nec ſine effectu.

Et in liberè pari modo loquendo.

Quæ ab inferioribus itidem vſurpabatur.

CVm in præcedenti Capite, probauerimus, materias omnes, in Synodo agitatas, à ſolis Patribus emanaſſe, vltrà profectò quærendum non eſſet, an eas per ſe ipſos propoſuerint, cum ad plenam, hac in parte, libertatem ſufficiat, quòd earum re vera propoſitionum auctores eſſent. Nihilominus quia ex aduerſo obijciunt pag. 454. nemini prorſus proponere datum fuiſſe, ex quo Legati ſibi ſolis id munus, doloſè reſeruauerint, quò cæteros alios a propoſitionibus arcerent, nos malignitatem in hoc aduerſariorum, peculiari etiam diſſertatione, ex abundanti, patefaciemus.

Et

Et primùm, quàm malignè dicant, Legatos eam facultatem ſibi doloſè reſeruaſſe (quaſi ea omnibus indifferenter competeret) patet, quia ipſimet aduerſarij *loquendo de vſu, hac in re, perpetuò in Eccleſia ſeruato*, diſertiſſimis verbis, & proprio etiam nomine dicant pag. 131. *humanis affectibus charitati admixtis, cum neceſſe eſſet, eos aliquo ordine moderari, qui inter Concilij Patres, doctrina, vel Vrbis magnitudine, aut alterius cuiuſuis præeminētiæ ratione, principem locum obtinuiſſet; tùm proponendi, actionemq; moderandi; tùm ſuffragia excipiēdi munus obibat* & pag. iterum 324. *oportere Eccleſiæ iudicium (vt in qualibet neceſſe eſt multitudine) ab aliquo regi, qui præſideat actionemq; moderetur, res proponat, ac ſuffragia in deliberationibus colligat; eamque curam, cum digniori, atque aptiori debeatur, Epiſcopo ſemper, abſque vlla prorſus difficultate, demandatam eſſe*; cum, his per auctorem poſitis, negari non poſſit, eam facultatem Legatis Apoſtolicis, non doloſè ideò reſeruatam fuiſſe, ſed quòd eis ſolis (vtpotè indubitāter maioribus, ac dignioribus) ex vſu perpetuò in Eccleſia ſeruato, competeret. Quia de cauſa, re ipſa, Legati iam idem proponendi munus, in apertione Synodi, abſque vlla prorſus contradictione Synodi, abſque vlla prorſus contradictione, aſſumpſerant, vt retulit pag. 134.

Legatos proponendi munus ſibi doloſè reſeruaſſe calumnioſè obijci.

Et calumnia eò magis impudens eſt, quia id per Legatos, eo fine, factum fuiſſe criminentur, vt à propoſitionibus faciendis, omnes alios arcerent, cum perſpectiſſimum è contrà ſit ex Hiſtoria, Legatos eam facultatem (tametſi eis ſolis, cæteris alijs penitùs excluſis, competeret) non tàm Patribus, quàm inferioribus quoque indifferenter, perpetuò liberam eſſe voluiſſe. Quod, cum ex multis hucuſque relatis percipi facilè potuerit, ea hic tamen, cum alijs pluribus, ad rem optimè enucleandam, recenſebimus.

Satis ad hoc eſſet grauiſſima Cardinalis Lotharingij, Orato-

Ea de re Cardinalis à Lo-

tharingiæ, Oratorumq; Gallorum, Luſitaniæq; fides.

Oratorumque Gallorum, Luſitaniæque fides, per auctorem allata, pag. 733. quam paulò antè notauimus, quòd nempè *de capitibus propoſitis diſſerere, ſuamque aperire ſententiam, & alia, ſi opus eſſet, inſuper proponere, liberum cuique eſſet*; cum, ex hoc ſolo tantorum virorum teſtimonio, Polani falſitas, & impudentia ſatis reijciantur. Tamen id totum è re geſta, de more, oſtendemus, vt probatio ſit, aduerſus eum penitùs irrefragabilis.

Proponendi libertatē omnibus indifferenter permiſſam fuiſſe.

Pag. 125. in ipſo ſtatim Actionis principio, ait, Epiſcopum Aſturicenſem *propoſuiſſe, vt Legati Breue Legationis, & Præſidentiæ exhiberent, ac legeretur*: & pag. 134. Prælatos Gallos pari modo propoſuiſſe, vt verba, *Vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, Synodi Titulo adijcerentur.* Vbi addens, Legatos idcircò Pontifici ſcripſiſſe pag. 138. *eam Tituli amplificationem, cum illa Vniuerſalis Eccleſiæ repreſentatione, adeò popularem, cunctiſque probatam eſſe, vt in diſceptationem, reuocari facile poſſet*, non tàm Prælatos ex ſe, re ipſa, propoſuiſſe, quàm eam proponendi facultatem, pro libito, vſurpare inſuper potuiſſe docet. Nam, ſi id eis, pro libito non licuiſſet; an adeò timuiſſent Legati, ne illam Tituli amplificationem in diſceptationem iterum vocarent?

Archiepiſcopus quoque Lanciani (ex eiuſdem recenſione pag. 135.) *de Præſidentibus in decretis non nominãdis retulit: ex qua* (inquit) *propoſitione Legati maiorem, quàm è præcedentibus Gallorum moleſtiam perceperunt:* ijdemque Galli ibidem iteratò, *vt in Decreto expreſſa eorum Regis mentio haberetur*. Et, propoſitione de ſola Reformatione agendi facta, ſubijciens pag. 140. *tres Legatos, & per ſe ſingillatim, & per ſuos quoque adhærentes obſtitiſſe*; eam itidem propoſitionem per Legatos fieri non potuiſſe cõſequitur: vt & pari modo, cum decreti modulum factum fuiſſe addit 248. *quo vnicus Epiſcopatus permittebatur, & qui plures haberent, vnum tantummodò retinerent, quique plura in poſterum beneficia inferiora incompatibilia impetraret,*

ret, abſque alia declaratione, priuatus eſſet. Cum enim pag. 18. rem Beneficiariam (vt iam alibi notauimus) *ingens Romanæ magnitudinis fundamentum* appellet; omninò etiam repugnat, eam propoſitionem, adeò liberæ Pontificis collationi aduerſam, per legatos factam fuiſſe.

Circa res proponẽdas, ac etiam propoſitas Patrum libertas.

Pag. 166. nonnulli, in materia Lectionum, *antiqua instituta reſtitui propoſuerunt, quando Monaſteria, & Clauſtra Canonicorum, Gymnaſia, & Collegia tantummodò erant*: & alij pag. 216. *omnes, tum Capitulorum, tùm priuatarum perſonarum exemptiones aboleri*; & 234, *multi ſextum Baptiſmi articulum, vtpotè probabilem, omitti*, propoſuerunt.

Pag. verò 202. in Congregatione Patrum, *ſemel, atque iterum propoſitum pari modo fuit*, vt quæſtio (de Gratia) *vtpotè ambigua, longa, ac moleſta, omitteretur; ſed, cum in eam nihilominus affectu impellerentur, tandem Legatum, oſtendendo, ſatis de ea altercatum eſſe, & oportere illucuſque allata, quò maturiùs decerneretur, expendi, obtinuiſſe, vt de operibus præparatorijs, deque obſeruantia legis ageretur: eaque occaſione, Liberi Arbitrij materiam à multis introductam fuiſſe, Legatumque eam minimè detrectaſſe, ſed propoſuiſſe* (ait) *an, de ea ſimul diſquiri Patribus placeret; quòd ex connexione ſeiungi non poſſe videretur, ideòque electos fuiſſe Prælatos, ac Theologos, qui articulos examini ſubijciendos è Lutheranorum operibus ſeligerent*; ex quibus, non tàm materiarum propoſitiones, quàm rerum incæptarum omiſſionem, nouarumque tractationem, ſic in Patrum arbitrio fuiſſe aperit, vt Legati nil ſibi prorſus, citrà ipſorum aſſenſum, arrogarent, nec Patres (ob nimiam libertatem) ad iam controuerſa, atque in præcedentibus Congregationibus allata redire vererentur.

Adnitentibus quoque pag. 248. Legatis, vt Reformatio per Synodum Pontifici permitteretur, non ſolùm *id nulla tamen ratione, Patribus obſiſtentibus, obtineri potuiſſe* inquit, ſed pag. 253. *animaduertiſſe inſuper Pontificem*

addit,

addit, quàm ſuam paruipendiſſent auctoritatem, quia, cum Synodus Reformationis ſibi permittendæ ſpem dediſſet ipſeque, eam ad ſe aduocando, iam diploma feciſſet, de ea poſtmodum, omni eius poſthabita reuerentia, actius nihilominus actum eſſet; & quæ Patrum, hac in parte, eſſent arbitria magis, magiſque confirmat.

Exemptiones etiam reuocari inſtiterunt pag. 216: & nonnulli pag. 225. de *Eccleſiaſtica poteſtate agi propoſuerũt*: & alij alia pag. 256. 257. & alibi: & plures è Theologis pag. 319. poſt Euchariſtiæ articulos, *alium è Lutheri ſcriptis erutum articulum itidem propoſuerunt, quem damnari cenſebant*: & plerique pag. 320. *quòd alter multi ponderis articulus præteriretur, nempè, eius Sacramenti miniſtrũ eſſe Sacerdotem legitimè ordinatum*. Prælati Germaniæ pag. 329. de *degradationis legibus moderandis*: & pag. 525. cum de Sacrificio Miſſæ, & abuſibus circa illud agi propoſitum eſſet, Archiepiſcopus Granatæ, *vt vnà ſimul de materia quoque Ordinis ageretur*. In quo ea erat Patrum libertas, vt non modò per ſe ipſos, ſed etiam per inferiores, quæ voluiſſent, proponerent. Nam, cum Hiſpani cuperent, Inſtitutionem Epiſcoporum à Deo eſſe, declarari, communicatis conſilijs, è re eſſe decreuerunt (580.) *prima eius materia verba in Congregationibus Theologorum fieri, quò materia in Congregationibus Prelatorum præparata, ipſi ab alijs allata aſſumendo, vberiori de ea rationum apparatu diſſerere, cęteroſque ad idem allicere poſſent, remque ideò per Theologum Epiſcopi Pampilonenſis aggredi mandaſſe*; quem poſtea, & alij, tùm Theologi, tùm Epiſcopi (Legatis nullatenus obſiſtentibus) proſecuti fuerunt; vt Paulò ante notauimus.

Eadẽ in proponendo aduerſus Pontificem Romanamque Curiam libertas.

Qua in libertate arbitrij plenitudinem fuiſſe patet, quòd etiam in Romanam Curiam, Pontificemque ipſum, omni prorſus ſepoſita reuerentia, pro libito, propoſuerint. Nam, præter ea, quæ ad id facientia huc vſque attulimus, propoſita (pag. 186.) per Cardinalem à Mon-

à Monte reſtitutione Reſidentiæ, Epiſcopus Vaſonis, poſt acrem in Romanam Curiam diſſertationem, conſuluit, *vt quemadmodũ ea neceſſaria videbatur; ſic & de Epiſcopali ſimul auctoritate reſtituenda ageretur.* Vbi, cùm Epiſcopi, qui ex ordine ſequebantur, eidem opinioni adhærerent, *vt Reſidentiam præcipi, & quibus impediebatur, exemptiones abrogari neceſſe eſſet*, cũ addat, *Legatũ vtrique deliberationi aſſentiri coactum fuiſſe*, non ſolùm contra exemptiones Apoſtolicas, propoſitiones per Patres factas eſſe, ſed effectu inſuper non caruiſſe docet.

Pag.248. *de Diſpenſationibus abolendis* actum fuit: *& vtrum Beneficiorũ pluralitas Diuini, an humani iuris eſſet: deque Commendis, beneficiorumque Vnionibus, exemptionibuſque Apoſtolicis abrogandis.* Quæ à Legatis propoſita non fuiſſe aperit, ſubdens, *de Diſpenſationibus multis diebus altercatum fuiſſe, exquo obÿceretur, omnem indè Pontificis auctoritatem aboleri, atque acri earundem validitatis diſquiſitione, omnes in dubium reuocari: & qui pluralitatem de Iure Diuino aſſerebant, dixiſſe, non poſſe idcircò in ea Pontificem diſpenſare, eamque contentionem periculoſam viſam eſſe Legatis, quòd Reſidentiam reuocaret in contentionem, auctoritatemque Pontificis tangeret: & in eo, quod pertinet ad Commendas, & Vniones, Epiſcopos Italos (quòd magna ex parte in elterutro impliciti eſſent) adeò abſolutas propoſitiones haud æquo animo accepiſſe.* Cum hæ ſiquidem propoſitiones, non ſolùm auctoritati Pontificis grauiſſimæ eſſent, ſed ab ipſis quinetiam Legatis improbarentur, ab eis etiam proculdubiò emanare non potuerunt.

Quemadmodum & propoſitionem *de remouendis Epiſcopis non reſidendi cauſis*, quam pag. 316. recenſet, ab eiſdem Prælatis factam fuiſſe declarat, apertiſſimis verbis dicens, ***Prælatos tandem in Iuriſdictione conſtitiſſe, dicendo, Epiſcopos, vel cauſarum auocationibus, vel appellationibus, demùmque exemptionibus eapenitùs priuatos eſſe; immò***

immò frequentiùs per ſubditos ſupra, & aduerſus Epiſcopos, quàm per eos in ſubditos, vel peculiaribus à Curia commiſſionibus, vel conſeruatoriarum vi, exerceri; ſuper eaque materia Patres, qui formarent articulos, electos eſſe.

Et eas itidem quas pag. 257. *de Vnionibus ad vitam prohibendis, deque iam factis irritandis* ab Hiſpanis factas fuiſſe ait: & alias huiuſmodi, quas pariter pag. 262. 306. 316. & 787. factas commemorat, & nominatim pag. 746. *de Penſionibus, & Reſeruationibus fructuum iam factis, ac Egreſſibus moderandis, cum ſimilibus* in eadem materia; cum repugnet ſuppoſitionibus auctoris, propoſitiones contra liberam Pontificis in collationibus auctoritatem, Curiæque vtilitatem per legatos factas fuiſſe.

Pag. 698. Epiſcopus Nemauſenſis ad *Annatarum tractationem* tranſijt: Guadicenſis pag. 699. *in Ordinationem Epiſcoporum Titularium* verba fecit: de Lugo ſermonem de *Diſpenſationibus habuit, oſtendendo, multas materias eſſe, quas per Synodum indiſpenſabiles declarari è re eſſet Eccleſiæ*. Quæ propoſitiones, cum liberam itidem Pontificis auctoritatem in Beneficiorum collationibus læderent, à Legatis factas fuiſſe repugnat.

Et propoſitionem pariter *de exemptionibus Regularium tollendis*, exquo apertiſſimis verbis dicat. 743. & 744. *eum motum per Epiſcopos excitatum fuiſſe, Legatoſque Regularibus in eo negocio fauiſſe, quòd Romana Curia (ni ab ea dependiſſent) aptiſſimi inſtrumenti iacturam ſubitura eſſet.*

Hiſpani pag. 257. *Cardinalium Reformationem* iteratò propoſuerunt, *vtque nominatim in decretis comprahenderentur; eorundem creationem* Philadelphienſis pag. 552. Coimbricenſis eadem pag. Capitis Reformationem: Pariſienſiſque itidem 553. *vt Cardinales, & Epiſcopi reformarentur;* & Oreatenſis *declarari, Concilij Generalis decretis Caput quoquè obſtringi.*

Quæſtiones verò, an Reſidentia, & Inſtitutio Epiſcoporum eſſent de Iure Diuino, nec ne, (ex qua declaratione

ratione actum propemodum de Pontificatu, ac Romana Curia fore opinatum fuiſſe ait paginis, alibi ſuprà notatis 214.& 593.) non ab alijs, quàm à Patribus excitatæ fuerunt, cum in Reſidentia, non ſolùm Archiepiſcopus Granatæ, ac reliqui poſtmodum Hiſpani, ex ſe ingreſſum fecerint; ſed eam poſtmodum contentionem, pro libito, excitauerint, vt iam in præcedenti capite notauimus: & Oratores Cæſaris dixerunt, admonendo pag.499. in 20. capite Reformationis,quam Legatis exhibuerunt, vt operam darent, *ne quæſtiones inutiles, quæ ſcandalum pariant, velut illa, an Reſidentia ſit de Iure Diuino nec ne, ac ſimiles proponerentur*: & in alia ſimiliter Hiſpani ingreſſum per Theologum Epiſcopi Pampilonenſis fecerint, vt paulò antè docuimus, & auctor confirmat, referens 617. Simonetam (*cum Lotharingius hortaretur Patres, vt à quæſtionibus, quæ è re, e o tempore, non erant, abſtinerent*) *eam propoſitionem à Legatis factam fuiſſe negaſſe, Seripandumque addidiſſe, Patres, ob nimiam licentiam, non contentos de Superioritate Epiſcoporum, quæ propoſita erat, verba feciſſe, aliam etiam de eorundem Inſtitutione in medium attuliſſe, & Ius vtrique Diuinum addidiſſe, Legatorumque tolerantia, ac patientia, in eorum procacitate ferenda, abuſos, in eos inſuper culpam reieciſſe: eaque de re nimiam eorum, in eis quæſtionibus excitandis, libertatem, deque Pontificis Poteſtate agendi, procacitatem acriter reprahendiſſe*.

Quæ eò magis Synodi libertatem oſtendunt, quòd arbitrium in proponendo, inferiores pro libito pariter vſurparent; quando, ex auctoris relatione, Canoniſtæ pag.166.*propoſuerint, vt, Scholaſtico vſu, veluti minùs congruo, poſthabito, nouæ lectiones, ad Sacramenta, & auctoritatem, poteſtatemque Eccleſiaſticam pertractandas inſtituerentur*: aliqui Theologi, pag. 522, Legatos, in ipſa etiam Seſſione (vbi res omninò ſtabilitæ, ab omnibuſq; approbatæ afferebantur) ad propoſitiones ex tempore *Quæ libertas ab inferioribus quoque vſurpabatur.*

faciendas, compulerunt; nec à propoſitionibus in ipſam quoque Romanam Curiam abſtinuerint. De quo, pro omnibus, audax nimis Ioannis Groperi exemplum ſufficiat, quem pag. 327. *appellationes ad Pontificem tolli propoſuiſſe narrat*. Qua de cauſa Præſidentes moleſtiſſimè tuliſſe ait 328. quod eò vſque auderent, *quia id, non contra ſola Romanæ Curiæ commoda, ſed eius quinetiam dignitatem eſſe dicerent, cum, Romano ſilente Foro, ipſa quoque paulatim Pontificis Superioritas euanuiſſet, quando propriũ hominum ſit, eum ſuperiorem non agnoſcere, à cuius auctoritate nil ſpei, aut commodi eſſet*.

Dominicani, & Franciſcani, non tàm pag. 170. & 176. quæſtionem *Conceptionis B. Virginis* excitarunt, quàm pluriès in eam poſteà (fruſtrà reclamante Legato) reinciderunt, *quòd eos, non ad opiniones Catholicorum, ſed hæreticorum damnandas congregatos* diceret; quas inſuper *vſque ad contentionis ſpeciem exarſiſſe* addit; & ex arbitrio, & pro re nata, per Regulares excitatas fuiſſe docet, dum pag. 233. & alibi Legatis opus fuiſſe ait, Ordinum Generales accire, *quò ſuos ad modeſtiam, charitatemque hortarentur, nène adeò in propriam Sectam affecti eſſent, quòd nonniſi aduerſus hæreſes adhiberentur, cui nimiùm contrarium ſit, nouis erroribus, ob contentiones, occaſionem præbere, Pontificemque admonuiſſe, quàm periculoſa ea Regularium libertas eſſet, & quouſque tandem progredi poſſet*. Eos ſiquidem proculdubiò repræhendere non potuiſſent Legati, ſi de rebus ſolùm à ſe propoſitis differuiſſent.

De ſuis etiam *Eccleſiaſticis beneficÿs conſeruandis, deque iamdiù antè, ob commendationes perpetuas, amiſſis, recuperandis*, egerunt pag. 347. Sotus (653.) *Reſidentiæ quæſtionem importunè excitauit*, eamque (vt ait) de *Iure Diuino declarari inſtitit*, nouiſque motibus occaſionem dedit; vnuſque è Theologis Gallis pag. 668. ſermonem de ea, *ex ſe, intulit*, quam de Iure Diuino eſſe, rationibus, exempliſque contendit. Quæ vtique argumenta

ſunt

ſunt certiſſima, libertatem hoc in genere, vltra progredi non potuiſſe; quando Canoniſtæ, Doctores, & Regulares quæcunque, pro libito, proponerent, in mediumque liberè ex ſe (licèt etiam maximi in rem Romanam momenti, & conſequentiæ eſſent) afferrent.

Quod ex eo factum fuit, quia Legati, non tàm eam facultatem omnibus indifferenter permitterent; ſed quia expreſsè inſuper mandarent (ex relatione Polani 134.& 145.187.225.227.228.366.515. 525. 626. 681.729.733. & alibi pluriès) *vt omnes, quæ agenda eſſent, cogitarent, & quidnam expendendum, aut emendatione dignum cenſerent, cum ſuis remedijs, animaduerterent, quoſue articulos in rebus propoſitis cenſura dignos crederent, admonerent*; cum, his poſitis, ſequatur, Legatos voluiſſe omnibus, circa res pertractandas, etiam ex expreſſo eorundem mandato, libertatem, facultatemque eſſe.

Eaque facultas, non ſolū permiſſa ib. ſed expreſsè etiam mandantibus Legatis permittebatur.

Vt re ipſa comprobat, referens 155. *quemlibet collegiſſe, quonam pacto imbecillitas, ac ſuperſtitio humana rebus Sacris abutatur, & multa verba, ad ea extirpanda, facta, ac propoſita remedia fuiſſe*: pag. 187. *Præpoſitos ad colligendos iuſtificationis articulos, extractus propoſitionum à quolibet notatos accepiſſe*: 228. *in materia Sacramentorum ſingulis animaduertere mandaſſe, ſi quis alius, ea in re, articulus proponendus occurreret*: & pag. 249. *Prælatos Hiſpanos, propoſitiones de ſcripto exhibentes, Cenſuram ſuper Capitibus propoſitis feciſſe, eamque Legatis in Congregatione, vndecim Capita continentem, dediſſe*: pag. 538. *aliam petitionem ab omnibus eis ſubſcriptam, ad nonnullas modificationes obtinendas, iterum exhibuiſſe*: 463. Oratores *Cæſaris expoſitionem, quinque petitiones continentem, feciſſe, eamque de ſcripto dediſſe*: quemadmodum, & Gallos de ſcripto pag. 515. *Patres ad Communionem Calicis concedendam hortatos eſſe*: & 729. quandam aliam requiſitionem, eorum Regis nomine, perlegi voluiſſe. Quinqueccleſienſis pariter 571. Hungaris, Polonis, Hiſpaniſque in vnum coa-

ctis, *mandauit, vt quæ è re Diuina eſſe cognoſcerent, in ſcriptis colligerent*: 733. & infrà, Oratores Principum *ſuas petitiones, conſiderationes, ſeu capita Reformationis*, quæ volebant, perlegi pari modo fecerunt: qua etiam de cauſa Legatos *capita Reformationis, antèquàm examini ſubijcerentur*, eiſdem Oratoribus tradere conſueuiſſe, narrat, *quò de eis antè conſulere, & ex arbitrio monere poſſent*.

Et ita fieri conſueuiſſe, facilè etiam aſſumitur, quia Quinqueccleſienſem *ſex eorum curam petitiones in ſcriptis redigendi dediſſe* dicat. Nam, an non vanum, ea in re, laborare eſſe, ſaltem dixiſſent? Et Oratores Cæſaris, & Chriſtianiſſimi petentes, vt *bini è ſingulis Nationibus ſeligerentur, qui in Synodo proponenda, ac diſcutienda commemorarent*, à Legatis eis verbis reiectos fuiſſe affirmet 569. *ſe è ratione conſueta acturos eſſe, vt quilibet cuiuſcumq; conditionis, eiſdem Legatis ea ſuggerere poſſet, quæ neceſſaria, vtilia, & congrua cenſerent*; quandoquidem Oratores, ob eam repulſam æſtuantes, nil prorſus contra hanc Legatorum aſſeuerationem, ad eam refellendam, dixiſſe referat, licèt multa alia libero ore (vt Gallis mos eſt) in Pontificem, Legatoſque euomentes inducat, cum de re denegata potiùs dicere debuiſſent.

In quo, non tàm omnibus in genere, quàm paucis ſeorſum, & cuique etiam ſingulariter petenti, aut monenti ſatisfactum fuiſſe docet. Nam, aliquibus ad ſubſtantialia procedi inſtantibus pag. 137. *Legati ſatis eis facturi propoſuerunt, vt tria Capita, in Bulla Pontificis contenta perpenderentur; quanam ratione tractationes illa inſtituendæ eſſent, ſuamque frequenti in Congregatione ſententiam quiſque diceret*: qua etiam de cauſa Legatos pag. 144. Pontifici ſcripſiſſe, ſubiungit, *impoſſibile eſſe, ni re ipſa ſeriò aggrederetur, ampliùs morari*.

Et tametſi de Reformatione, & de Dogmatibus ſimul peragi ſtatutum eſſet, in ſolis nihilominus Prædicationis, Lectioniſque abuſibus, non alia de cauſa, conſti-

terunt

terunt pag. 161. (quamuis etiam Synodi determinatio obſiſteret) quàm, quia *id Prælati Hiſpani petijſſent*. Vt & pag.256. *Epiſcopo Pacenſi*: 330. *Comiti Monfortio*: 363. *Proteſtantibus*: 522. *Ieſuitis Salmeroni, & Torres*: vt & alijs in rebus, alijs ſatisfactum fuiſſe recenſet. Qua in re, quàm faciles ſeſe præberent Legati, vel ex eo ſolo ſatis, ſuperque docet, quia cum Epiſcopus Gerundenſis, eis è Congregatione diſcedentibus occurriſſet; atque iterùm ſedere, & audire iuſſiſſet (quemadmodum &, *non ſine multorum Prælatorum indignatione* feciſſe ait) eum tamen (quamuis eorum nimis patientia, ac dignitate, abuſus eſſet) & libentiſſimè audiuiſſe,& voti etiam cõpotem facturos promiſiſſe dicat pag. 520. Vt & Quinqueccleſienſi declarante 552. ſe Calicis conceſſionem per epiſtolam, Pontifici permitti, nunquam laturum, ni aliquod Seſſionis decretum appareret: nec ab ea ſententia diſcedere vellet; illi nihilominùs morem geſſerint; licèt *quàm difficile, ac periculoſum eſſet decretum proponere ei Varmienſis oſtendiſſet*, & ad exitum obtinendum, *id per epiſtolam fieri conſuluiſſet*.

Quare non mirum, ſi Legati, (ex relatione auctoris 578.) omnibus vnà collectis, quæ per Cæſareos propoſita erant, quæque illucuſque de Reformatione petijſſent, ea omnia ſimul cum reſponſionibus, quas dederant, & extractu rerum in Conuentu Galliæ ſtatutarum, ac Prælatorum Hiſpanorum requiſitionibus ad Pontificem miſerunt, exponendo, *ſe eam vlterius verbis protrahi non poſſe cenſere, ſed aliquo effectu hominibus oſtendendum, ſe, ad eam pertractandam materiam, voluntatem habere, Principumque Oratoribus, deliberando, ſatis aliqua ex parte faciendum eſſe*: vt reuera, non aliqua ex parte, ſed in omnibus (Rituum tamen, Præceptorumque Eccleſiæ moderationibus demptis) factum fuiſſe, ipſamet Synodi Decreta abundantiſſimè, docent.

In

In quo ſic ex omnium placito rem gerebant Legati, vt, ſi de rebus quandoque monitis, aut requiſitis referre è re, aut oportunitate non eſſe cenſerent, ea nihilominùs, irrequiſitis auctoribus, non præterirent, vel officijs agerent, vt dilationem æqui, bonique facerent. Vt pag. 515. vbi Galli, Communionem Calicis concedi, de ſcripto, poſtulaſſent, & Legati id (ob ea quę recenſet) oportunum, eo tempore, non eſſe cenſerent, *cum Pagnano, Agente Marchionis Piſcariæ, egiſſe ait, quò ea de re, nonniſi ſuo Rege præmonito, decerni inſtaret: ad effectumque agendi cum Cæſareis, quò rem differri paterentur, ſextę ac ſeptima diei Congregationes omiſiſſe, operamque dediſſe* addit, *vt Oratores (facta tamen in decreto dilationis mentione, eaque de re alio tempore agendi fide data) acquieuerint.* Et 642. Epiſcopum Commendonem miſerunt ad Cæſarem, quò ipſos *apud eum purgaret, rationemque redderet, cur eius Maieſtatis petitiones propoſitæ adhuc non eſſent:* & 645. cum Oratorum Gallorum petitiones proponere non poſſent (vt poſtulabant) Cardinalem Lotharingium apud eos deprecatorem adhibuerunt, quò *eam dilationem meliorem in partem acciperent*; & inſtante itidem 759. Comite Lunæ, Regis Catholici Oratore, vt verba, *Proponentibus Legatis*, è decreto expungerentur; *Legati pro declaratione, in proxima Congregatione facienda, fidem Comiti dederint*. Vt & factum fuit; licèt percipi non potuiſſe ſubiungat, *quanam ratione id, citrà præteritarum Seſſionũ detrimentum, fieri poſſet, quòd, non modò reuocatio, ſed quęcunque etiam modificatio, aut ſuſpenſio, declaratio viſa fuiſſet, præterita legitimè facta non eſſe.* Quod & pag. pari modo 491. 617. 736. & alibi pluriès alijs in rebus per eos factum fuiſſe perſpicitur.

Ex quibus (vt multa alia prætereamus) cum manu ipſa tangatur, non Patribus tantùm, ſed Regularibus, & Doctoribus, alijſque inferioribus, re ipſa, perpetuò licuiſſe, de qnacunque re, ex ſententia differere, noua

pro

pro libito proponere, ac ſopita quinetiam excitare: idque auctor Cardinalis inſuper Lotharingij, Oratorumq; Gallorum ac Luſitaniæ teſtimonio comprobet, ex neceſſitate etiam conſequitur, per verba, *Proponentibus Legatis*, in decreto appoſita, Synodi libertatem nullo modo violatam, læſam, aut imminutam fuiſſe: & nonniſi malignè idcircò per auctorem irrideri declarationem per Synodum factam pag. 775. *per decretum, nempè, quòd ſoli Legati proponant, nullum præiudicium factum intelligi.*

Sed de loquendi, ſeſeque tutò aperiendi libertate, ipſemet auctor docet; tùm Patribus, tùm cæteris quin etiam, cuiuſcunque conditionis, de quacunque re propoſita diſſerere; noua etiam, ex arbitrio, excitare, ac proponere: ad alia digredi: & ad præterita, ſi libuiſſet, reuerti, omninò liberè licuiſſe. Quæ, præter ea, quę huc vſque attulimus, ex eo peculiariter probabimus, (ne in alijs nimiùm fòrſan diuagemur) quòd contrà Romanam præſertim Curiam, Pontificemque ipſum, nullo prorſus eorum reſpectu, aut ratione habita; omnibus indifferenter proponere, loqui, impetere inuehi, exclamare, & quæcunque alia (nemine aduerſante, ac prohibente) facere datum fuerit; adeò vt tota Polani Narratio, non aliud, quàm perpetua in Romanam Curiam, Pontificemque obtrectatio eſſe propemodum videatur.

Eadem in loquendo libertas; præcipuè aduerſus Romanam Curiam, Pōtificemq; ipſum.

Etenim, quid aliud comprobant tot illæ, tùm Patrum, tùm cæterorum aliorum, in Legatos, Pontificem, Romanamque Curiam propoſitiones, *Synodi Titulum amplificandi: Præſidentes in decretis non nominandi: Exemptiones, & Indulta Pontificis irritandi: deque Eccleſiaſtica poteſtate agendi*, quas certò in Romanam Curiam conſilio, liberè, ac perpetuò factas fuiſſe, ex auctore ipſo vidimus? Quid verò illæ, *Cardinales nominatim in decretis comprahendendi, ipſoſque, ac Pontificem quinetiam ipſum Cenſuræ, Canonibuſque ſubijciendi, decretiſque Synodi obſtringendi?*

Quid

In quo ſic ex omnium placito rem gerebant Legati, vt, ſi de rebus quandoque monitis, aut requiſitis referre è re, aut oportunitate non eſſe cenſerent, ea nihilominùs, irrequiſitis auctoribus, non præterirent, vel officijs agerent, vt dilationem æqui, bonique facerent. Vt pag. 515. vbi Galli, Communionem Calicis concedi, de ſcripto, poſtulaſſent, & Legati id (ob ea quę recenſet) oportunum, eo tempore, non eſſe cenſerent, *cum Pagnano, Agente Marchionis Piſcariæ, egiſſe ait, quò ea de re, nonniſi ſuo Rege præmonito, decerni inſtaret: ad effectumque agendi cum Cæſareis: quò rem differri paterentur, ſextę ac ſeptima diei Congregationes omiſiſſe, operamque dediſſe* addit, *vt Oratores (facta tamen in decreto dilationis mentione, eaque de re alio tempore agendi fide data) acquieuerint.* Et 642. Epiſcopum Commendonem miſerunt ad Cæſarem, quò ipſos *apud eum purgaret, rationemque redderet, cur eius Maieſtatis petitiones propoſita adhuc non eſſent:* & 645. cum Oratorum Gallorum petitiones proponere non poſſent (vt poſtulabant) Cardinalem Lotharingium apud eos deprecatorem adhibuerunt, quò *eam dilationem meliorem in partem acciperent;* & inſtante itidem 759. Comite Lunæ, Regis Catholici Oratore, vt verba, *Proponentibus Legatis*, è decreto expungerentur; *Legati pro declaratione, in proxima Congregatione facienda, fidem Comiti dederint.* Vt & factum fuit, licèt percipi non potuiſſe ſubiungat, *quanam ratione id, citrà præteritarum Seſſionũ detrimentum, fieri poſſet, quòd, non modò reuocatio, ſed quæcunque etiam modificatio, aut ſuſpenſio, declaratia ipſa fuiſſet, præterita legitimè facta non eſſe.* Quod & pag. pari modo 491. 617. 736. & alibi pluriès alijs in rebus per eos factum fuiſſe perſpicitur.

Ex quibus (vt multa alia prætereamus) cum manu ipſa tangatur, non Patribus tantùm, ſed Regularibus, & Doctoribus, alijſque inferioribus, re ipſa, perpetuò licuiſſe, de qnacunque re, ex ſententia differere, noua

pro

pro libito proponere, ac ſopita quinetiam excitare: idque auctor Cardinalis inſuper Lotharingij, Oratorumq; Gallorum ac Luſitaniæ teſtimonio comprobet, ex neceſſitate etiam conſequitur, per verba, *Proponentibus Legatis*, in decreto appoſita, Synodi libertatem nullo modo violatam, læſam, aut imminutam fuiſſe: & nonniſi malignè idcircò per auctorem irrideri declarationem per Synodum factam pag. 775. *per decretum, nempè, quòd ſoli Legati proponant, nullum præiudicium factum intelligi*.

Sed de loquendi, ſeſeque tutò aperiendi libertate, ipſemet auctor docet; tùm Patribus, tùm cæteris quin etiam, cuiuſcunque conditionis, de quacunque re propoſita diſſerere; noua etiam, ex arbitrio, excitare, ac proponere: ad alia digredi: & ad præterita, ſi libuiſſet, reuerti, omninò liberè licuiſſe. Quæ, præter ea, quę huc vſque attulimus, ex eo peculiariter probabimus, (ne in alijs nimiùm fòrſan diuagemur) quòd contrà Romanam præſertim Curiam, Pontificemque ipſum, nullo prorſus eorum reſpectu, aut ratione habita; omnibus indifferenter proponere, loqui, impetere inuehi, exclamare, & quæcunque alia (nemine aduerſante, ac prohibente) facere datum fuerit; adeò vt tota Polani Narratio, non aliud, quàm perpetua in Romanam Curiam, Pontificemque obtrectatio eſſe propemodum videatur.

Eadem in loquendo libertas; præcipuè aduerſus Romanam Curiam, Pōtificemq; ipſum.

Etenim, quid aliud comprobant tot illæ, tùm Patrum, tùm cæterorum aliorum, in Legatos, Pontificem, Romanamque Curiam propoſitiones, *Synodi Titulum amplificandi: Præſidentes in decretis non nominandi: Exemptiones, & Indulta Pontificis irritandi: deque Eccleſiaſtica poteſtate agendi*, quas certò in Romanam Curiam conſilio, liberè, ac perpetuò factas fuiſſe, ex auctore ipſo vidimus? Quid verò illæ, *Cardinales nominatim in decretis comprahendendi, ipſoſque, ac Pontificem quinetiam ipſum Cenſuræ, Canonibuſque ſubijciendi, decretiſque Synodi obſtringendi?*

Quid

Quid illæ, *Iuriſdictionis Pontificia moderanda, Epiſcopaliſque amplificanda, ac de Annatis, & Epiſcopis Titularibus, deque diſpenſationibus*, alijſque huiuſmodi plurimis tollendis, propoſitiones à Patribus, alijſque factæ?

Et ni liberum eloqui fuiſſet; *an de Regularium Exemptionibus abrogandis: de Penſionibus, & Reſeruationibus fructuum: de auctoritate Pontificis in re Beneficiaria: Beneficiorum, Epiſcopatuumque pluralitate moderandis*, ex ſe, vt plurimùm, ſermonem inſtituere potuiſſent, vt pro libito inſtituiſſe patefacimus?

Et qua etiam de cauſa dicemus, Cœnobitas, Regulares, cæteroſque Doctores, ac Theologos *Reſidentiam, Inſtitutionemque Epiſcoporum de Iure Diuino eſſe, tàm acriter contendiſſe; deque Appellationibus ad Pontificem tollendis*, ſermonem intuliſſe; &, contra expreſſa Legatorum mandata, *de B. Virginis Conceptione* egiſſe; *deque ſuis beneficijs, tum conſeruandis, tùm per Pontificem commendatis recuperandis, inſtitiſſe*?

Et quid liberius, quàm, eiſdem Legatis mandantibus, nedum permittentibus, quæcumque, tùm voce, tùm ſcripto, & monere, & exhibere potuiſſe, vt fusè docuimus?

Et ad rem propiùs accedentes; nonne pag. 149. ait, Epiſcopos (quos indiguos appellat) non ſolùm *contra Penſionum impoſitiones* liberè exclamaſſe; ſed vt dies *Tridenti Auditori Cameræ diceretur, in eumque per Synodum animaduerteretur*; ſeditioſè etiam conſuluiſſe?

Pag. verò 163. cum Legati Synodi expeditioni conſulerent, ac Theologorum, Doctorumque ideò ſententias, in precedentibus Congregationibus allatas, ſummatim recitari iuberent; itidem ait, *Epiſcopum Feſulanum, non modò perpetua oratione obſtitiſſe*, ſed inſuper addidiſſe, *oportere Congregationem Generalem, ſingulorum ſententias, diſſertationeſque, non ſummatim ex ſcripto, audire: &, Synodi auctoritatem amplificando, deque neceſſitate*

optimè

optimè Patres inſtruendi differendo, oſtendiſſe, quàm indecens eſſet, vt aliqui ſolùm deliberationum arbitri eſſent, vel decreta aliundè emanarent; quo nil petulantius dici potuit, cum hæc falſiſſima eſſent. Siquidem, *quòd aliqui tantummodò deliberationum arbitri eſſent*, vel *decreta aliundè* (nempè à Pontifice) emanarent, dici nullatenus per Feſulanum poterat, quòd in ea tantummodò Seſſione, decreta primùm *emanauerint* (cum in præcedentibus, nonniſi de quibuſdam præparatorijs actum eſſet:) & quæ in ea tractata, ac ſtatuta fuerunt, inſcio penitus Pontifice facta fuerint, vt ex auctore ipſo docuimus ſupra in notis ad Seſſ. 1.2.3.4. & quintam.

Quare, ſi Feſulanus ea verè dixit, meritò etiam *offenſionem magnam* (vt ſubijcit) *Legati ceperunt*, nec abs re *Epiſcopum ſtudioſa modeſtia acriter reprabendiſſent, aut ſine cauſa, de illo amouendo Pontifici etiam ſcripſiſſent*. Quę tamen falsò per eum, de more, ſupponi, aſſumi facilè poteſt, quòd Feſulanum, non modò eadem poſtmodum procacitate perpetuò nihilominùs loquentem induxerit; ſed quia quinque non ampliùs paginis antè, præmiſerit, *neminem inter Synodi Patres conſpicuum doctrina fuiſſe, ſed nonnullos legum peritos, in ea forſitan profeſſione, ſed non in Religione doctos extitiſſe, ex eiſque admodum paucos Theologiam, ſed tamen citra mediocritatem, calluiſſe, ac pleroſque Nobiles, aut Aulicos, adeòque in rebus ſcholaſticis rudes, vt ab omni ſpe, ea, vel etiam ſtudio percipiendi, prorſus abeſſent*. Nam, his per eum poſitis, quorſum nam, quæſo, ſi tales reuera fuiſſent, tot Fęſulani querimoniæ, quia non de ijs rebus inſtruerentur, quæ ipſorum nihilominùs, captum, (vt ait) effugiebant?

Quibus auctoris ſuppoſitionib. datis, cùm neceſſariò ſequatur, eam Tridenti libertatem fuiſſe, vt, non minùs eloqui, quàm impunè quinetiam obloqui Patribus permitteretur; quis negabit, eam Legatorum patientiam, charitatemque in eis audiendis, ferendiſque fuiſſe, vt

non modò falſa, ſed contumelioſa etiam æquiſſimis auribus ferrent?

Epiſcopus Vaſonis (ex relatione auctoris) itidem dixit pag. 186. *quemadmodum credebat, ex Epiſcoporum, Curionumque præſentia, puritatem fidei in populo, ac diſciplinæ olim in Clero viguiſſe; ſic poſſe euidenter oſtendere, eorum, in proximis prateritis temporibus, abſentiam-ſubuerſioni contraria cauſam non præbere; &, ex eo, non reſidendi conſuetudinem introductam fuiſſe, quia Reſidentia inutilis omninò eſſet; quandoquidem Epiſcopi in proximè actis temporibus, nil ad doctrinam ſanam in populis ſeruandam efficere poſſent, quòd, eis inuitis, concionandi Cænobitis, Quæſtoribuſque facultas eſſet; notumque eſſe, conciones Fratris Ioannis Techel, Fratriſque Martini Lutheri motibus Germaniæ cauſam dediſſe:* vbi etiam multa alia procaciter contra *Priuilegia, & Indulta, tùm & contrà etiam Diſpenſationes, per Sedem Apoſtolicam conceſſas*, ingeſſit; quæ argumenta ſunt certiſſima, non minùs illimitatæ, hac in parte, Patrum libertatis, quàm ſummæ, in eis ferendis, Legatorum patientiæ. Cum enim aduerſus omnia hæc *iam in præcedenti Seſſione* abundantiſſimè prouiſum eſſet; quænam Legatorum tolerantia erat, cùm impudentiſſimam eam exprobrationem, adeò præter rem, debitamque Synodo reuerentiam, nec minùs etiam contumelioſam, & falſam (vt infra alibi probabimus) pacatis nihilominùs auribus, animiſque acceperunt?

Pag. 244. Ioannes Salazar, Archiepiſcopus Lāciani (cū ageretur de Epiſcoporum conditionibus, ac Reſidentia) dixit, *multos, vt oneri impares non reſidere, malique originē Romanæ Curiæ tribuit:* pag. 247. Aloyſius Lipomanus (qui eo tempore, vt Epiſcopus aderat) verba *de moderanda, in re Beneficiaria, Pontificis poteſtate fecit:* & Bernardinus Diaz, Epiſcopus Calaritanus *inter multas tragicas exclamationes ibidem factas, Cardinalem Rodulphium momordit: aliiſq; diſpenſationes in futurum non concedendas eſſe, & qui:*

obtinuiſſent, eas exhiberent, contenderunt; inque Romanam Curiam liberrimè ſunt inuecti. Vndè *circa abrogationem Diſpenſationum* altercatum fuiſſe ſubdit 249. *quòd omnis indè Pontificis Iuriſdictio adimeretur:* &, cum in his conuenire non poſſent, Epiſcopum Aſturicenſem propoſuiſſe, *vt Cōmendæ, Vnioneſque beneficiorum, veluti palliādi abuſus prætextus, prohiberentur; Legatoſque idcircò Pontifici ſcripſiſſe,* pag. 250. *Prælatos maiorem quotidie libertatem aſſumere, cum, nec etiam ſe à Cardinalibus temperarent, quos moderari neceſſe eſſe palàm affirmarent: & haud diſſimili in Pontificem irreuerentia dictitarent, Sanctitatem Suam nonniſi inanibus paſcere, Synodoque abuti, vt vanis expectationibus deluderet.*

Pàg. quoque 255. cum in Proemio decreti, auctoritas Sedis Apoſtolicæ exciperetur, Epiſcopus Pacenſis *multis, aculeatiſque inſuper in Romanam Curiam verbis obſtitit:* 256. Archiepiſcopus Turrius *verba in eam itidem fecit:* 257. Hiſpani inſtiterunt, *Cardinales in Decretis nominatim comprahendi, Vnioneſque beneficiorum ad vitam prohiberi, iamq; factas irritari.* A qua libertate, nec in ipſis quinetiam Seſſionibus abſtinebant, vbi res (vt paulò antè docuimus) penitùs ſtabilitæ afferebantur; cum pag. 260. *Prælati, qui in Congregationibus obſtiterant, idem, licèt verbis modeſtioribus, in Seſſione quoque fecerint.* Cumque pag. 453. Pontifex diffidijs, ac præiudicijs, quæ, ob præſeſſionis contentionem, inter Prælatos oriri potuiſſent, ſuo diplomate, cauiſſet, Archiepiſcopus Bracarenſis *in eundem Pontificem acriter reclamauit:* quemadmodum, & pag. 455. Hiſpani itidem contrà verba, *proponentibus Legatis*, in decreto appoſita, fecerunt: Albertus quoque Duimius Epiſcopus Veglanenſis pag. 517. *contrà ſolutiones, quæ Romæ pro diſpenſationibus fiunt, tùm vehementiſſimè excanduit, eaſque reiecíſſe dixit, tùm alijs etiam ſuaſit, vt eas pari modo reijcerent,* multaque alia *in Romanam Curiam* acriter protulit: & Quinquecclesienſis, Sidonienſiſque, ipſiuſmet

met Pontificis Reformationem,& alij alia propoſuerunt. Vndè concludit 518. *Legatos, aliosque, peracta Congregatione, è rebus auditis dixiſſe, Prælatos animos quotidie maiores ad noua, ac ſeditioſa irreuerenter induere, qua non libertas, ſed nimia licentia appellanda eſſet.*

Subdit tamen, Ioannem Baptiſtam Caſtellum promotorem, qui eodem munere, ſub Iulio III. functus erat, dixiſſe, *Cardinalem Creſcentium conſueuiſſe, Pralatis à propoſitis materijs digredientibus, liberè interfari, vel prolixioribus breuitatem, & quandoque etiam ſilentium indicere; ſed* cum addat, *Varmienſem, Gonzaghiumque eam admonitionem non probaſſe, quòd nil conſultius libertate Synodo Christiana eſſe cenſerent: immò Mantuanum, Varmienſis approbato conſilio, addidiſſe, abuſus decretis compeſcere, ordinem, ac tempus loquendi (quò ſuus cuique locus eſſet) præſcribendo, Synodi libertati contrarium non eſſe eique rei conſulere decreuiſſe*; vtique aperit, Legatos, non ſolùm illimitatam cuique facultatem in loquendo (non ſine etiam ipſius Actionis incommodo) omninò eſſe voluiſſe; ſed eam inſuper non prohibere, ſed ſolis tantummodò, ea in re, abuſibus (vt par erat) occurrere cogitaſſe: licèt non permittere Patres *à propoſitis materijs digredi*, ex officio tenerētur. Nam eam libertatem nihilominus permiſſam fuiſſe, illicò docet ex facto, ſubdens 520. *Quinqueecleſienſem admonitum extra Congregationem, quòd dixerit, Roma Epiſcopatus ad ſolas perſonas promouendas conferri, ea de re ſatis longum ſermonem, quaſi propriam declaraturum mentem repetiſſe, eademque, ſpecie purgationis, tùm confirmaſſe, tùm Epiſcopos, ad ſuam ſententiam liberè, omnique ſepoſita reuerentia, promendam inſuper hortatum eſſe*: & pag. 550. Epiſcopum de Lugo *Conciliorum auctoritatem Pontificia praferendam eſſe contendiſſe*, eademque pag. Imolenſem pronunciaſſe, *Concilium Generale neminem ſuperiorem habere:* 552. Philadelphienſem, *in Reformatione, de Cardinalibus peragi voluiſſe:* Coimbricenſem, ac Pariſienſem,

vt à

vt à *Capite ad Cardinales, cæteroſque inferiores deſcenderetur*: Oreatenſem, *vt Concilij Generalis decretis Caput etiã obſtringi ſtatueretur*. Quare Legatos in primo congreſſu cum Cardinali Lotharingio pag. 608. *maximam eidem patientiam, per eos adhibitam in Prælatorum libertate; immò dicendi licentia, ferenda, qui nouas excitando quæſtiones, vagabantur, expoſuiſſe refert*.

Et Oratores Principum, ad eam libertatem tuendã, Prælatis adeſſent, cum Lanſach, Regium Oratorem, *Epiſcopum Arauſionis multis præſentibus, monuiſſe, atque ad ſeſe liberè, & abſque timore aperiendum, ex eo hortatum fuiſſe*, narret 623. *quòd, ad eum ſuſtinendum, ſatis Regis protectio eſſet*: Qua de re Galli, vt ſubdit ibidem, non ſolùm *Epiſcoporum Inſtitutionem, Iuriſdictionemque, perindè ac Pontificiam, de Iure Diuino eſſe, & ſolo gradu diſcerni pronunciarunt; ſed poteſtatem Pontificiam intrà Canonum limites perſtringi inſtiterunt* multaque addiderunt huiuſmodi alia, quæ illic fusè recenſet.

Cardinalis itidem Lotharingius *acriter in Pontificem, Cardinales, Romanamque Curiam inuectus eſt* pag. 686. Epiſcopus Nemaſenſis pag. 698. multa circa Annatas, aliaque Romanæ Curiæ reprehendit. Guadicenſis 699. *In Epiſcoporum Titularium ordinationem* verbis etiam aculeatis garrijt, & plures alij multa quoque liberrimè dixerunt, quæ ſingillatim, hic recenſere nimiæ prolixitatis eſſet, cum ad plenam huiuſce libertatis euidentiã, pro omniũ corollario, ſufficiat, eam, non ſolùm à Patribus, ſed ab inferioribus pariter procaciſſimè perpetuò vſurpatam eſſe. Nã, prætermiſſo, quòd ipſi etiã Theologi à Pontifice miſſi, regulas, ad contentiones, & prolixitatẽ indicendo, tollendas, per Legatos præſcriptas, ob nimiam licentiam, nõ ſine magna eorũdem Legatorũ offenſione, neglexerunt, vt pluriès auctor cõmemorat, Frater Antonius à Valtellina pag. 532. de *Cõmunione ſub vtraque ſpecie*, ad eam concedendã, ſermonem habuit. pag. 551. Abbas Præualenſis

Ea licentia ab Inferioribus quoque vſurpabatur.

Conci-

Concilium Baſilienſe attulit, *eique non modò Concilij Generalis auctoritatem tribuit*, ſed eam ſententiam, licèt etiam admonitus, tueri conatus eſt, & in Congregationibus ſuper Sacrificio habitis, reuocauit in dubium, *an Pontificia Poteſtas Conciliari præualeret:* & Generalis Seruorum eadem pag. *de Conſtantienſi* diffuſè locutus, *eius auctoritatem ſupra alia Generalia Concilia ex eo potiſſimùm extulit, quòd tres Pontifices depoſuiſſet:* Quemadmodum & pag. 658. Ioannes Verdun poteſtatem Pontificiam labefactauit: 660. Iacobus Alanus, Theologus Gallus, *Generalis iisdem Concilij poteſtatem extulit*, *Pontificiamque depreſſit*, *quam Conciliari immò ſubiecit*: illudque pro omnium corollario ſufficiat, vt alia innumera tranſeamus, inter cauſas, quibus Paulus III. de Synodo transferenda deliberauit, auctorem adnumerare nimiam Regularium licentiam, inter cætera dicendo, *nullus eorundem contentionibus finis vnquam factus fuiſſet*, *ni Legatus Sanctacrucius ad reliqua tranſitum fieri mandaſſet*, *Legatoſque Ordinum Generales acciuiſſe*, *deprecantes*, *vt officijs cum ſuis efficerent, ne tanto in propriam Sectam affectu*, *ſed modeſtè*, *& ex charitate agere vellent*, *Pontificique oſtendiſſe*, *quàm periculoſa eſſet libertas quàm ſibi arrogarent*, cum alijs, quę ibidem addit, quæ paulò antè recenſuimus. Ex quibus nemo eſt, qui non manu tangat, illam, in eo genere, libertatem, non ſolis Patribus, ſed cuiuſque etiam conditionis hominibus fuiſſe, vt vltrà indubitanter progredi nō poſſet. Vt demùm omninò confirmat, concludendo pag. 796. Cardinales, qui, Synodo peracta, decretis examinandis præpoſiti fuerant, dixiſſe, *certum eſſe, illos, qui Synodū procurauerant, nil aliud ſibi proculdubiò propoſuiſſe, quàm Sedis Apoſtolicæ auctoritatem infringere, omneſq; (Synodo aperta) perindè locutos eſſe, ac ſi eidem præſcribendi ius Pontifici facultas fuiſſet*, ex qua apertiſſima Polani confeſſione, ſic omnis tollitur ambiguitas, vt, in hac parte, de libertate Synodi dubitari nullo modo poſſit.

CA-

Digitized by Google

CAPVT III.

PATRES PLENISSIMVM PERPETVO, in omnibus arbitrium exercuiſſe.

SVMMARIVM.

Legati ea ſemper conditione proponebant; An Patribus placeret: eorumque propoſitionibus liberè contradicebatur.

Si quid omittendum, aut differendum cenſebant, cum eis prius de omiſſione, ac dilatione, conueniebant; quæq; voluiſſent, officijs, ac precibus, impetrabant.

Pontifex, ob incerta Synodi, ſuſpenſus ſemper, trepiduſque erat: Legati verò nonniſi vnà cum Patribus poteſtatem habere profitebãtur: per quos ad ea, quę voluiſſent cõpellebãtur.

Ipſiſquemet Præſidentibus conditiones, in rebus agendis, pręſcribebant, libertatemque dabant.

LIcèt in præcedentibus probato, materias omnes, ac deliberationes à ſolis Patribus, purè, integrè, atque omninò liberè emanaſſe: & cuiq; inſuper, pro libito proponere, monere, ac liberè loqui perpetuò datum fuiſſe, ex neceſſitate ſequatur, Patres pleniſſimum, illimitatumque arbitrium exercuiſſe; eam nihilominus arbitrij plenitudinem in omnibus itidem alijs, ad maiorem Tridentinæ Libertatis euidentiam, oſtendemus.

Ex eo enim pari modo perſpicitur, quòd Legati ea ſemper conditione propoſuerint, *an Patribus placeret*, vt auctor idem refert, & patet ex ipſiſmet Synodi Decretis.

Legati ea sẽper conditione proponebãt; An Patribus placeret. Eorumque propoſitionibus liberè contradicebatur.

Quod, nõ per ſpeciẽ, ſed ad eorum verè placitum habendum factum fuiſſe, declarant oppoſitiones, & cõtradictiones, quas eorum propoſitionibus factas fuiſſe, auctor, in ſua Narratione, commemorat, cum, præterea, quę plurima hucuſq; recenſuimus, pag. 617. Legatis Seſſionem ad beneplacitum protrahi proponentibus, eam *ad certum tempus, ob nonnullorum oppoſitiones* præfiniendam fuiſſe dicat;

cat. & pag. 671. *ob earundem oppoſitionum ſuſpicionem*, à Canonibus Matrimonij, alijſq; proponẽdis abſtinuerint Seſſionibuſq; prorogationem iterũ pag 644. proponente Legato, non modò *magnam cõtradictionem habuerint*, ſed dilatio, non ſine contentione, *ex pluralitate ſuffragiorum* ſtatuenda fuerit: & pag. 702. Legato Moronio Seſſionem itidem protrahi proponente, *Epiſcopus Segobienſis, ſeſeque alij objecerint*: quemadmodum & Gallos, pag. 652. ſi decretũ de auctoritate Pontificis proponeretur, *de nullitate dicturos, diſceſſuroſq; proteſtatos eſſe* inquit: quæ obiectiones cum per alios pluries factæ fuerint eas ſingillatim recenſere nimiæ prolixitatis eſſet.

Et Legati nõ ſolum de reb. omittendis, aut differendis cum Patribus conueniebant (cum alioquin per ſe ipſos proponerẽt) ſed quæ volebãt, ab eis inſuper impetrabãt.

Et, non ſolùm ſeſe propoſitionibus objiciebant, ſed ſiquid forſan Legati nõ proponi, aut propoſitiones differri cenſerent, vel eis prius cum Patribus de omiſſione, aut dilatione conueniendum erat; vel Patres ea per ſe ipſos in medium (Legatis etiam (vt ſupponit) inuitis, ac prohibentibus) afferebant. Quæ in ijs oſtendiſſe ſufficiat, (ne nimio in alijs tædio forſitan immoremur) in quibus de sũma rerum pro Pontifice, ac Romana Curia, actum fuiſſe auctor ſupponit, cum ex his ad alia tutò poſſit inferri.

Cum Legati pag. 490. articulum Reſidentiæ omitti cẽſerent, *ità eos prius cum Patribus conueniſſe, officijſque etiam cum nonnullis egiſſe, ait, vt acquieſcerent*.

In quo ea Patrum erat libertas, vt, nec etiam conuentionibus ſtarent, cum, *ob eam omiſſionem, petitiones eorum, qui Reſidentiæ fauebant, iterum excitatas fuiſſe, ac magis, magiſque inualuiſſe* addat; quamuis etiam Legati vrgentiſſimas eius omiſſionis rationes afferrent.

Cumq, Legati nil pro Seſſione ſequenti proponerent, *Reſidentiæ fautores, tùm de ea, ex ſe iteratò verba fecerunt* 495; tùm *Oratores Cæſareos, Gallos, Luſitanos, cæteroſque alios inſtare induxerunt vt de ea, in Seſſione ſequenti, decerneretur*. Eiſq; excuſationi iam allatæ minimè acquieſcentibus (quòd nempè materia ſatis digeſta non eſſet, nec

tem-

tempus vſq;ad Seſſionem,ad eam penitùs enucleandam, ſufficeret)ſic efferbuerunt,vt *multi è Patribus Vltramontanis, qui ſimul conuenerant, proteſtari, ac diſcedere parati fuerint*. Quod cauſæ fuiſſe ſubiungit, *vt officijs per Oratores agendum fuerit, vt expectarent*.

Et, cum tandem Reſidentiæ articulum differri ſtatutũ eſſet, ſcriptura cauendum fuit (vt addit) *nequiſquam ab ea conuentione diſcedere poſſet. Quam Scripturam, ad approbationem habendam, in Congregatione legerent, declarando, eam materiam, dignis de cauſis, in aliam Seſſionem differri*. Qua etiam Scriptura neglecta,eam iterum commotionẽ excitarunt,qua auctor addubitatum fuiſſe inquit,*ne quid incommodi orireturmotuſq;non modò precibus,& officijs,ſed eius quoque tractationis expediendæ pollicitationibus ſedandus fuerit: ex qua etiam motione, ingentem aliquam diuiſionem, non ſine graui Eccleſiæ pernicie, oriri potuiſſe*, ore Archiepiſcopi Lancianenſis, ſubijcit 503.

Legatis verò (ex ſuppoſitione auctoris 573.) de Inſtitutione,& Superioritate Epiſcoporum verba fieri prohibentibus, quòd nulla,ea de re,cum Lutheranis controuerſia eſſet; eam tamen quæſtionem Hiſpani in medium ex ſe attulerunt, adeò vt Legati *de ea amplius auertenda cogitandum non eſſe* concluſerint 593.

Eiſdemque Legatis (ex auctoris ſuppoſitione) pariter obſiſtentibus, 587. ne de auctoritate Epiſcoporum diſquireretur, rem nihilominùs Patres *acerrimè agitare, ſuamque omnes ſententiam aperire voluerunt*.

Qua in libertate eòuſque Prelatorum procedebant arbitria, vt,ſi quid forſan Pontifex,aut Legati voluiſſent, id, ab eis,& precibus,& officijs,& etiam pactionibus impetrandum eſſet. Nam Legatum pag.202. *ad alia tranſitum fieri obtinuiſſe* apertiſſimis verbis ait. 216. Epſcopis, Capitulorum, priuatarumque perſonarum exemptiones reuocari inſtantibus, *Legati officijs egerunt. quò permitterent, vt principio tunc facto; ſua cuique Seſſioni portio relinque-*

linqueretur : 536. Pontifex Legatis mandauit, *Reſidentia diſceptationem pro viribus ſopiri, & ni poſſent* &c. iterum 586. *eam rem Sanctitati Suæ, abſque decreto, ſi poſſibile eſſet, permitti: ſin minus, cum decreto: quod ſi nec etiam obtineri poſſ t, cum pœnis & præmijs declararetur*. Quemadmodum & in articulo Inſtitutionis Epiſcoporum pari modo mandaſſe ſubijcit. & denuò Vicecomiti pag. 502. *vt Reſidentia declaratio pariter ſopiretur: & ni id poſſet, eam ad finē vſque Synodi differri ſaltem curarent: ſique id minimè quoque daretur, quàm longiùs fieri poſſet, amandaretur*. Vt & pag. 713. Cardinali Lotharingio nonnullos articulos, ad difficultates tollendas, omitti conſulente, Pontificij conſiliū illud, ea potiſſimum de cauſa, improbauerint (licet è re Romana maximè eſſet) *quòd dubium remaneret, an res ad exitum perduci poſſet, quando, ea capita non omitti, ſed declarari exigi poſſet à multis*: & mittens Pontifex pag. 638. formulam Canonis de Poteſtate Pontificis, *eam recipiendam fore certò ſe credere dixit*: quæ certiſſima proculdubiò probant Patres concedendi, ac denegandi arbitros extitiſſe, deliberationeſque ab eorum omninò arbitrijs, ſuffragijſque, per conſequens, dependiſſe.

Quibus etiam comprobationem ex facto addit, cum, obſiſtentibus pag. 248. Legatis, vt Caput Reſidentiæ, vnà cum Capite de Beneficiorum pluralitate, Pontifici permitteretur ipſeque rem ad ſe iam diplomate aduocaſſet, *non tamen obtineri potuiſſe* narret: & pag. 578. *Legatos differendæ Reformationis impoſſibilitatem vidiſſe* addat: Pontifexque monitus 502. de promiſſione agendi de Reſidētia, per Cardinalem Mantuæ facta *eius tractationis auertendæ difficultatem agnouerit, Legatiſque etiam mandauerit* 587. *vt tractationem de Electione Pontificis euitare poſſent, diſcedere potiùs eligerent*.

Cupientibus verò pag. 551. Legatis ſatis Cæſari in petitione Calicis facere, *non ideò, negatiua prævalente, potuiſſe* ait: & mittendas 578. Pontifici petitiones omnes de Refor-

Reformatione, per Oratores, aliosque illucuſque factas, *eas ampliùs verbis differri impoſſibile eſſe* enunciauerint: eundemq; iterum 584. *de Reformationis proponendæ promiſſione Oratoribus facta deque eam vlteriùs ampliùs verbis differendi impoſſibilitate admonuerint*; quandoquidem ex his, pro parte Pontificiorum, in rebus faciendis, aut impetrandis, impoſſibilitatibus, ac difficultatibus, certiſſimè pateat, non modò nil ſibi penitùs Pontificem, in deliberationibus arrogaſſe; ſed illimitatum inſuper, pleniſſimumque in Patribus arbitrium eſſe voluiſſe, à quibus potiùs impetrare quàm pro arbitrio, aut ex auctoritate, procedere præſumpſerit.

Pontifex ob res Synodi ſuſpenſus, trepiduſq; erat.

Cumque totum arbitrium in ſolis Patribus eſſet, non abs re ideò Pontificem ſic timuiſſe recenſet pag. 500. *ne Galli adhærerent Hiſpanis, ſeſeque aliarum aduerſus eius auctoritatem propoſitionum auctores fierent*; 536. ne Cæſar, ob ea, quæ affert, *ad alia maioris, quàm illucuſque detrimenti proponenda, per Proteſtantes induceretur*: 564. ne *in contentionem eius auctoritas vocaretur*: & ſi pag. 749. totam dirimendarum controuerſiarum, difficultatumque ſuperãdarum, Synodique abſoluendæ fiduciam *in ſolo Cardinali Lotharingio habebat*: adeòque pag. 742. timerent Legati, ne Patres, *& priuatim; & publicè reclamarent*; cum huiuſmodi in Pontifice, eiuſque Legatis ſpes, & timores certiſſimè proculdubiò comprobent, non modò cuncta reipſa à Patribus dependiſſe; ſed & Pontificem, & Lega gatos omninò dependere voluiſſe. Qua etiam de cauſa Legati *nullam ſine Patribus auctoritatem habere profiterentur*. Vt pag. 537. cum reſpondendo Oratoribus Gallis dixerunt *diem Seſſionis abſque Patribus differre in ſua poteſtate non eſſe*; & iteratò cum pag. 495. *nullam ſe declarandi Indictionem Concilij nouam eſſe, ſed in ea ſolùm, iuxtà Bullam Pontificis, voluntatemque Synodi præſidendi facultatem habere, aſſeuerarunt*.

Legati nonniſi vnà cũ Patribus facultatem habere profitebantur.

Quæ Legatorum aſſertio, hanc eò magis arbitrij in Pa-

tribus plenitudinem comprobat, quia, tùm publicè & in ſcriptis, tùm, Patribus nullatenus refragantibus, facta fuerit, ſed quia ipſiſmet quoque Bullis Pontificis conſonet, in quibus (ex fide auctoris 108. & alibi pluriès) nō aliam ſuis Legatis facultatem tribuiſſe legitur, quàm *vt in omnibus de conſenſu Synodi procederent*.

Patres, ad eam poteſtatem cum plenitudine exercendam, Legatos, ad ea quæ volebant, compellebant.

Ad eam verò poteſtatem cum plenitudine exercendā, non modò Legatos ad ea, quæ voluiſſent compellebant; ſed nec etiam à vi quandoque, & ſeditionibus temperarabant. Nam, vt ait pag. 256. *Prælati liberiores quotidie euadebant, eoſq; in officio continere difficillimum erat quòd ſæpe inter ſe coitiones facerent, cœtuſq; agitarent quæque eis vltrò non concederentur, per vim & ſeditionem extorquerent.*

Vti etiam ex ipſiſmet rebus, comprobat, dum pag. 140. & 141. Legatos, *ad decernendas materias, per Synodum pertractandas, neceſſitate compulſos fuiſſe* ait: 160. cum multi verba, *Vniuerſalem Eccleſiam repræſentans*, Synodi Titulo adijci poſtularent, Legati Pontifici ſcripſerunt, *eam ſe declarationem pro viribus declinaturos eſſe: Sin verò compellerentur, inſtituros, modum, quo eam repræſentet, exprimi, ſcilicet, mediante capite, non ſine; quòd id denegari non poſſe crederent:* 186. Legati *de Reſidentia & exemptionibus, quibus impediebatur, agere coacti fuerunt:* & 216. Patribus de Reformatione peragi inſtantibus, *ſatis eis faciendum fuerit*; Legatoſque idcircò Pontifici ſcripſiſſe pagin. 249. *Patres non ſolis in futurum prouiſionibus acquieturos, ni vnà atque præſentibus prouideatur; & neceſſe fuiſſe*, pagin. 329. *Legatum aſſentiri, vt Pontificis commiſſiones aduerſus Epiſcopos moderarentur, licèt nulla ei Epiſcoporum exaltatio probaretur, quòd quæ eis concedantur, Pontifici ſint ablata:* ac timuiſſe itidem 347. *ne de perpetuis abolendis Commendis agere: nène ſatis Epiſcopis pro eorum amplificanda poteſtate, facere compellerentur:* Pontificemq; *neceſſitate compulſum, Legatis tandem mandaſſe* pag. 348. *vt Epiſcopis aliqua ex parte pro eorum poteſtate amplificanda, ſed nonniſi cum ſe-*

coa-

coactos viderent, annuerent. Quos, ex hac ſuppoſitione, coactos fuiſſe aſſumendum videtur, cum Cardinales Romæ, *ob nimiam auctoritatem Epiſcopis datam, Concilium non confirmandum eſſe conſuluiſſe* velit 798.

Cumque de formula Saluiconductus, ex Saxonum petitione mutanda, decretorumque curſu ſiſtendo, ac ratione cum eiſdem Saxonibus, eorumque Theologis agēdi deliberaretur, id nonniſi *immobili, ac neceſſitate acquieſcente Legato, factum fuiſſe* ait 354. In quo quæ eſſent Patrum arbitria, vel ex eo conijci facilè poteſt, quia cum Legati, non alia conditione Saxones admittere expreſſè in mandatis a Pontifice haberent (vt addit) quàm, vt *Præſidentiam priùs agnoſcerent*, tamen admittere compulſi fuerint, quamuis eos nullo modo agnoſcere voluiſſent.

Aperiendæ quoque Synodi decretum, ex Patrum adamuſſim placito, formandum fuit 453. cum alioquin *de inualiditate proteſtari, ac diſcedere vellent.* Hiſpaniq; *non ampliùs Congregationibus, Seſſionibuſque interfuturos proteſtantur, ni Epiſcoporum Inſtitutio, ac Superioritas de Iure Diuinò declararentur*: vt & Gallos, & alios, alijs de cauſis, alibi feciſſe commemorat: & pag. 604. *Reformatio per Legatos proponenda fuerit, atque à Reſidentia exordiri neceſſe duxerint, ne occaſionem multis praberent incommodis*: & ſimiliter, cum quatuor, ad eam rem, conſilia proponerentur, oppoſitum fuiſſe dicat, eos, *qui declarationem vrgebant obſtituros eſſe, Pralatos impertinentia poſtulaturos, & mutationis periculo: ad Seſſionem vſque ſubiecti fuiſſent; Patres conſpirationes feciſſent, nec ſine ſtrepitu perfici potuiſſet.* Quæ omnia pleniſſimum in Patribus arbitrium, abſque vlla prorſus dubitatione, comprobant.

Et pari modo, cum mittens Pontifex pag. 693. cenſuram ſuper capitibus factam, Legatis præcepit, *vt, ea de re, pro viribus, loqui differrent: ſique articulos illos proponere cogerentur, à minus pernicioſis inciperent*: *& ſi de alijs quoque loqui compellerentur* &c. & pag. 652. *non ideò Prælatos*

latas de rebus circa Auctoritatem Pontificis, Institutionemq; Epiſcoporum controuerſis agere debuiſſe. Nam, cum ea Legatos penitùs omitti contendiſſe dixerit, eos etiam ad illas propoſitiones faciendas compulſos fuiſſe conſequitur. Vt & itidem, cum *Legatis Romæ crimini datum fuiſſe* addit 662. *quòd de Matrimonio Preſbyterorum peragi ſiuiſſent*, ob ea, quæ grauiſſima indè, in Sedis Apoſtolicæ perniciem, conſecutura eſſe timebantur. Cum ea ſiquidem Legatis perſpectiſſima fuiſſe vereri non poſſet, eos etiam ad illam propoſitionem faciendam coactos itidem fuiſſe dicendum videtur.

Quibus poſitis, haud immeritò Legatos *impoſſibile cēſuiſſe* ſubdit 630. *mandata Pontificis exequi*; eidemq; ſcripſerunt, *non poſſe rem ea ratione Tridenti, qua Romæ opinabantur, tractare.* & Pontifex, eis reſpondendo, mandauit pag. 741. *vt abſoluendæ Synodi gratia, quęcunque denegari non poſſent, admitterent* cum huiuſmodi in Pontifice, Legatiſque neceſſitates, pleniſſimum in Patribus arbitrium, abſq; vlla prorsùs ambiguitate, ſtatuant; accedente potiſſimùm, quia, cum Legati (pag. 742.) articulos Oratorum ſuper Reformatione, aliquibus, pro arbitrio examinandos dediſſent, Hiſpanos, Italoſq; non tàm *obmurmuraſſe*, quàm *ad ſeditionem, vt ſe opponerent, inſuper proceſſiſſe* recenſeat: &, conſulente ibidem Cardinali Lotharingio, vt Capite Reformationis Principum dilato, reliqua proponerentur, id, ea de re, Legatos improbaſſe ſubdat, quòd vererentur *ne Patres, & priuatim, & publicè in Congregationibus reclamarent*. Eoque poſteà Capite dilato, quò ſatis Oratoribus facerent, *vltrà in actionibus procedere Patres noluerint* (vt ait) *niſi eo quoque Capite, vnà cum cæteris, exhibito*; adeò vt Legati, *Patrū ſeditione coacti, Caput illud ad Congregationes aſſumendas, exhibere cōpellerentur*.

Vbi, cum Orator Gallus (qui, eo exhibito Capite, acerrimam illam orationem habuit, quam recenſet,) *ex eo ſe tueretur, quòd Legati de illo Capite, nonniſi ea moderatione*

agen-

Digitized by Google

agendum fore Lotharingio promiſiſſent, quà à rebus Galliæ abſtineretur ſed contrarium poſteà factum fuiſſet, quæ maior plenitudinis arbitrij in Patribus euidentia, cum vel ipſos Legatos à fide etiam Lotharingio data recedere, per vim, & ſeditionem, coegerint?

Et an vltrà etiam ſeſe Patrum efferre potuiſſent arbitria, quàm vt decreta in Seſſione ipſa, *ob eorundem clamores*, caſtigare compellerent, vt factum fuiſſe ait 166.? & adeò in decretis formandis, quò ſatis Epiſcopis fieret, laborandum eſſet, *cum eos, ad Synodum abſoluendam, æquis animis concurrere neceſſe eſſet*, vt verbis præciſiſſimis perhibet. 743.?

Sed quid amplius, ſi ipſis quinetiam Theologis, & Doctoribus, nedum Prælatis, annuendum in omnibus erat, cum nec ipſi pariter, *niſi pleniſſimè ſatisfacti, Decretorum terminationi accedere vellent, in ſeditioneſque iſtaem erumperent; modumque in dicendo per Legatos præſcriptum non ſeruarent, aut à quæſtionibus, ac propoſitionibus, in ipſum quinetiam Pontificem, Romanamque Curiam abſtinerent*, vt iam ſuprà fusè docuimus? Et, ſi Patres immò (quod omnem forſan fidem ſuperabit) ipſiſmet quoque Præſidentibus Apoſtolicis, ex auctoris fide, libertatem, in rebus agendis darent, atque adimerent? Nam, cum præciſiſſimis verbis dicat pag. 313. *Sanctam Synodum Nuncijs prohibuiſſe, vt cuiuſdam actionis inſtrumentum, niſi iunctim cum Secretario, facere poſſent*: & pag. 462: *libertatem datam fuiſſe Legatis eligendi Patres ad Congregationem ſuper Indice faciendam, & alios ad decretum, pro futura Seſſione, formandum*; proculdubiò (ex hac ſuppoſitione) Patres ipſis quinetiam Nuncijs, Legatiſq; Apoſtolicis, Synodi Præſidentibus legem, in rebus agendis, dabant, pleniſſimumq; ideò arbitrium in omnibus exercebant, cum Præſidentibus aliquid facere *prohibere*, aut faciendi *libertatem dare*, ſit ille terminus, ad quem nec ipſa quidem licentia, nedum iuſta Synodi libertas, aut legitima Pa-

trum

trum arbitria, ſeſe forſitan extendere præſumpſiſſet.

Quare, cum materiæ, ac deliberationes à ſolis Patribus (ex aduerſariorum teſtimonio) purè, integrè, atq; omninò liberè emanauerint: &, non modò cuique pro libito proponere, ac liberè loqui datum fuerit; ſed Patres plenißimum, illimitatumq; in omnibus, arbitrium perpetuò exercuerint, ex neceſſitate conſequitur, eam Cõcilio Tridentino reuera Libertatem, Sanctitatemque fuiſſe, vt ex ſola etiam eorum teſtificatione plenè probetur, qui calamum, in eum tantum modò finem, ex profeſſo exacuerunt, vt ſacroſanctæ illi actioni faciem omninò contrariã affingerent; ac ea proindè, quæ, ad id attulerunt, ſola eſſe malignitatis figmenta, per ſummum ſcelus, impietatemque ab ipſiſmet aduerſarijs excogitata, atq; commenta. Quemadmodum, & auctor demum grauiſſima Cardinalis Lotharingij aſſeueratione, ad cumulum confirmat, referens 465. *eum Cardinalem, cum aliquã in Religione (vt fama ferebat) vnionem reuera cum Germania cuperet, ad Auguſtanamq; propenderet, quam plantatam in Gallia videre exoptaſſet, nihilominùs, Tridentino abſoluto Concilio, affirmaſſe, ſe aliàs cum ea confeſſione ſenſiſſe, ſed poſt determinationẽ Concilij ei acquieuiſſe, quòd quilibet Chriſtianus ità facere teneatur*; cum ex hac magni æquè Principis, ac Doctiſſimi Cardinalis mutatione aſſumi facilè poſſit, nõ potuiſſe tantum virum, nec per ſe ipſum, ad eam mutationem induci, nec ad aliorum inſtructionem, eas eſſe definitiones Tridentinas palàm profiteri, quibus *Chriſtiani omnes acquieſcere debeant* ni re ipſa verè vidiſſet (cum rem præſens, proprijſq; manibus tractaſſet) eas determinationes ſic Sanctè, ac Liberè, factas fuiſſe, vt quemlibet Chriſtianum, ad eas, vti Oracula Diuinitatis, Tridentinorum Patrum ore prolata, excipiendas, atq; ex Religione tenendas, & ex conſcientia profitendas, obſtringendi vim, roburque cælitus haberent.

FINIS SECVNDI LIBRI.

HISTO-

HISTORIAE CONCILII TRIDENTINI PETRI SVAVIS POLANI

EX AVCTORISMET
aſſertionibus confutatæ.

LIBER TERTIVS.

IN QVO POLANI FALSITAS, ET
malignitas deteguntur in ijs quæ ad actionem
Tridentinam pertinent.

Digitized by Google

CAPVT

ARTIFICIA, IN RE TRIDENTINA TRACTANDA,
Romanis aſcripta, commentitia eſſe:
reliqua verò ad Actionem per-
tinentia, impoſturis, ca-
lumnijs mendacijſq;
ſcatère.

Digitized by Google

EORVM, QVAE IN TERTIO LIBRO
Elucidantur,

SVMMARIVM.

PRIMA SYNODI TRIDENTINAE REDVCTIO
ſub PAVLO III.

1 *Pontifex ab Indictione Concilij ad Actionis exordium, ſpatium anguſtum doloſè præfinit.*

2 *Ad Conciliũ interturbandum, eiuſdẽ Pontificis artificiũ.*

3 *Ad omnem de Reformatione, ac de Synodo ſermonem intercipiendum, bellum de Religione molitum.*

4 *Sibi à Cæſare, atque à Proteſtantibus metuens, ſuas Copias auxiliares è Germania reuocat: ſubſidia ab Eccleſiaſticis Cæſari adimit: reſque digeſtas in Concilio promulgari præcipit.*

5 *Sibi pariter à Prælatis metuens, de Concilij translatione cogitat.*

6 *Cæſare unde ſola Reformatione peragẽ contendentẽ eludit.*

7 *In re tractanda, Pontificiorum artes.*

8 *Ad Concilium Bononiam transferendum, eorumdem machinatio.*

SECVNDA SYNODI TRIDENTINAE REDVCTIO
ſub Iulio III.

1 *Bononiæ nil de Reformatione actum fuiſſe.*

2 *Velaſchij Oratoris Catholici aduerſus Synodi translationem proteſtatio: in Legatos expoſtulatio.*

3 *Legati inter ſe ſolus conſulentes deliberant, Synodi poſtea nomine reſpondebant.*

4 *In conſtruendo ſaluoconducto Proteſtantibus dando, Curialium vaſtities.*

5 *Germaniæ Prælati de Degradatione legibus conqueruntur.*
6 *Sedis Apoſtolicę conſeruatio, adhærentium numero approbantur.*
7 *Circa recipiendos Proteſtantium Oratores, aliiſque de rebus Pontificis ad Legatos inſtructio.*
8 *Eiuſdem ad diſſoluendum Concilium machinatio.*
9 *Decreta Concilii iteratò examini ſubiici potuiſſe.*

TERTIA SYNODI REDVCTIO SVB PIO IV.

RESIDENTIA EPISCOPORVM.

1 *In hoc articulo Aulici opinioni, è re ſuorum Dominorum adhærebant.*
2 *Legati in primo Concilio, quæſtionē ſilentio obuoluerunt.*
3 *Ad declarationem articuli interturbandam, artificia.*
4 *Pontifex aduerſatione propriæ indemnitati conſultat.*
5 *In Cardinalem Mantuæ Legatum efferueſcit.*
6 *Pontifex Prælatos cum ſuorum Principum mandatis iuiſſe queritur.*
7 *Ad ſuas partes muniendas, Epiſcopos Tridentum impellit.*
8 *Regem Galliæ ſibi conciliare ſtudet.*
9 *Legati concluſionem arte eludunt.*
10 *Hiſpanorum in Pontificem, Romanamque Curiam expoſtulatio.*
11 *Pro Reſidentiæ declaratione, Prælatorum tumultus.*
12 *Ad ſuas muniendas partes, Pontificis artificia*
13 *Seſe liberè aperientes exoſi euant, offenſionibuſque obnoxii.*
14 *Legatorum profeſſiones, & ſtudia.*
15 *Pro Pontifice Regis Catholici, cum ſuis Prælatis officia.*
16 *Ad declarationem Reſidentiæ in Pontificem reiiciendam, conatus.*
17 *Ad ſibi conciliandos ſequaces, Pontificiorum ſedulitas.*

Galli

18 *Galli, & Hiſpani ex ea declaratione modum Romanę Curiæ quærebant.*

19 *Res ſola auctoritate, ſuffragiorumque numero, non rationibus expendebatur.*

INSTITVTIO EPISCOPORVM.

1 *Hiſpani Inſtitutionem Epiſcoporum de Iure diuino declarari inſtantes, a Legatis reiecti, quæſtionem proponunt.*

2 *Legati in decreto Epiſcopos Iure diuino ſuperiores eſſe apponi renuunt.*

3 *Eorundem prenſationes, & artes*

4 *Apud ſuum Regem, Hiſpanorum purgatio: in Legatoſque expoſtulatio.*

5 *Ea de re, ad Cardinalem Lotharingium Epiſcopi Leirienſis inſtructio*

6 *Simoneta Prælatos ex Nationibus, ad rem expediendam conſtitui rennit.*

7 *In Epiſcopum Guadicenſem offenſio*

8 *Pro Iure diuino, Aliphenſis Epiſcopi diſſertatio*

9 *Legati de eo quod per ipſos fieri velit, certiorem Inſtructionem à Pontifice petunt.*

10 *Ob Pontificis, Epiſcoporumque auctoritatem, & ob alia diſſenſiones.*

11 *Qui Pontifici non adhęrebant, Romę calumnijs obnoxij erant, à Legatiſque abeundi veniam facilè impetrabãt.*

CARDINALIS LOTHARINGIVS, ET GALLI

1 *Pontifex, aduenientibus Gallis Prælatos ad Concilium impulit.*

2 *Lotharingium ab itinere reuocare nititur*

3 *Ob quæ Lotharingius Pontificijs ſuſpectus*

4 *Eorundem aduerſus Gallos machinationes.*

5 *Alij aduerſus eos Epiſcopi mittuntur.*

6 *In eoſdem conſilia Pontificis*

7 *In Lotharingium offenſiones.*

8 *Ad Synodum abſoluendam, cum eodem Pontificis actus* 4

REFORMATIO.

1 *Cæſaris erga Synodum, ac pro Reformatione ſtudium*
2 *Eiuſdem ea de re ad Legatos, ac Pontificem querimoniæ*
3. *Pontifex, ad reformationem impediendam, de Synodo diſſoluenda, aut ſuſpendenda agit.*
4 *In ea diſſoluenda aut ſuſpendenda Cæſaris, Principumq; conſenſum requirendum fuiſſe.*
5 *Cuncta prius Romæ conſulebantur, proponere liberum non erat Prælatorumq; prenſationes.*
6 *Abuſibus Romæ originem fomitemq; eſſe.*
7 *Oratoribus Gallis nonniſi ſuauia verba data fuiſſe.*
8 *Pontifex, ad reformationem impediendam, Cardinalem Moronum expreſſum ad Cæſarem allegat.*
9 *Qui, ne Principes ſuas petitiones Synodo exhiberent, eas ſibi dari inſtat.*
10 *Chriſtianiſſimus reformationem per Biragum, ſuoſq; Oratores vrget.*
11 *Galli, quòd Itali numero præualerent, nullam amplius Concilij exiſtimationem habent.*
12 *Ne dogmata, abſentibus Proteſtantibus agitentur, vnà cum Cæſareis inſtant.*
13 *Concilium nulli rei, contra vtilitatem authoritatemq; Romanam, aures præbuiſſe.*
14 *Pontifex propoſitorum arbiter.*
15 *Nec minus etiam deliberationum, ob multos penſione conductos, alioſq; deuotos.*
16 *Patres ſe in reformatione Curiæ ingerere noluit.*
17 *Hiſpani ob ſui Regis correctionem in reformatione obtorpent.*
18 *Oratores de Eccleſiaſtica diſciplina peragi obtinere non potuerunt.*
19 *Galli dogmata vſque ad ſuorum Prælatorum aduentum differri inſtant.*

20 Pon-

20 *Pontifex Quadraginta aureorum millia, ad Regem ſibi conciliandum, liberè dimitti mandat.*

ALIA ADVERSVS PONTIFICEM, ET CONCILIVM.

1 *Orationes Oratorum ſolis auribus excipiebantur.*
2 *Oratores Galli reiecti, ob repulſam queruntur.*
3 *In materijs fidei per factiones procedebatur.*
4 *Concilij abſolutioni Pontifex inhiat.*
5 *Eiuſdem, ob ſuſpicionem ex Cęſare cogitationes.*
6 *Articuli ſecretò in conſultatione Cęſaris exagitari deteguntur; eaque de re, ac de reformatione conſilia Pontificis.*
7 *Matrimonij Presbiterorum articulum agitatum fuiſſe, Legatis crimini datur.*
8 *Ad Synodum expediendam apud Regem Catholicum artificia.*
9 *Circa res tractandas, Legatorum conſilia, & alia*
10 *Ad Comitem Lunæ ſibi conciliandum, eorum ſtudia*
11 *Reginæ ſcotiæ epiſtola ad Concilium.*
12 *Ad captanda ſuffragia, peculiares Legatorum Congregationes.*
13 *Pontifex Prælatorum Italorum arbiter.*
14 *In aliquibus formandis reformationis articulis artificia*
15 *Pontifex de Synodo diſſoluenda delibèrat.*
16 *In præcipitando Concilio, vnanimis omnium conſenſio.*
17 *Nomina eorum, qui in Concilio laborauerant, ad eos Cardinales creandos, Pontifex adnotat.*
18 *Pro confirmatione Concilij Epiſcopi Veſtani ſententia.*
19 *In actum Conſiſtorialem, bullamq; confirmationis animaduerſiones.*

ARTI-

ARTIFICIA, IN RE TRIDENTINA tractanda, Romanis aſcripta, commentitia eſſe: reliqua verò ad actionem pertinentia impoſturis, calumnijs, mendacijſque ſcatère.

NVNC ad mare magnum ipſiuſmet actionis, atque ad artificia potiſſimùm, quæ Aduerſarij fuſiſſimè Romanis, in re tractanda, aſcribunt. In quibus (cum ſint circa machinationes, tractationeſque vt plurimùm ex Auctoris ſuppoſitione, occultas) malignitas, & impoſtura latiſſimum cāpum habuerunt vt, ab ipſo exordio rei Tridenti geſtæ incipientes, apertiſſimum faciemus. Nam cuncta, quæ in præcedentibus non tetigimus, ſingillatim expendentes, nil ab eis propemodùm omiſſum fuiſſe patefaciemus, quod non mendacio, ac liuore contaminauerint; primùm textum ipſum Polani præmittendo, ac noſtras poſtmodum animaduerſiones ſubijciendo.

PRIMA REDVCTIO SYNODI TRIDENTINÆ ſub Paulo III.

IN prima Synodi reductione ſub Paulo III, ad Synodū intertubandam, transferendam, aut diſſoluendam; vel prò arbitrio tractandam artificia Romanis aſcripta: & alia in Pontificem, & Concilium.

SVMMARIVM.

1 *Pontifex ab indictione Concilij, ac Actionis exordium ſpatium anguſtum dolosè præfixit.*

HISTORIA.

PAg. 105. Cum Pontifex, die 24. Septembris, Tridentum pro celebrando Concilio, iterum ſtatuiſſet, exor-

exordiumque actioni ad decimam quintam Martij præfiniſſet, ait: perſpiciebat tempus anguſtum eſſe, & ad notitiam quòque verſum deferendam, nedum, vt Prælati ſe accingerent, iterque conficerent inſufficiens. Suaſi tamen conditiones potiores fore cenſuit, vt, ſi tamen celebrandum eſſet, exordium illi à paucis, illiſque Italis, Aulicis, & à ſe dependentibus fieret, qui primi per eum appulſi, maturatò adforent, cum in principio de ratione in Synodo pertractandi agendum eſſet, quod præcipuum, immò totum ſit ad authoritatem Pontificis conſeruandam; quorum deliberationi ij ſtare poſtmodum cogerentur, qui ſeſe in dies Tridentum conferrent: nec mirum fore principium Concilio generali à paucis fieri, cum ita pariter in Piſano, & Conſtantienſi euenerit, quibus nihilominus felix progreſſus fuerit.

CONFVTATIO

POntificem ab his conſilijs alienum omninò fuiſſe, patet ex aduerſario. Primùm enim, qua veritate cos Aulicos, Italos, alioſque à ſe dependentes, in eum finem, tanta celeritate præmiſit, vt alios doloſè præuenirent, ſi Legati (vt ait 108.) Tridentum accedentes, *neminem illuc aduenisse reperierunt?*

Et quo pacto voluit *rationem in Synodo pertractandi* per eos illicò ſtatui, ſi (pag. 129.) *Tridenti, apertione facta* (quod, poſt decimum ab aduentu Legatorum menſem, accidit) *quid nam agendum, aut quæ ratio ſeruanda eſſet, & Prælatos, & ipſos met quoque Legatos penitus ignoraſſe ait?* Quare, non modò Legatos Pontifici ſcripſiſſe addit, *ſe de ratione præ cæteris, & forma procedendi, per eum inſtrui cupere; & nonnullos Prælatos per Nationes procedi ſentire; ſed Pontificem reſpondiſſe* (pag. 130.) *rationi in Baſileenſi olim, & Conſtantienſi introductæ inſiſtendum non eſſe, ſed in vltimo Lateranenſi ſeruata.* His namique per auctorem

poſi-

poſitis, patet, Pontificem de ratione in Synodo pertractandi, nec poſt tanti etiam temporis ſpatium, cogitaſſe; ac proinde Legatos ea de re nil prorſus illucuſque in mandatis à Pontifice habuiſſe. An enim Pontifex de ea ratione, poſt tanti temporis lapſum, per Legatos conſulendus fuiſſet, ſi eos illuc reuera in illum ſolum finem, approperato itinere impuliſſet?

Et impoſtura ex eo magis ſe prodit, quia, tametſi poſtmodum pag. 114. illos Prælatos, quos Pontificios appellat, Tridentum perueniſſe dicat; tamen Legati actionem, non alia de cauſa, exordiri noluerint, quàm quia (vt inquit 111.) *rem tantam cum paucis aggredi, non è dignitate cenſuerint, maioremque frequentiam expectare voluerint*; licèt principium eo colore fieri optime potuiſſet, quòd Orat ores Cęſaris (pag. 109.) Concilij apertionem vrgerent: & eadem pag. 111. *addubitatum fuiſſe addat, ne Cæſar, in cunctationem Legatorum culpam reijciens, alia comitia in Germania, ad res Religionis tractandas indiceret.*

Et patet etiam, quàm ab eis conſilijs alienus Pontifex eſſet, quòd author inſuper teſtetur pag. 107. *Pontificem Legatis (vt mos eſt) diploma facultatum, aut ſcriptam inſtructionem non dediſſe, ſed breue tantummodò Legationis, quo ſolo eos diſcedere iuſſit: idque ad cumulum feciſſe ſubijciat, quòd quanam illis in mandatis* daret adhuc incertus eſſet, remque aggredi ex euentibus, Cæſariſque actionibus *decreuiſſet*. Nam, quo pacto ergo, rem per eos raptim aggredi voluit, ſi neceſſarias eis ad id faciendum facultates non dedit, & principium; tum ex euentibus; tum ex actionibus Cæſaris pendère ſtatuerat?

Præſertim, quia Legatis in mandatis dediſſe inſuper referat, dicta pag. 111. vt ſi *de Religione in comitijs peregi audirent, maiore Prælatorum frequentia minimè expectata, cum eis quotquot eo tempore adeſſent, Concilium aperirent; & vt de illa agendum eſſet, ex alijs rationibus decernerent*. Cum enim hæc Pontificis mandata ſeſe inuicem, ob contrarie-

trarietatem, deſtruant, impoſturam perſpectiſſimam faciunt.

Quæ ex eo demum conuincitur, quòd Prælatos omnes, ad vnum, nemine prorſus excepto, in illa prima Synodi reductione Pontifici perpetuò ac Legatis aduerſos fuiſſe doceat, vt in ſecundo capite primi libri fusè notauimus; quandoquidem ex hac ſola Prælatorum omnium contrarietate, eorum à Pontifice independentia certiſſima ſit: & eorum per conſequens Italorum, Aulicorum, atque à Pontifice dependentium impoſtura manu ipſa tangatur.

Et malignitas ex eo tandem certiſſima ſit, quia veram eius breuitatis cauſam malignè reticeat. Cum enim Synodus iam diu ante ad Tridentum indicta, & per Pontificem inchoata eſſet, cum iam illuc die 27. Auguſti 1542. Legatos, & Prælatos; Cæſar verò ſuos Epiſcopos, & Oratores (vt dixit pag. 100.) miſiſſent: & celebratio (non ceſſantibus bellis) in commodius tempus, ex recenſione auctoris dicta pag. 100. reiecta fuiſſet; Prælati etiam ab illo tempore inſtructi, ac præparati erant. Et quemadmodum à die 24. Septembris ad decimam quintam Martij, & Legati ab Vrbe, & Oratores Cæſaris, ac Regis Romanorum ſe præſentes dederunt, qui maiori proculdubio comitatu, atque apparatu indigebant; cur non, & Præſules in illo ſex menſium ſpatio, commodè parimodò adeſſe potuiſſent, qui tandiu ante vocati, ac moniti, ab illo etiam tempore ad iter inſtructi, ac præparati iam erant?

2. *Ad Concilium interturbandum, Pontificis artificium.*

HISTORIA.

PAg. 108. Intentus Pontifex non minus Concilio proſequendo, quàm rationibus, quibus illud inchoatum,

tum, ſi è re ſua eſſet, diſſolueret, maturè ſibi conſulturus, aliud diploma, poſt paucos dies fecit, datum die 22. Februarij eiuſdem anni, quo transferendi Concilij poteſtatem Legatis impertiebatur,.

CONFVTATIO.

Diploma illud in eum finem factum non fuiſſe, liquet (ſi verè factum fuit) quia tametſi res Pontificis incertiſſimo, ac grauiſſimo poſtea periculo eſſent, eius nihilominus facultatis remedium nullatenus adhibuerunt, vt potiſſimum, cum Concilium (ex relatione Polani pag. 124.) *in diſpoſitione Cæſari contra Pontificem inſeruiendi eſſet, cuius conſilia non poterant, ob repugnantiam* (vt addit) *cum Cæſaris conſilijs conuenire.*

Et eo magis, cum Synodo aperta, Cæſar Colloquium in Germania pro rebus Religionis inſtituit. Nam, cum ſubdat eadem pag. 124. *indecens fuiſſe, Concilium, tanto Sanctitatis ſuæ, totiuſque Eccleſiæ opprobrio, in concurſu Colloquij eodemmet tempore in Germania, ad res Religionis tractandas inſtituti, apertum habere;* cuinam vſui, aut neceſſitati maiori illa reſeruabatur facultas?

Præſertim, cum eodem tempore, *quo Synodus Cæſari aduerſus Pontificem inſeruire parata erat,* optima diplomate vtendi ſe dediſset occaſio, quia (vt refert 198.) *Patres Tridentini, Proteſtantium armis territi, ſe trepidi fugæ mandarent.* Siquidem Legati, qui in illa opportunitate, Synodum transferendo, indemnitati rei Pontificiæ conſulere debuiſsent, ſe potius fugæ Prælatorum viriliter obiecerunt. Quod cum inſuper *de mandato Pontificis* feciſse auctor teſtetur; proculdubiò diploma illud non in eum finem datum ergo fuiſse conſequitur; ſed vt potius Legati remedium aduerſus machinationes Proteſtantiũ paratum ſemper haberent, quos certum eſset diſsolutionem Concilij totis viribus moliri, vt auctor vbique per hiſto-

hiſtoriam perhibet, & probatur etiam, quia diploma illud eſſet ad Concilium duntaxat transferendum, non autem ad illud diſſoluendum, vt falsò inquit Polanus.

3. Pontifex, ad omnem de Reformatione, ac de Synodo ſermonem intercipiendum, bellum de Religione molitur.

HISTORIA.

PAg. 111. Verebatur ſemper Pontifex, ne Cæſar, cum Germanis, in ſui perniciem conueniret: & de remedio anxius, nil ſibi ſalubrius cenſebat, quàm bellum de Religione excitare, quo Proteſtantes compeſcerentur, & difficillimò æquè negocio Cæſar implicaretur, omniſque ſimul ſermo de reformatione, ac de Concilio interciperetur. Cumque etiam Parmam, & Placentiam Petro Aloyſio dare decreuiſſet; quod, non accedente Cæſaris aſſenſu, ſibi maximè periculoſum exiſtimabat, Cardinalem Farneſium, eis de rebus, cum inſtructionibus neceſſarijs certum ad Cæſarem allegauit. Quare cum pag. 139. Legati Pontificem de nonnullis conſuluiſſent, addit, mirum videri poſſet, illum prudentiſſimum, maximequè in rebus gerendis verſatum, per tanti temporis ſpatium, perque ſuos miniſtros toties interpellatum, nullum vnquam duabus tanti ponderis, neceſſarijſque adeo requiſitionibus reſponſum dediſſe, idque ex eo factum ſubdit, quia Concilio parum intentus, totus in bello eſſet, de quo Cardinalis Farneſius cum Cæſare anno ſuperiori egerat, nec ſe continere poterat, quin aliqua id ſignificatione exprimeret.

CONFVTATIO.

QVÆ omnia ſunt manifeſtè falſa, & calumnioſa, cum Pontifex non propoſuerit bellum eo fine, quem Pola-

Polanus malignè ſupponit; ſed in eum ſolum tantummodò caſum, ſi Proteſtantes Concilium contumacitèr reiecciſsent, vt patet ex pluribus. Quæ, ad auctoris falſitatem, & inconſtantiam, ex tot contradictionibus magis prodendas, ſimul hic recenſebimus.

Primùm enim patet in hiſtoria Polani ex ipſa tractatione Cardinalis Farneſij cum Cæſare, dum ait pag. 115. *Farneſium, ex præſcripto Pontificis, Cæſari, ac Regi Romanorum expoſuiſſe, Sanctitatem Suam Synodi aperiendæ facultatem Præſidentibus feciſſe; & eouſque apertionem morari, quo de ſtatu Comitiorum certior ab eo fiat; Cæſarique addidiſſe, Proteſtantium oppoſitiones nihili faciendas eſſe, cum quę per eos obijciantur, non ſint noua, & antea non præuiſa, quando de Concilio peragi cœptum fuit; & cum obedientię iugum proiecerint dubitandum non eſſe, quin etiam Concilium procacius iidem proiecturi ſint, à quo ſe damnandos eſſe non vereantur; neque ideo reliquum eſſe, quàm vt per Maieſtatem ſuam auctoritate moueantur, vel vt parere adigantur. Quo prætermiſſo, ſi in illos, eorum cauſa non decernatur: vel ſi, damnati, errores eiurare non compellantur; apertum omnibus fore, hæreticos imperare, Pontificem verò, & Cæſarem obtemperare, ac quemadmodum, ideo Sanctitas ſua ſuauitatis viam eligi ſuadeat; ſic vim poſtmodùm conſequenturam eſſe re ipſa attendere neceſſarium ducere:* ad eamque rem auxilia plurima ſpopondiſſe. Ex quibus Legati verbis nemo eſt, qui non videat, Pontificem Synodi celebrationem, Proteſtantium obiicibus neglectis, penitus voluiſſe, cum eiſque *prius ſuauitatis viam* (vt præciſis verbis ait) *experiendam* ſuaſiſſe; arma verò nonniſi in ſubſidium propoſuiſſe, ſi *Concilium pertinaciter reijcere perſtitiſſent.*

II. Patet calumnia, cum Prorex Neapolis quatuor ſolos Epiſcopos ad Concilium cæterorum omniũ Epiſcoporum Regni nomine, procuratores mitti vellet, vt ait 103. cum Farneſium de eo impedimento amouendo, ne

alijs

aliis Nationibus exemplo eſſet, apud Cæſarem valde cõtendiſſe referat. An enim adeo pro eis amouendis impedimentis laboraſſet Legatus, ſi eo potiſſimum fine allegatus fuiſſet, vt Synodus miſſa fieret?

III. Patet calumnia, ſubdens, Legatum cum Cœſare pariter egiſſe *de promiſſione, quam idem Cæſar fecerat in propepoſitione per eum ad Comitia Imperialia miſſa; nempè conuentum alium, ni Concilium proficiat, indicendum eſſe, ad Religionis altercationes terminandas. Nam cum, nec per Pontificem eiuſq; Legatos, ac miniſtros, nec per Romanam Curiam ſtaret, quo minus Synodus celebretur, ac proficiat; nullo modo in reliquis Maieſtati ſuæ liceat, alia Comitia ſub hoc pretextu indicere.* Siquidem cum id *totis viribus contendere, ac potiſſimum vrgere* in mandatis habuiſſe addat, non alium, etiam eius Legationis ſcopum fuiſſe confirmat, quàm vt, amotis impedimentis, tam à Proteſtantibus, & à Prorege Neapolis, quàm per Cœſarem oppoſitis, omnino Synodus celebraretur, ac proficeret.

IV. Patet calumnia. Si namq; Pontifex omnem de Concilio ſermonem ea Legatione intercipi voluiſſet, procul dubiò nunquam mandaſſet Concilium eodemmet tempore *omninò aperiri*, vt eadem pag. 111. & iteratò, etiam 113. mandaſſe narrat.

V. Quia per eundem Legatum *de illo, tum aperiendo, tum incipiendo* haud quaquam apud Cæſarem inſtitiſſet, vt pag. 115., & 116., & iterum per Epiſcopum Caſertæ pag. 124. vehementer inſtitiſſe teſtatur.

VI. Quia ad impedimentum Proregis Neapolitani tollendum, non vtique *diploma feciſſet*, (vt ait 113.) quo per procuratorem accedi ſub grauiſſimis pœnis prohibuit.

VII. Quia ſi Pontifex eam cum Cæſare negociationē, tum ad bellum ſuadendum, tum ad Cæſarem ſibi pro rebus Parmæ, & Placentiæ demerendum inſtituiſſet, non

adeo

adeo acer in eundem Cæſarem eodemmet tempore fuiſſet, vt author pluribus docet. Cum enim Cæſar Archiepiſcopum Coloniæ in ius coram ſe vocaſſet, non ſolum ait pag. 121. *Pontificem, vt Cæſari aduerſaretur, ad ſe cauſam aduocaſſe, ſed Archiepiſcopum inſuper damnaſſe, dignitate priuaſſe, ſacriſque demum prohibuiſſe:* & cum eidem Cæſari ſubſidia Eccleſiaſtica conceſſiſſet, ea etiam illi abſtulit, vt refert 117. & à decimis Maieſtati eius itidem conceſſis Epiſcopos exemit pag. 130. Cumque Cæſar de dogmatibus eo tempore in Concilio peragi nollet, de eis nihilominus Pontificem peragi mandaſſe affirmat 161. & 162. Qua de re Cæſarem commotum in minas contra ipſum Legatum proceſſiſſe commemorat 197. Ex quibus vtique manu ipſa tangitur, Pontificem adeo à Cæſare ſibi in eius belli finem, eo tempore conciliando alienum fuiſſe, vt nec etiam ab eis abſtinuerit, quibus eum potius ſibi infenſiſſimum redditurus fuiſſet.

VIII. Patet calumnia; quia cum nullo labore, aut ſumptu voti compos eſſe potuiſſet, nihilominus abſtinuerit. Cum enim Patres Tridentini in Archiepiſcopum Coloniæ, Ducem Saxoniæ, Lantgrauium Haſſiæ, ac Regem Angliæ procedere vellent; & *Cardinalis Tridentinus, ac Miniſtri Moguntini, eorum Principum amplitudinem adherentiaſque perpendendo, periculum fore animaduertiſſent pag. 120. ne, ſi in eos procederetur, conſpirantes cum Anglo, maius in Germania excitaretur incendium*; an non æque Proteſtantes, ac Cæſarem difficillimo negocio, vel ſola conniuentia, implicuiſſet?

Poſtea verò, cum ad res Religionis pertractandas, Colloquium & Comitia Ratiſponæ (licèt iam Synodus congregata eſſet) per Cæſarem inſtituerentur, cum dicat, *Prælatos frementes ac ſe vanè, atque indignè Tridenti ſedere querentes, ſanguę notam, tum Pontifici, & Sedi Apoſtolicæ, tum Concilio, & toti Eccleſiæ iniuſtam, nullatenus ferre vellent*; an non potuiſſet Synodus, nulla omninò

Ponti-

Pontificis culpa, diſſolui, cum Prælati (*vt addit*) *Miſſionem peterent, eamque denegatam vſurparent, adeo vt pag.* 123. *paucos remanſiſſe concludat*? Præſertim, quia diſſolutio, ex eo neceſſaria videretur, quando, præter apertiſſimam illam in totam Eccleſiam contumeliam, Proteſtantes (quibus potiſſimum Synodus parabatur) illam, edito libello (vt addit 122.) penitus reſpuiſſent: & compertiſſimum inſuper Pontifici fuiſſe ſubijciat 123. *Synodum haudquaquam hæreſibus extirpandis vſui fore*?

IX. Calumnia ex apertiſſima Auctoris confeſſione cõuincitur, cum bellũ, nonniſi in eum caſum faciendũ fuiſſe enucleatiſſimis verbis perhibeat, dicta pag. 122. quandoquidem *remedijs alijs omnibus adhibitis, Proteſtantes in Synodo Tridentina reijcienda contumaces, nihilominus perſtitiſſent*.

X. Quia in ipſiſmet fæderis conditionibus inter Pontificem, & Cæſarem nominatim expreſſum fuiſſe dicat 182. *bellum non alia de cauſa parari, quàm quia Proteſtantes Concilio ſe ſubijcere recuſarent*: vt etiam Pontificem dixiſſe ait 184. cum, poſt ea fædera, Heluetios ad Synodum inuitaret: & ipſum itidem Carolum Imperatorem; tum in Comitijs Auguſtanis pag. 268. tum etiam in proteſtationibus, eius nomine factis aduerſus Concilium Bononiæ congregatum, per Velaſcum eius Oratorem pag. 275. & dein Romæ coram Pontifice per Oratorem Mendozzium pag. 277. vbi expræſſiſſimis verbis dixit, eundem Mendozzium *officia per Carolum cum Adriano, Clemente, & ipſomet Paulo, ad eos ad Concilium inducendos facta expoſuiſſe; cui poſtquam perduelles Germaniæ ſe ſubijcere recuſaſſent, eos armis ad obedientiam coegerit, ac Pontificem, ne publicę cauſę deeſſe videretur, ſuarum copiarum auxilia contuliſſe*. Quæ omnia demum confirmat ore Comitis Monfortij, quem pag. 320. Tridenti longam narrationem laborum feciſſe narrat, quos Cæſar, & *bello*, *& tractationibus inſumpſerat, quò Proteſtantes ad ſeſe Concilio ſubijcien-*

Digitized by Google

cieudos cogeret. Si quidem hæc ipſiuſmet Cæſaris, eiuſque miniſtrorum fides rem penitus perſpectam facit.

XI. Quod ipſorummet quoque Proteſtantium teſtimonio ad cumulum comprobat, quos affirmaſſe refert 184. Ferdinandum, Granuellanum, alioſque Cæſaris adminiſtros bellum ſoli Concilij contemptui tribuiſſe: quod concordat cum ſupplemento ad Sabellicum, vbi Proteſtantes queruntur, hoc bellum Religionis cauſa factum fuiſſe, eiuſque rei *multas probationes adducunt, & quid Ferdinandus Rex, quid Granuellanus, quid Nauius, & alij quidam Ratiſbonę priuatim dixerint, nimirum Concilij contemptum huius cauſam eſſe belli*. Quam cauſam, & per Pontificem itidem in Iubilæo, ea de re indicto, expreſſam fuiſſe docet 195., vbi *arma ad Proteſtantes Concilio ſubijciendos, ſumpta fuiſſe declarauit*. In quos etiam, cum Pontificē minas *per Oratorem Gallum intentaſſe* addat 122. proculdubiò aperit, Pontificem nullum remedium intentatum reliquiſſe, quo Poteſtantes quoquomodò ad Concilium traheret, & *arma nonniſi extremi remedij loco ſumpta fuiſſe*, vt Auctor iteratò pag. 178, diſertiſſimis verbis fatetur.

XII. Et denique confirmat, rem ipſam detegens, dum colloquio abſque fructu diſſoluto, ait 178. *Cæſarem in Comitijs Ratiſponenſibus impoſſibile eſſe vidiſſe Proteſtãtes ad concordiam toties intentatam, aut ad Concilium ea de cauſa congregatum perducere; quòd ſeſe ei ſubijcere apertè renuerunt, Nationaleque potius flagitarent, & colloquia ac ſimilia proponerent, Electoreſque Moguntinum, & Treuerenſem, alioſque Catholicos, qui Concilium probabant, Cæſarem ad illud protegendum, operamque dandam impuliſſe, vt Proteſtantes ſe illi ſubijcerent*: quæ reſpondent negociationi Farneſij ſupra relatæ, vt nempe *alijs remedijs effectu carentibus*, arma, ad Proteſtantes Concilio ſubijciendos, ſumerentur.

Quemadmodum, & res ipſa demum probauit, cum,

bello

bello poſtmodum incæpto, voluerit Pontifex, non ſolum Patres, eo durante, Tridenti ſedere; ſed à rebus, quin insuper cum eiſdem Proteſtantibus controuerſis penitus abſtinere, quòd ſperaret, eos, bellorum incommodis attritos reſipiſcentes, ſe Concilio ſubijcere, non amplius detrectaturos eſſe; licèt poſtea, ob cauſas, quas recenſet, Concilium Bononiam transferendum fuerit.

Pontificem verò Concilio intentum non fuiſſe, non modò non conſonat cum eis, quæ diximus, ſed quòd inſuper addat pag. 130. eundem Pontificem *de apertione Synodi monitum, Congregationem Cardinalium, Curialiumque inſtituiſſe, qui rebus Synodi præeſſent, cum eiſq; conſuleret*, cum alijs pluribus huiuſmodi, quæ auctor ibidē cumulat.

Sed Pontificem ſe continere non potuiſſe, quin tractationis, cum Cæſare anno ſuperiori, factæ ſignificationes daret, adeo falſum eſt, vt immò ex Polano contrarium, omninò feciſſe pateat. Nam præter id, quod in cauſa Colonienſis, in apertas cum Cæſare diſſenſiones prorupit, & alia in eum fecit, quæ recenſuimus, quibus ſe animo à Cæſare ab alienato fuiſſe declarauit; eius animi ſignificationes fuerunt, diſſolutionem Concilij pluries (vt vidimus) impedire: illius proſecutionem totis viribus vrgere, quamuis etiam Proteſtantes illud, edito libello reſpuiſſent: maxima perturbatione pag. 123. ob Comitiorum decreta affici: vereri, eadem pag. 123. ne Prælati Hiſpani ſeſe Gallis in Concilio iungerent: illudque ſibi periculoſiſſimum (pag. 124.) exiſtimare moleſtiſſimè ferre (pag. 125.) in Concilio de Reformatione magis, quàm de dogmatibus agendum fore: certum ſe eſſe palam profiteri, eadem pag. 125. *ſuas res, cum rebus Cæſaris, ob contrarietatem, conuenire non poſſe*; ac ſummopere ſtudere, vt eidem ſua conſilia occulta eſſent: Prælatos Cæſari ſubiectos, à ſolutione decimarum eidem conceſſarum eximere: eundemque ſibi pag. 161. ob propoſitionem dogmatum eo inuito, factam infenſiſſimum

Digitized by Google

cundos cogeret. Si quidem hæc ipſiuſmet Cæſaris, eiuſque miniſtrorum fides rem penitus perſpectam facit.

XI. Quod ipſorummet quoque Proteſtantium teſtimonio ad cumulum comprobat, quos affirmaſſe refert 184. Ferdinandum, Granuellanum, alioſque Cæſaris adminiſtros bellum ſoli Concilij contemptui tribuiſſe: quod concordat cum ſupplemento ad Sabellicum, vbi Proteſtantes queruntur, hoc bellum Religionis cauſa factum fuiſſe, eiuſque rei *multas probationes adducunt, & quid Ferdinandus Rex, quid Granuellanus, quid Nauius, & alij quidam Ratiſponæ priuatim dixerint, nimirum Concilij contemptum huius cauſam eſſe belli*. Quam cauſam, & per Pontificem itidem in Iubilæo, ea de re indicto, expreſſam fuiſſe docet 195., vbi *arma ad Proteſtantes Concilio ſubijciendos, ſumpta fuiſſe declarauit*. In quos etiam, cum Pontificē minas *per Oratorem Gallum intentaſſe* addat 152. proculdubiò aperit, Pontificem nullum remedium intentatum reliquiſſe, quo Poteſtantes quoquomodò ad Concilium traheret, & *arma nonniſi extremi remedij loco ſumpta fuiſſe*, vt Auctor iteratò pag. 178. diſertiſſimis verbis fatetur.

XII. Et denique confirmat, rem ipſam detegens, dum colloquio abſque fructu diſſoluto, ait 178. *Cæſarem in Comitijs Ratiſponenſibus impoſſibile eſſe vidiſſe Proteſtātes ad concordiam toties intentatam, aut ad Concilium ea de cauſa congregatum perducere; quod ſeſe ei ſubijcere apertè renuerunt, Nationaleque potius flagitarent, & colloquia ac ſimilia proponerent, Electoreſque Moguntinum, & Treuerenſem, alioſque Catholicos, qui Concilium probabant, Cæſarem ad illud protegendum, operamque dandam impuliſſe, vt Proteſtantes ſe illi ſubijcerent*: quæ reſpondent negociationi Farneſij ſupra relatæ, vt nempe *alijs remedijs effectu carentibus*, arma, ad Proteſtantes Concilio ſubijciendos, ſumerentur.

Quemadmodùm, & res ipſa demum probauit, cum, bello

bello poſtmodum incæpto,voluerit Pontifex,non ſolum Patres, eo durante, Tridenti ſedere ; ſed à rebus, quin inſuper cum eiſdem Proteſtantibus controuerſis penitus abſtinere, quòd ſperaret, eos,bellorum incommodis attritos reſipiſcentes , ſe Concilio ſubijcere, non amplius detrectaturos eſſe ; licèt poſtea , ob cauſas , quas recenſet, Concilium Bononiam transferendum fuerit.

Pontificem verò Concilio intentum non fuiſſe , non modò non conſonat cum eis, quæ diximus, ſed quòd inſuper addat pag. 130. eundem Pontificem *de apertione Synodi monitum, Congregationem Cardinalium,Curialiumque inſtituiſſe,qui rebus Synodi præeſſent , cum eiſq; conſuleret,* cum alijs pluribus huiuſmodi,quæ auctor ibidē cumulat.

Sed Pontificem ſe continere non potuiſſe , quin tractationis,cum Cæſare anno ſuperiori, factæ ſignificationes daret, adeo falſum eſt, vt immò ex Polano contrarium, omninò feciſſe pateat. Nam præter id , quod in cauſa Colonienſis, in apertas cum Cæſare diſſenſiones prorupit, & alia in eum fecit, quæ recenſuimus, quibus ſe animo à Cæſare ab alienato fuiſſe declarauit;eius animi ſignificationes fuerunt , diſſolutionem Concilij pluries (vt vidimus) impedire : illius proſecutionem totis viribus vrgere, quamuis etiam Proteſtantes illud,edito libello reſpuiſſent: maxima perturbatione pag. 123. ob Comitiorum decreta affici: vereri, eadem pag. 123. ne Prælati Hiſpani ſeſe Gallis in Concilio iungerent:illudque ſibi periculoſiſſimum (pag. 124.) exiſtimare moleſtiſſimè ferre (pag. 125.) in Concilio de Reformatione magis, quàm de dogmatibus agendum fore : certum ſe eſſe palam profiteri, eadem pag. 125. *ſuas res, cum rebus Cæſaris, ob contrarietatem , conuenire non poſſe* ; ac ſummopere ſtudere, vt eidem ſua conſilia occulta eſſent; Prælatos Cæſari ſubiectos , à ſolutione decimarum eidem conceſſarum eximere: eundemque ſibi pag. 161. ob propoſitionem dogmatum eo inuito, factam infenſiſſimum

reddere; & alia huiuſmodi plurima facere, (ne ſingillatim omnia recenſeamus) quæ, an beneuolentiæ, ac fœderis inter eos initi ſignificationes eſſent, facilè patet, & quàm falsò idcirco dicat pag. 144 *Colloquium Ratiſponenſe per ſolam ſpeciem factum fuiſſe à Cæſare, vt ſatis Pontifici faceret, occaſionemque in Proteſtantes quæreret.* Eoque certius referens 193. *Romanam Curiam (ſeſſione cum publicatione Symboli fidei peracta) vtpotè, quæ nomen reformationis exhorrebat, Synodum in præludijs morari iucundiſſimè accepiſſe: idque ex eo feciſſe* addat, *quia* remedium à tempore ſperaret, & pag. 195. Romanos Aulicos, contentionibus inter Theologos Tridentinos obortis, fomitem eo fine præbuiſſe, quò ſeparandi Concilij, imminentemque reformationem euitandi rationem *inirent*. Non enim ea oportuiſſent Aulicis, ſi Pontifex illas belli iam ſtatuti ſignificationes, quas Polanus ait, reuera dediſſet.

4. *Pontifex ſibi à Cæſare, atque à Proteſtantibus metuens, ſuas copias auxiliares è Germania reuocat: eidemq; ſubſidia ab Eccleſiaſticis adimit; reſq; in Concilio digeſtas promulgari præcipit.*

HISTORIA.

HVius etiam belli occaſione, alias calumnias in Pontificem aggerat, ſubdens 216. Cæſarem Proteſtantibus ſuperatis, ſuperioris Germaniæ arbitrum remanſiſſe; Pontificem verò ea Cæſaris felicitate perculſum, rebus proprijs, antequam tota potiretur Germania, conſulturum ſuas inde copias auxiliares reuocaſſe, querente Cæſare, ſe maiori in neceſſitate deſeri, rationemque afferente Pontifice, quia tranſactionum cum Vrbibus, & Principibus, belliq; emolumentorum particeps non fieret. Præſertim accedente, quòd non ſine magno fidei catholicæ detrimẽto conuenirent tollerando hæreſim, quæ exter-

exterminanda fuiſſet. Quibus nec etiam Pontificem cõtentum, inſuper Eccleſiaſtici Hiſpaniæ cenſus vltra ſex menſes percipiendi facultatem Cæſari ademit: ac veritum, ne Cæſar Proteſtantes ad Concilium impellens, negocium illi faceſſeret, ſeparationiſque Concilij remedium violentum, ac ſcandaloſum duceret (præſertim quòd Tridenti ſeptem menſes in tractatione non publicata triuiſſent) res iam ibi digeſtas, publicari decreuiſſe; quando ex illa declaratione, vel ire Proteſtantes renuiſſent; vel eundo, illa recipere adigerentur, in quibus cum omnium controuerſiarum cardo volueretur, victoria ipſe potiretur: Eamque ſolam rationem id ſuadere, ni alia eſſet, quòd Cæſar à controuerſijs ceſſari ſatagens, id ſibi vtile declararet; cum eorum contraria cõſilia eſſe debeant, qui fine, ac ſcopo interſe diſcrepent; ideoque ſeſſionem haberi, & formata decreta vulgari, Legatis mandaſſe.

CONFVTATIO.

QVæ omnia ſunt, de more, veneno malignitatis infecta. Cum enim fœdus, ad Proteſtantes Concilio ſubijciendos initum eſſet à Pontifice (vt patefecimus;) vtique cum dicat pag. 216. *multas è Ciuitatibus fœderatis* (Germania ſuperiore poſt victoriam arbitrio Cœſaris relicta,) *cum eo pepigiſſe, Religionis tamen ſuæ retinendæ cautione accepta*; fruſtra etiam Proteſtantes amplius expectabantur: Et, cum è re catholica non eſſet, arma, & pecunias Eccleſiæ hæreſi patrocinari, hanc etiã cauſam potiſſimam fuiſſe patet, ob quam Pontifex ſuas Copias reuocauerit, & ſubſidia Eccleſiaſtica Cœſari ademerit.

Et quos, etiam Cæſar è Poteſtatibus ad Concilium mittere potuiſſet? An forſitan, quos non ſubegerat, ſi eius omninò deſpiciebant imperium? Vel quos ſubegerat,

rat, ſi iam de ſua Religione, ſine moleſtia *retinenda* ab eo cautionem acceperant: quique Concilio adeo inſuper auerſi erant, vt, ne ſeſe illi ſubijcerent, bellum ſuſtinere maluerant? Non ergo illa de cauſa, nec in eum finem, quem malignè auctor comminiſcitur, Pontifex eo tempore decreta vulgari mãdauit; ſed quia cum Cœſar Proteſtantes ad Concilium per vim cogi poſſe ſperaret, & interim à decretis vulgandis abſtineri flagitaſſet, (pag. 197.) vanè etiam amplius expectarentur, (vt in Cœſaris illuc vſque gratiam factum erat) quòd iam de ſua Religione, ſine moleſtia retinenda cauti, eos per Cęſarem cogi poſſe, amplius ſperandum non eſſet.

5. Pontifex ſibi pariter à Prælatis metuens, de Concilij tranſlatione cogitat.

HISTORIA.

PAg. 123. Veritus Põtifex ne Prælati Hiſpani, ac Neapolitani, vtpote ab eo grauati, alieno à ſe, atque ab Apoſtolica Sede animo in Concilio eſſent, quibus, & à Gallis fomitem acceſſurum credebat, translationi Cõcilij animum conuertere cæpit, dummodò de illo in Germaniam transferendo non ageretur: eaque deliberatione facta executioni opportunè conſulturus, diploma facultatis, ea de re datum 22. Februarij, de quo ſupra dictum, miſit Legatos.

CONFVTATIO.

SEd quo pacto ſibi ab Epiſcopis Neapolitanis timebat, ſi in negociatione ſupra notata Farneſij cũ Cœſare, de impedimento Proregis Neapolitani amouendo nominatim actum fuiſſe dixit, qui quatuor ſolos Regni Epiſcopos, cæterorum omnium Regni Epiſcoporum nomine,

mine, procuratores mitti volebat? Nam non ſibi ergo à Prælatis Neapolitanis timebat. Immò ſi ad eos compellendos, diploma inſuper feciſſe addidit locis Paulò ante notatis? Sed impoſturam ipſemet detegit, referens pag. 124. *Epiſcopum Caſerta cum Cæſare acturum à Pontifice miſſum fuiſſe, proponendo Concilium aperiri; & exordiri, vel ad aliquod tempus differri, & ni id probaretur, in Italiam transferri, quò, dum ea, quæ in Colloquio, & Conuentu eſſent agenda, honeſtè tempus protraheretur, vel aliam iniri rationem, quæ non tam Eccleſiæ inhonora, ac periculoſa eſſet, vt erat Concilium cum Legatis, & Prælatis, ocioſè pen dere.* Nam veram diplomatis illius mittendi cauſam fuiſſe docet, (ſi illud verè miſit) quòd è dignitate non eſſet, Synodum generalem interim ſilere, ac deſidem eſſe, dum Colloquia, & Comitia ad Religionis res pertractandas, per alios alibi inſtituerentur.

6. Cæſar, cum de ſola Reformatione peragi contenderet, eluditur a Pontifice.

HISTORIA

PAg. 124. Cæſar Concilium tandem ea moderatione aperiri elegit, vt de reformatione ageret, atque ab hæreſum, dogmatumque tractationibus (ne Proteſtantes irritarentur) abſtineret. Qua de re Pontifex certior per Nuncium factus, maxima internè offenſione perculſus fuit. Perſpiciebat enim id eſſe victoriam Lutheranis cedere, ſeque omni penitus authoritate ſpoliare, quem à Colloquijs, & Comitijs Imperialibus pendentem faceret, eiſque tractationes Religionis permitteret, quas Concilio denegaret, ſeque eneruem reddere, a quo ſuos per reformationem abalienaret, vireſque Lutheranis adderet, eorum ferendo, aut non damnando hæreſes: & in ſeipſo certior non poſſe res ſuas, cum rebus Cæſaris,

ob

ob contrarietatem conuenire ſua illi conſilia occulere, & vt ſibi magis expediret, agere ſtatuit: ideoque, omni offenſione ex reſponſione diſſimulata, Nuncio illico replicauit, ſe, vt rem gratam Cæſari faciat, Concilium, nulla interpoſita mora, aperiri decreuiſſe, exordium actionibus fieri precipiendo, cunctiſque plena libertate, & ratione, & ordine congruis procedentibus. Quæ ità verbis generalibus dixit, ne exprimeret, quænam priùs, aut poſteà proponenda, tractanda, aut penitus omittenda eſſent, quod in primis res Religionis, ac dogmatum agitari firmiter ſtatuiſſet, nullam aliam rationem ea de re afferendo, ſi quam afferre adigeretur, quàm de ſola reformatione agi, præter conſuetudinem perpetuò ſeruatam eſſe, ſuæque, & Concilij exiſtimationi aduersùm: reque tota Cardinalibus communicata, Concilium, de eorum conſilio, ac ſententia aperiri mandaſſe.

CONFVTATIO.

SED horum oblitus, poſteà inquit pag. 140. *Prelatos, qui initium à reformatione fieri, & dogmata penitus omitti cupiebant, Cæſareorum Miniſtrorum ope ſuffultos, cæteros in ſuam ſententiam trahere aggreſſos, nullo negocio voti compotes fuiſſe, quod reformatio communi omnium voto expeteretur, & præter omnium ſpem eſſet, in eumque numerum euaſiſſe, vt Legati confuſi, animum deſponderint, & per ſe ideo, ac ſuos adherentes, priuatis officijs egerint; demumque in Congregatione die 22. habita, tres Legatos ſingillatim pro virili, fundamenta, quæ pro reformatione afferebantur, conuellere adniſos eſſe*: tandem concludens, *ab omnibus (duobus tantummodò exceptis) ſtatutum fuiſſe, vt reformationis & Religionis articuli vnà aquè agitarentur, quemadmodum, ab omnibus vbique expetebatur, neceſſariumque æſtimabatur, atque in bullis Pontificis proponebatur, eique deliberationi acquieuiſſe Legatos; licèt de ſola fide, re-*

forma-

formatione penitus poſthabita, peragi maluiſſet. Sed tantus eos inuaſerat terror, ne ad reformationem ſolam adigerentur, ut utrumque pari paſſu ambulare, integra victoria loco duxerint, cum etiam perpenderent, eorum tandem opinionem reformationis omittendæ, periculo non vacare, cum omnibus Prælatis, cunctiſque Chriſtianitatis ſtatibus, qui eam flagitarent, obſiſtere vellent, nec citra ſcandalum, ac dedecus fieri poſſet. Quæ deliberatio ab eis, ex mera neceſſitate ſuſcepta, ni Romæ probaretur, non eſſe cur de alijs, quam de ſeipſis meritò conquiri debuiſſent, quos toties ad reſpondendum epiſtolis, neceſſariaſque inſtructiones mittendas fruſtrà interpellaſſent. Quibus poſitis patentiſſima eſt impoſtura. Si enim Cæſar de ſola reformatione agi, & à dogmatibus omninò ſuperſederi decreuiſſet; an non ſuarum ſaltem partium ſequaces à ſe habuiſſet, quos multos fuiſſe docet? Et nihilominus ne vnum quidem de agendo de ſola reformatione muſſitaſſe refert; ſed è contra, omnes vno ore *de vtroque ſimul* peragi ſtatuiſſe affirmat. Et ſi Pontifex de vtroque ſimul omninò peragi voluiſſet, an non rem Legatis aperuiſſet, & quid facto opus eſſet, opportunè mandaſſet? Et nihilominus, cum *nullam eis reſponſionem aut inſtructionem miſiſſe*, apertiſſimis verbis perhibeat, Quis falſitatem non manu tangit?

Quæ impoſtura magis apparet, quòd Pontificem, & Legatos inuicem contrarios faciat, dum Pontificem *de vtroque ſimul* omninò peragi ſtatuiſſe, Legatos verò de *ſola dumtaxat fide pertractanda* acerrimè contendiſſe affirmat.

7. *In re tractanda, Pontificiorum artes.*

Poſt hæc auctor multa mendacia, impoſturas, & calumnias congerit, quæ hic, ad eius malignitatem, falſitatemque refellendas, breuiter elucidabimus.

HISTORIA.

PRimùm ait pag. 108. Legatos expendentes diploma

ſuarum facultatum, deliberaſſe illud non propalare, ac Romam nunciaſſe, conditioné de conſenſu Concilij procedendi in eo appoſitam, nimis illos coarctare, ob ea quæ narrat; & Romæ diplomate, ex eorum monitu, caſtigato, auctoritatem abſolutam eis datam fuiſſe: Et pag. 125. Eoſdem Legatos renuiſſe ſuas facultates exhibere (vt Epiſcopus Aſturicenſis inſtabat) veritos, ne libera eorum facultas certis limitibus coerceretur.

CONFVTATIO.

SED immemor, impoſturam prodit, poſt hæc ſubdens pag. 129. Legatos Pontifici ſcripſiſſe, *ſe ſuarum facultatum mandatum exhibere renuiſſe, quòd adhuc ignari eſſent, quomodo eorum Præſidentia intelligenda eſſet, & quanti valoris eam Sanctitas Sua eſſe vellet.* Nam quo pacto ergo ſuarum facultatum diploma caſtigari, ſibique auctoritatem abſolutam tribui fecerant: vel timere potuerunt, ne dicta libera eorum facultas certis limitibus coerceretur, ſi poſt hæc, de ſuarum adhuc facultatum viribus *incerti* erant?

HISTORIA.

SEcundo ait pag. 129. Legatos Pontifici ſcripſiſſe, nonnullos Prælatos de procedendo per Nationes cogitare, quem modum ipſi ſeditioſum cenſebant, quòd cuiuſque Nationis Prælati ſimul conſpiraturi eſſent: Nec Itali numero prepollentes, maioriſque in Sedem Apoſtolicam fidei vſui forent, ſi omnium ſimul iunctorum ſuffragium eiuſdem ponderis, ac paucorum Gallorum, aut Hiſpanorum, vel Germanorum futurum eſſet.

CONFVTATIO

SED pag. 140. vbi de hac ratione agendi actum fuit, cum ne vnus quidem de procedendo per Nationes muſſitauerit: & ibidem pariter referat, Prælatos omnes, ad vnum, nemine penitus excepto, de fide, ac reformatione ſimul peragi voluiſſe, licèt Legati acerrimè contra vrgerent, malignitatem detegit: vti etiam cum in eadem

Epi-

Epiſtola ſubdens, Legatos ſcripſiſſe *omnes iunctim Prælatos in Congregatione perſtitiſſe, vt Legati ſuarum facultatum diploma exhiberent.* Nam vbi ergo erat hæc maior Italorum fides, ſi omnes adeo acriter Legatos in rebus tanti ponderis oppugnabant?

HISTORIA.

TErtio ait pag. 130. Synodo aperta, Pontificem inter cætera Legatis ſcripſiſſe, circa id, quod pertinet ad hæreticos damnandos, & materias pertractandas, & alia, quæ petierant, mandata eis opportunè tranſmittenda fore, interimque in præludijs, de more aliorum Conciliorum, morarentur, quæ etiam replicat pag. 178.

CONFVTATIO

LIcèt Legati (nulla adhuc inſtructione, aut reſponſione à Pontifice accepta) non ſolùm de materijs, quæ pertractandæ eſſent, deliberari nihilominus propoſuerint, pag. 137; ſed de eis inſuper, re ipſa deliberari ſiuerint, pag. 140. ac duo quoque in eadem Congregatione, de ea re, conſideranda, Patrumque ſuffragijs decernenda propoſuerunt, vt ſubdit 141. nempe, *an in proxima ſeſſione pronunciandum eſſet decretum, vt fidei, ac reformationis capita ſibi reſpondentia, ſimul ſemper agitarentur: & qua ratione in duobus illis capitibus eligendis, tractandis, examinandiſque agendum eſſet.*

HISTORIA,

QVarto ait pag. 133. Epiſcopum Placētiæ propè Mirandulam à Craſſatoribus expoliatum in eos per Synodum decerni petijſſe, qui illuc euntes moleſtia, aut impedimento interturbarent. Sed Legatos hanc propoſitionē, cū petitione exēptionū à decimis conferētes, perpendētes quāti eſſet, vt Synodus, ad ſui extollentiam, edicta faceret, & id Eccleſiaſticæ Hierarchiæ arcana tentare eſſe, à re multa dexteritate diuertiſſe, allegantes, id nouum gentibus, & nimiam iniuriæ inſectationem exiſtimandam fore, ſeq; de publicæ ſecuritati conſulen-

do, cum Pontifice acturos eſſe.

CONFVTATIO.

QVæ arcana ſunt nugæ Polani? Quo enim pacto Synodus, & per quos Iuriſditionem temporalem in ditionibus Principum ſecularium executeſſet?

HISTORIA.

QVinto ait pag. 134. Gallos Synodi titulo verba *Vniuerſalem Eccleſiam repræſentans* adijci poſtulaſſe. Vt & Hiſpanos pariter in tertia Synodi reductione poſtea petijſſe addit pag. 466.

CONFVTATIO.

QVaſi vniuerſum Eccleſiæ corpus poſſit, ſine Pontifice (hoc eſt ſine ſuo capite) repreſentari.

HISTORIA.

SEſto Pag. 141. Cũ deliberatum eſſet epiſtolas ad Principes ſcribere, & Congregatio conſumpta eſſet in legendis epiſtolis formatis, & diſputando de ſigillo quo obſignandæ eſſent, ait, Legatos, qui alia à Pontifice mãdata habebant, à propoſitione, poſt diſputationes, diuertiſſe, dicendo, rem à faſtu alienam non eſſe; quia nimis tempus protraheretur, cum aliquis ad modulum formandum neceſſariò Venetias mittendus eſſet, eaque de re accuratius poſtea cogitari poſſet, & neceſſe eſſe tunc temporis literas expediri, idque interim percommodè primi legati nomine, ac ſigillo fieri poſſe.

CONFVTATIO.

EX quibus leuitas Polani ſe prodit, cum immediatè ante dixerit (vt iam notauimus) Pontificem *nullum vnquam maximi ponderis requiſitionibus reſponſum dediſſe, nullaſq; prorſus inſtructiones, aut mãdata præbuiſſe*. Quis vnquam enim credat, Pontificem grauioribus omiſſis, de nugis mandata dediſſe?

HISTORIA.

SEptimo. Ait pag. 142. Non aliũ ſcopum Legatis fuiſſe, quàm tempus protrahendi, ſtudioſèque idcirco difficultates aluiſſe.

CON-

CONFVTATIO

SEd veram eius tergiuerſationis cauſam, & propriam ex conſequenti malignitatem, poſtea detegit, cum, tametſi (vt ait 144. *hoc tempore Synodus aperta eſſet, ac celebraretur, deſtinati à Cæſare congreſſui, inſtituto ad differentias Religionis concordandas, Ratiſponæ conuenerunt, cui Cæſar Præſidentes præfecerat &c.* Non enim Tridentini actionem proſequi poterant, cum *Colloquium illud* (vt præciſis verbis in eodem loco refert) *alterius Concilij ſpeciem præſeferret; magnum timorem incuteret: cum; ſi quid concordatum eſſet, non appareret quanam ratione per Concilium poſtea reijci poſſet; &, ſi reciperetur, viſum eſſet, Concilium aliunde leges recipere, & quoquomodo, Colloquium illud apertum, cum Miniſtrorum Cæſaris interuentu, non ſine Concilij, Pontificiſq; dedecore eſſet.:* & hæc eius tergiuerſationis cauſa tunc erat, quæ eò magis illo tempore neceſſaria erat, quòd ſpes eſſet, vt Proteſtantes, eo Cõuentu diſſoluto, ſe Concilio ſubijcerent (qui erat Pontificis ſcopus, vt ſupra ex Authore probauimus.) Cum Colloquio diſſoluto, nullum amplius Hæreticis ſubterfugium reliquum fuiſſet.

Sed, præter id, quàm malignè Legatos de cunctatione inſimulet, ex pluribus patet.

Primùm, quòd tribus paginis antè, nempè pag. 139. dixerit, Legatos, *ſcribendo Pontifici, præcæteris perpendiſſe è re Sedis Apoſtolicæ, non eſſe Synodum protrahi, ſi contrahi poſſet:* & pag. 113. retulit, Pontificis axioma fuiſſe *permittendum nullo pacto eſſe, Patres ocioſos in Synodo reſidere; nec ab ea diſiunctione recedendum eſſe, vt Synodus celebretur, ſi poſſit, ſin minus deſtinatur, aut ſuſpendatur;* Legatiſque inſuper admonitionem dediſſe pag. 159. vt à *nimia æquè celeritate, ac tarditate cauerent.*

Vt etiam patet, cum, præter hæc, Legati poſtulata Cæſaris reiecerint, qui eo tempore pro dilatione inſtabat, vt ait 161. & 162. *progreſſumque Cõcilij non requirebat*, vt 140. & 148. perhibuit. Et

Digitized by Google

Et quia inſuper pag. 163. ad temporis iacturam vitandam, *Theologorum, aliorumque Doctorum ſententias in priuatis congreſſibus prolatas in Congregatione generali ſummatim recenſeri mandauerint.*

Præterea, qua veritate dici poteſt, Legatos ob difficultates gauiſos fuiſſe, eiſque fomitem præbuiſſe, ſi immò è contra ex authore ipſo liquet, Legatos difficultates potius pro viribus vitaſſe, reſque arduas implicataſque faciles, explicataſq, reddidiſſe? Inſtantibus enim Gallis pag. 135., vt in decreto hortatorio ad præces pro Pontifice, Imperatore, ac Regibus, mentio Chriſtianiſſimi nominatim fieret (quæ res Synodum inexplicabilibus proculdubiò difficultatibus, ob contentiones de præheminentia, inter Principes, inuoluiſſet) Legatos, id perpendentes, à re diuertiſſe, recenſet.

Et, cum Orator Cæſaris ſedere ſub Legatis immediatè obtenderet, non ſolùm à re diuerterunt, ſed huiuſmodi difficultatibus infuturum, etiam occurrentes, decerni authores fuerunt, pag. 136. *vt ſi contigiſſet, aliquem, durante Concilio, in loco debito non ſedere, nullum propterea præiudicium factum, aut ius nouum nemini acquiſitum, intelligeretur.*

Cumque, ob multas Patrum diſſenſiones, periculum eſſet, ne res tempore ſeſſionis indeciſæ eſſent, Legati itidem pag 157., ad impedimentum illud remouendũ, non nulla in aliam ſeſſionem reiecerunt.

Et quibus nam etiam difficultatibus, ob diſſenſiones de Conceptione Beatæ Virginis, inter Dominicanos, & Franciſcanos ortas, Synodus iactata eſſet; ni per Legatos opportunè (vt ait 170., & 233.) prouiſum fuiſſet?

Qui etiam eodem tempore, cùm maximæ inter Theologos contentiones vigerẽt, & nouis inſuper quotidiè implicarentur, *cum eorum Ordinum Generalibus* (ex relatione Polani 175.) *egerunt, vt de difficultatibus euitandis, deque Synodi expeditioni conſulendo, cum eis agerent.*

Quem-

Quemadmodum, & grauiſſimas diſſenſiones inter Epiſcopos, & Regulares, ob lectiones, & Conciones, quibus maximè Synodus iactabatur, pariter ſedaſſe commemorat, & ad difficultates inter Regulares ortas ſopiendas, Sanctacrucium in formatione decretorum pag. 210. & in formandis Anathematiſmatibus, & capitibus ad explicandam doctrinam pag. 243. non alia de cauſa, maximè laboraſſe referat, quàm vt occaſionem iterum in quæſtiones incidendi tolleret.

Et quorſum nam etiam illæ dicendi formulæ per Legatos præſcriptæ tendebant, niſi vt breuitati conſulerent?

Vnde, licet (vt ſubdit) *Theologorum contentiones, ex immodico eorum ad propriam ſectam affectu ortæ fuiſſent*, malignè tamen ſubiungit, *fomitem eis ab Aulicis, ad Synodum ſeparandam, reformationemq; vitandam datum fuiſſe.*

Ad quorum omnium demum confirmationem poſtea refert 269. Cardinalem à Monte Bononiæ in Congregatione dixiſſe, *eis dum Tridenti eſſent, cum crederent decretum Iuſtificationis quindecim dierum ſpatio expediri poſſe; ſeptem perpetuis in eo menſibus laborandum fuiſſe binas etiam in die ſæpè ſæpius Congregationes habendo.* Nam, hoc poſito, non ergo Legati ſtudioſè rem protrahebant, diſſenſionibuſque fomitem præbebant.

HISTORIA.

OCtauo Ait pag. 149. Romæ Epiſcopum Bitontinum, ob penſiones non ſolutas, Cenſuris vrgebant.

Quæ ſunt eius commenta, quò ea de re obloqueretur, vt patet, non tam ex iis, quæ alibi ſupra de hoc Bitontini facto diximus, quàm, quòd Legatis de ſolius Bitontini ſatisfactione, cum Pontifice agere pollicitantibus: (vt ſubdit) *motum ſedatum fuiſſe dicat*. Si namque *Prælati omnes indigui* (nempè Itali omnes, quos indiguos appellat pag. 296.) *tanquam in cauſa communi reclamarunt*; an ſolius Bitontini ſatisfactione ſedari vnquam motus potuiſſet, quando omnes eadem ſubuentione pariter indigerent?

HISTO-

HISTORIA

NONO Pag. 174. Prelatos Tridentinos, vt rerũ Theologicarum ignaros redarguit.

CONFVTATIO.

LIcèt poſtea de eis in cõtrarium affirmet, dicens pag. 162, & 164. Prælatos omnes acerrimè contendiſſe, *vt docẽdi, & concionandi facultate Regularibus omninò adẽpta, ea ſibi per ſe ipſos integrè exercenda reſtitueretur*, & dicat inſuper pag. 200. *ſolam controuerſiam certitudinis gratiæ diſputantes, multis diebus exercuiſſe, pertinaceſq; reddidiſſe, &, non tàm Theologos, quàm Prælatos etiam diuiſiſſe*, perhibeat; immò addat pag. 202. (in eadem queſtione gratiæ) *credi nullo modo poſſe*, niſi ab eis, qui memorias vidiſſent, per eos ſcriptas, qui in illis diſputationibus partem habuerũt, & quas typis ediderunt, quàm articulus ille, & quanta animi contentione, non tam à Theologis, quàm ab Epiſcopis etiam ipſis agitatus eſſet, cum omnes, & eam materiam intelligere, & à veritate ſtare, ſibi certò perſuaderent. Et cum de ea queſtione, vt potè ambigua, longa, & moleſta, omittenda his in Cõgregatione Prælatorum propoſitum eſſet, nihilominus in eam affectu *impellebantur*, cum alijs pluribus, quibus oſtendit è contra Prælatos in re Theologica, ac Scholaſtica peritos, inſtructoſque fuiſſe.

HISTORIA.

DEcimo. Ait Pag. 199. Legatos ex mente Pontificis tempus protraxiſſe.

CONFVTATIO

QVod, non ex mente Pontificis, faciebant, vt malignè inquit; ſed quia id Cæſar requiſiuiſſet, ob ea quæ paulò antè dixit pag. 197. nempè quia cum Proteſtantes ad Concilium cogere intenderet, illos expectari inſtabat.

Pag. 227. hic loquitur de Reſidentia Epiſcoporum, de qua infrà in tertia Synodi reductione dicemus.

HISTORIA.

VNdecimo. Inquit pag. 249. Quæ ad rem affereban- tur, vel diſſimulabantur ab eis, qui Actioni præe- rant; vel contentionibus obſcurabantur.

CONFVTATIO.

QVamuis in contrarium dicat pag. 227. Legatos, ad res optimè perſpiciendas, non ſolùm *formulas de ſcripto dari mandaſſe*, ſed inſuper referat pag. 202 *Sanctacrucium operam frequenter dediſſe, vt ad alia tranſitus fieret, finemque illi controuerſię, ab ea diuertendo, imponere cupijſſe, & cum bis eam queſtionem, vti ambiguam longam, atq; moleſtam, omittere in Congregatione Pręlatorum propoſitum eſſet, in eamque nihilominus affectu impulſi, redirent; tandem Cardinalem, oſtendendo ſatis dictum fuiſſe, & dicta melius perpendenda eſſe, quò de eis maturius decernerent, obtinuiſſe, vt de operibus pręparatorijs, deque legis obſeruantia verba fierent:* Addens, eundem Sanctacrucium, cum de his, & alijs decreta poſtmodum formarentur, totum in eo fuiſſe, vt res elucidando, diſcordias, differentiaſque componeret, præciſis verbis referens 210. *Sanctacrucium ſuprà, quàm credibile eſt, ad ea decreta formanda laboraſſe, euitando, quoad eius fieri potuit, ne quid in eis inter ſcholaſticos controuerſum insereretur, quaque non potuit, omittere ſic attingendo, vt ſatis cuique fieret, in qualibet Congregatione, quæ ab aliquo improbarentur animaduertebat, eaq; expungebat, vel ex monitu caſtigabat, & non ſolùm in Congregationibus, ſed cum vnoquoque ſeorſum congrediebatur, omnium dubitationes intelligendo, ſententiaſque requirendo, materiam alio, atque alio ordine digeſſit, interdum hanc nonnunquam illam partem, mutauit, atque ad formam, in qua extant redegit, quæ omnibus placuit, cunctorumque calculis approbata fuit* &c. Vnde concludit, *Cardinalē etiā in contrarijs opinionibus pertinacibus ſatisfeciſſe.*

Et cum, prærerid, Legati in Congregationibus, vbi res decernebatur, non ferrent ſuffragium, *& ſuffragia*,

poſt diſceptationem (vt ſubijcit) *numerari neceſſe eſſet*. Ex ſe etiam aperit, an res allatæ per eos, qui actioni præerant, diſſimularentur, vel contentionibus obſcurarentur.

HISTORIA.

DVodecimo ait pag. 251. Legati ſcripſerunt Pontifici, enixuros ſe, nè in diſputationibus ſuccumberent, ſed tandem, poſt diſputationes, non cedentibus aduerſarijs, rem pluralitate, aut paucitate ſuffragiorum, (quæ in deliberationibus non ponderentur, ſed numerentur.) decernendam eſſe: cumque non temerè eius euentus alea ſubeunda videatur, neceſſe foret, quò in die ſeſſionis de victoria certi eſſent, eis, qui Venetias, eo obtentu petierant, vt principium Quadrageſimæ in ſuis Eccleſijs facerent, ſed intentione forſan am pliùs non redeundi, illico diſtrictè præcipere, vt nulla replicatione interpoſita, redirent; quòd totius reformationis ſumma, in ea præſertim parte, quæ inter Pontificem, Epiſcopoſque vertitur, ex ſequentis ſeſſionis deliberatione pendeat, ex eiuſque euentu, ſeditioſos, vel in futurum inſiſtendi, vel cedendi animos ſumpturos eſſe.

Legatoſque pag. 255. certos factos fuiſſe, Prælatos Venetijs agentes, antè exitum februarij ad futuros, aliorumque animis exploratis, eos partibus Pontificijs adhærentes inuentos eſſe ſpeque confirmatis, alijſque eadem eſca illectis (nempè Pontificem cuiq; ex merito reſponſurum fore) decretum quindecim capitibus formari iuſſiſſe, atque in Congregatione propoſuiſſe.

Tandem concludens pag. 257. Maiorem numerum decreta, vti propoſita erant, partim propenſione erga res Romanas; partim officijs inductos probaſſe, & quia nonnullis etiam probis fides facta eſſet, Pontificem illis, alijſque multis incommodis ſuo diplomate occurſurum eſſe: cum ob eius Sanctæ Sedis dignitatem, æquum eſſet hæc ab eo emanare, ne legem inuitus accipere à Cōcilio videretur, & hos ſimul iunctos, ad tres è quatuor partibus aſcendiſſe.

CON-

CONFVTATIO.

QVod mendaciũ facilè corruit. Primùm quia tribus non amplius paginis ante (nempè pag. 254.) enucleatiſſimis verbis dixerit, *omnes eo tẽpore magnitudinis Pontificia emulatores fuiſſe, in idque intendebant, vt authoritatem Pontificis reformationibus coarctarent, propriamque amplificarent: cunctoſque in tractatione reformationis* (quam Sanctitati Suæ permittere ſpem fecerant) *Pontificem paruipendiſſe*; Nam quo pacto ergo nunc ait, *eos propenſione erga res Romanas* eodemmet tempore motos fuiſſe? Et mendacium eò magis impudens eſt, quòd perhibuerit, inſuper, *omnes ad vnum, neminè* prorſus excepto res Romanas eo tempore perpetuò acriter oppugnaſſe, vt in primo libro ex auctore docuimus.

II. Corruit, quia dixerit pag. 249. Prælatos Hiſpanos, cum alijs, qui eos ſequebantur (quos pag. 255. *Prælatos coniunctos* vocat) numro *viginti* fuiſſe, qui à Legatis, & Põtifice non erãt, (vt dicta pag. 255.) quonam pacto *tres partes* exiſtentium in Concilio à Pontifice eſſe poterant, cũ 60. tantummodo Prælatos eo tempore Tridenti fuiſſe referat pag. 258? Viginti enim è ſexaginta demptis, tres partes indubitanter cum Pontificijs eſſe proculdubiò non poterant.

III. Corruit mendacium, quia ſi deliberationes à diſputationibus pendebant, in quibus (vt legatos formiter ſcripſiſſe ſupponit) *ſuffragiorum tandem numero decernebatur*; vtique Prælatorum præſentia, non in die ſeſſionis (vt ait) ſed in Congregationibus neceſſaria fuiſset. Siquidem ſeſſio, vt refert 133. pura cęremonia erat, quòd in ea res iam ſtatutæ afferrentur. Nam quorſum ergo Prælatos, qui ſe Venetias contulerant, in diem ſeſſionis vrgere?

Et impoſtura eò magis ridicula eſt, quòd Legatos illicò, nullo interpoſito ſpacio, materias eas in Congregationibus diſcutiendas propoſuiſſe ſubijciat, pro qui-

bus eorum præſentiam, ac ſuffragia deſideraſſe ſupponit: & Pontifex ſignificando Legatis pag. 253. ſe Venetias ad eoſdem Epiſcopos ſcripſiſſe; vt redirent, eis nihilominus ſeſſionem Statuto tempore habere vnà pariter præceperit, cum immò è contra, quò tempeſtiuè in Congregationibus vſui eſſe poſſent, debuiſſet potius, & Congregationes, & ſeſſionem in longius differre.

IV. Et corruit etiam mendacium, quia nec conſonat, Legatos tot ad ſuas partes traduxiſſe, cum, propoſitis poſtea decretis, *maiores quàm antea difficultates fuiſſe* perhibeat eadem pag. 255.

Nec itidem verum ſit, Prælatos, Venetijs agentes Tridentum rediiſſe, cum multos ex eis Concilio intereſſe conſuetos, in ſuis Eccleſijs ob feſta Paſchalia occupatos fuiſſe, poſtea referat pag. 266. Venetias enim illos iuiſſe dixit, vt ſe ad ſuas Eccleſias transferrent.

8. *Ad Concilium Bononiam transferendum Pontificiorum machinatio.*

HISTORIA.

PAg. 260. Retulit ſupra pag. 253. Pontificem grauiſſimis eis de cauſis, quas ibidem recenſet, ſibi à Synodo cauendum ſtatuiſſe, & cum de illa abſoluenda, ob rerum adhuc agendarum multiplicitatem, cogitari non poſſet, nec ſuſpenſionem probaret; tandem eam in aliquem liberæ ſuæ Iurisdictionis locum transferre, cogitaſſe; Bononiamque elegiſſe; in ea tamen executione ſeipſum abſcondere, Legatorumq; perſonam ſubijcere decreuiſſe, qui auctoritate facultatis ſibi conceſſæ ex diplomate dato 22. Februarij, & Menſe Auguſto 1545. miſſo, id ex ſeipſis implerent. Nam ſi quid contrà accidiſſet, in eoſdem Legatos reijci poſſet, & quod feciſſent ipſe, vti non author, facilius tueri: vel, ſi ab ea deliberatione recedendum forſitan eſſet, maiori dignitate fieret, eaque deliberatione facta, quendam familiarem Cardinalis à Monte Tridentum cum literis ad Legatos miſiſſe,

ſiſſe, qui vtrique mandata exponeret, ei tamen precipiendo, ne illuc antè ſeſſionis tempus accederet, eoſque excommentitia aliqua, aut vera cauſa, Concilium Bononiam transferre mandaret; adeò tamen raptim, exequendo, vt nullum omninò impedimentum interponi poſſet. Quibus expoſitis, addit 260. Miſſum Pontificis, ſeſſione peracta, cum ipſis quin etiam Legatis occultus manſiſſet, iuſſa Pontificis aperuiſſe: nec Tridenti moratum, ſe Oenipontem illico recepiſſe, Legatoque Sanctacrucio conſternato, Montem intrepidum dixiſſe, ſe, cum ſapientiſſimum ſemper Pontificem agnouiſſet, in eo iudicij culmen illo potiſſimum tempore perſpexiſſe: ita exequendum eſſe, ſi authoritatem Sedis Apoſtolicæ conſeruatam velint, eiuſque Sanctitati, fide, ſilentio, ſedulitateque obtemperandum: cumque peropportunè multi è Prælatorum familiaribus, vel bacchanalium intemperantia; vel humidioris cœli grauitate tunc temporis ægrotarent, Montius quoſdam è ſuis ſubmiſit, qui, an ex eis morbis periculum eſſet, à Medicis exquirerent; qui, cum in prognoſticis rem ſemper grauiorem faciant, quia periti ex præuidentia, ſi eueniat, & eò magis ni eueniat habeantur, quòd eis mederi, aut ea præuidere ſciuerint, verbum aliquod ambiguum protulerunt, quod ſtudioſè diſſeminatum, à leuioribuſque exceptum, apud mediocres, & qui diſcedere cupientes, id verum eſſe optabant, fidem inuenit, & commodum, eis diebus, poſt ſeſſionem, Epiſcopus quidam obierat, qui totius Concilij parentalibus funeratus, rem admodum conſpicuã fecerat. Quarè peſtiferi morbi fama, iam, & Vrbem totam, & vicina loca impleuerat: Legatique diſſimulantes intereà, ſe nullam in euulgato rumore partem habere, ſequenti à ſeſſione die Congregationem generalem habuerunt, vt de Euchariſtiæ Sacramento diſcutiendo diſponerent, eaque hebdomada Theologorum Congregationibus principiũ dederunt: & poſtquàm fama è ſententia percrebuit, Cardinalis

dinalis à Monte mandauit Herculi Seuerolo procuratori Synodi de morbo cognoſcere, remq;in acta redigere: examinatoſq; ideò Medicos, & inter cæteros Hieronymum Fracaſtorium, Medicum Concilij, alioſque fuiſſe, & ex relatione exploratum iam adiacentia loca Vrbi cõmercium interdicere decreuiſſe, ex quo motu multi è Prælatis timore, vel inde quoquo modo abeundi voluntate, diſcedendi facultatem petierunt, nonnulliſque à Monte datam eſſe, vt inter cauſas Prælatorum diſceſſus adnumerari poſſet; cum alijs magis ſibi iunctis manere ſuaſiſſet, in ſe ipſo quidem, ne in propoſitione translationis Concilij facienda adherentibus penitus deſtitueretur, in ſpecie verò; ne aſſenſum diſſolutioni præbere oſtenderet: ideoq; in Congregationibus, quò de remedio conſuleretur, per eos proteſtandum eſſe dixiſſe, proceſſumq; ad diem vſque octauam proſecutos eſſe: quando Nuncius, verus an fictus allatus eſt, Veronam de commercio ſuſpendendo cogitare, quo omnes turbati ſunt, cum eos caueri mancipare eſſet.

Quarè hac de re die nona Congregatio generalis habita eſt, in qua proceſſus lectus fuit, ac propoſitum, quonam remedio conſuli poſſet, ne vnà cum morbo, commeatu, alijſque neceſſarijs deſtituti domi occluderentur, &c. Montiuſq; Concilij translationem propoſuit; ſibiq; ad id iam à principio facultatem Apoſtolicã eſſe dixit, ac diploma Pontificis tribus Legatis Montio, Sanctacrucio, ac Polo directum perlegi mandauit; in quo duobus eorum; tertio abſente, Concilium in aliam Ciuitatem transferendi, ac ſub cenſuris, pæniſque Prælatis iubendi, ne vlterius Tridenti Concilium, ſed in Ciuitate, in quã transferri contingat, proſequantur, in eamque; Prelatos, aliaſque Concilij Tridentini perſonas; ſub pæna periurij, alijſque literarum conuocationis cænſuris, conuocandi poteſtatem tribuit, cum ipſe omnia ab eis gerenda rata habiturus ſit: & à Prælatis Cæſareis illico reſponſum,

ſum, malum,ac pericula non tanti momenti eſſe, dumq; ea euanuiſſet opinio, meticuloſos poſſe dimitti &c. Cæſareoſque Congregatione digreſſos, communicatiſque inuicem conſilijs, quæ non admodùm noſcere curaſſent, ſedula inueſtigatione quærere cœpiſſe, ac non morbum, ſed prætextum eſſe ſubodoraſſe.

CONFVTATIO.

O Infelix aſtutia? Tantum ne Polane deſeris lucem conſilij, & in profunda verſutia demergeris, vt dicas, Legatos Tridentò diſcedere volentes, peſtiferi morbi famam priùs, & per Vrbem, & per loca vicina vulgari mandaſſe? Qui enim, ea fama vagante, per ſua loca eis tranſitum permiſſurus fuiſſet?

Præſertim, quòd iam per octo dies vulgata, tranſitus omnes occludendi tempus dediſſent?

Quid inſulſius, quid lenius, quid nugacius Polane? Sed vt appareat, quanta hæc oſcitatione confinxerit, ex alijs etiam inſulſiſſimi impoſturis conuinctū detegemus.

Conuincitur enim primùm auctoritate Varghij, & Velaſchij Oratorum Cœſaris, qui in ſuis proteſtationibus aduerſus eandem translationem quas recenſet pag. 275. & 277. apertiſſimis verbis perhibuerunt, *eam translationem inſcio Pontifice factam fuiſſe* (quod Author non recenſere non potuit, cum earum proteſtationum exēpla non deſint) Cum dicti enim Oratores in eis proteſtationibus à nulla in Pontificem offenſione abſtinuerint, vt in eiſdem videre eſt, an non eò magis id obiecìſſent, cum translationem aduerſus Pontificem ipſum oppugnarent?

Idque etiam perſpectum facit, quòd dicat tres è quatuor Prælatorum partibus tunc temporis à Pōtifice fuiſſe, vt pag. paulò ante notata 257. cū (hoc poſito) è re Pōtificis non eſſet, Cōcilium eò tempore interturbari, quo numero præpollebat, ac proinde res Romana in tuto erat.

Et eò magis ex ipſiuſmet facti ſerie. Cum enim dicat, *Miſſum Pontificis, ſeſſione peracta, comparuiſſe, peſtiferique*

morbi

morbi famam per totam Vrbem, atque adiacentia loca euulgatam eſſe, Legatoſque ſimulantes, ſe nullā in fama iam euulgata partem habere, ſequenti die Congregationem generalem habuiſſe; qui impoſturam non manu tangat? Siquidem in paruulis horis (hoc eſt in eo temporis ſpatio, quod poſt ſeſſionem, ad illius diei veſperam reliquum erat) tot eas machinationes, quas fuſiſſimè retulit, factas fuiſſe ſupponit. Quod omnino impoſſibile eſt. Vti enim dixit, poſt ſeſſionem (quæ ob pluralitatem, prolixitatemque materiarum, cæremonialſque, ad meridiem vſque indubitanter protrahi debuit) *Miſſus Pontificis comparuit, Sanctitatis eius literas reddidit, eius mandata coram expoſuit: Legati, quid agendum eſſet, inter ſe diſſeruerunt: poſt diſceptationem facto opus eſſet, & qua ratione executioni demandandum conſuluerunt: Montius, poſt hæc, nonnullos è ſuis familiaribus vocauit: Medicos quærere, ab eiſq. ſciſcitari iniunxit, an morbi genus peſtiferum eſſet. eos ire, quærere, plures adire, colloqui, ſciſcitari, redire, ac referre opus fuit; ac demum famam, non ſolùm per totam Vrbem, ſed per Oppida, & loca Vrbi adiacentia* euulgari curaſſe, & reliqua feciſſe, quæ addit: quæ omnia an in paruulis illis horis, quę à meridie poſt ſeſſionem, vſque ad veſperam fieri potuerint, quiſque facilè perpendere poteſt.

Præter hæc, non negat Auctor, *Morbos reuera Tridenti fuiſſe, nec funera diffitetur: fatetur etiam plures medicos pluresq; alios conteſtes*, qui de peſtiferæ luis periculo depoſuerunt, quos ex ipſa narratione facti, non præmonitos, aut antè inſtructos fuiſſe, aut inſtrui potuiſſe perſpectiſſimum facit, Et licèt eorum fidem infirmare velit, *ex quo Medici morbos* (vt ait) *grauiores in prognoſticis facere conſueſcant*; tamen id eo tempore, & in eo loco, non prius conſultis, aut monitis Legatis facere auſos fuiſſe, nullo modo credibile eſt. Aliud ſiquidem erat, morbos grauiores facere, vt ſe doctiores oſtenderent, aliud *morbum pro morbo, vel pro morbo peſtem aſſignare*. At enim, re poſteà

ſtea comperta, ab omni prorſus exiſtimatione excidiſſent, eoque certius, vbi de lue peſtifera ageretur. Cum namque inde, ob inhibitionem commercij, Legatis Apoſtolicis, Oratoribus Principum, tot Prælatis, ac Theologis, totique Vrbi, ac populo Tridentino calamitas certiſſima immineret; vtique impunè per eos fieri non potuiſſet, & ſi vnus forſan è Medicis in errorem lapſus eſſet, id non facilè de alijs omnibus probabile eſt, ni re vera lues peſtifera, aut res ſimillima peſti fuiſſet: minuſque credibile videatur, eos ad peritiæ famam captandam, id verbis, etiam ambiguis, innuere auſos eſſe; cum enim Legatos mentem Pontificis, propriumque ſcopum omnibus omninò occuluiſſe ſupponat; an Medici eiſdem inconſultis Legatis, totam Vrbem in certiſſimo periculo conieciſſent, ne vti peſte infecti, ibidem, ſine commeatu includerentur?

Et licèt eoſdem Cæſareos morbum, & pericula non adeo grauia eſſe dixiſſe referat, tamen ea faſſos fuiſſe nõ negat. Quamuis ſubdens, eos nullam ea de re notitiam habuiſſe; quandoquidem ea noſcere neglexiſſent, ſapientiſſimos viros dupliciter delirantes faciat, & dum illos eius rei aſſertores inducit, quam ſe ignorare eodemmet tempore profitebantur, & dum eoſdem ad Congregationem, rem oppugnaturos acceſſiſſe dicit, quam noſcere neglexiſſent. Nam Congregationem illam ad id ſolùm indictam fuiſſe retulit.

Sed Auctor, non ſolùm in rebus occultis (quod facile eſt) fallere nititur, ſed in eis inſuper, quæ toto Tridentino conſenſu ſpectante facta fuerunt, cum ſuffragijs ea de re in Congregatione redditis, *quinque* ſuperaddat. Dicens enim pag. 262. decreto tranſlationis ex Epiſcopis 35. treſque Ordinum Generales aſſenſum præbuiſſe, Cardinalem verò Paceccum, alioſque 17. Epiſcopos obſtitiſſe, quinquaginta tres Epiſcopos cum Cardinali Pacecco numerat. Sed cum in ſeſſione octo antè diebus habita,

60. Epiſcopos numeraſſet, & ex eis *vndecim* poſt ſeſſionem, ante dictam Congregationem diſceſſiſſe, *vnum* obijſſe narrauerit, nec alios acceſſiſſe dixerit, proculdubio nonniſi duo de quinquaginta, vel vndequinquaginta ad ſummùm ſuffragari potuerunt, ſi mortuum, tempore ſeſſionis, vti forſan tunc temporis ægrotantem, non adfuiſſe contendat. Generales enim Ordinum inter Epiſcopos non numerantur. Quod forſitan commentus eſt Author, vt repugnantium numerum amplificaret.

Et tametſi ex his impoſtura ſit adeo clara, vt de ea ambigi non poſſit; ea tamen, quæ adijcit ad cumulum, perpendemus, vt melius appareat. Primùm enim ea, quæ aſſeuerantiſſimè dixit, poſtmodum reuocat indubiũ, ſubdens pag. 263. Neminem tamen adeò rudem fuiſſe, quin perſpiceret id de mandato Pontificis factum fuiſſe, cum nihil, vel etiam minimum in Synodo, niſi eo mandante fieret. Cum enim ea de re bis in hebdomada literæ tranſmitterentur, credendum non erat, Legatos, proprio marte rem tanti ponderis ſtatuiſſe, præſertim cũ Legatos tot homines in eam Ciuitatem Pontifici ſuſpectam introducere nunquam, ipſo Pontifice inſcio, auſuros fore viderentur: & facultas illa Synodi ad quamcũque Ciuitatem transferendæ, attenta ſuſpicione in animo ſemper Pontifici fixa, à Paulo in ea conuocatione ſtudioſius, quàm vnquam declarata, ne in Ciuitate ſibi non fida Synodus celebretur, nimis ampla, atque inueriſimilis videretur. Quare credendum non erat, eum in rem tanti momenti, alieno ſe arbitrio, citra neceſſitatem, ſubijcere voluiſſe.

Ex quibus non tam ea, quæ vti certiſſima poſuit, vt incerta reuocat indubium, quàm ſuam ſimul inconſtantiam prodit. At enim, quod pertinet ad locum, cum *omnes* (vt ait) à Germania abhorrerent, & in aliorum Principum ditione, abſque præcedenti tractatione Concilium haberi impoſſibile eſſet; non alibi etiam quàm

in

in ditionem Pontificis transferri proculdubiò poterat, vti animaduerſum fuiſſe dixit pag. 262. Et Bononia pluries iā pro celebratione exhibita fuerat, vt Auctor recenſuit. Et, cum Paulus III. iam, præter Vicentiam, Mantuam, & Tridentum Venetis, Duci Mantuæ, ac Cæſari ſubiectas elegiſſet, locumque pluries, vt rem gratam Germaniæ Principibus faceret, mutaſſet (vt ex Thuano probauimus;) nulla etiam veritate ait, Pontificibus, ſed nominatim Paulo III. *in animo fixum fuiſſe, Synodum in Ciuitate ſibi non fida non celebrare.*

Et quod negocium etiam quinquaginta adſummùm Epiſcopi populoſiſſimæ Vrbi facere potuiſſent, in quam Pontifex tot ſcholarium cateruas quotidie, citrà vllam, nec etiam animaduerſionem confluere patitur?

Et cum vno è tribus Legatis abſente, aut impedito, cæteris Synodi transferendæ facultas eſſet, cur illam cōditionem, vt propheticam irridet, cum diploma illud non eo tempore, ſed ab actionis ſtatim initio factum fuiſſe dixerit pag. 108? Præſertim quòd ea clauſula, aut cautela in ſimilibus mandatis apponi de ſtylo ſoleat, vt ex eadem hiſtoria patet, vbi (ex relatione Authoris 310) in mandatis trium Oratorum quos Cœſar ad ſecundam Synodi reductionem miſit, omnibus, ac ſingulis inſolidum authoritatem itidem impertitur.

Addit verò euidentiſſimam ex illo diplomate Synodi ſubiectionem fuiſſe, cū duo ſoli Legati omnibus ſimul Patribus ſub pænis & Cenſuris Tridēto diſcedere iuſſiſſent.

Quaſi tritiſſimum non ſit, ad ſolum Summum Pontificem (cuius authoritate precipiebant) pertinere Concilia generalia congregare, eaque per conſequens ſuſpēdere, transferre, ac diſſoluere. Præcipuè cum translationem inſuper de *conſenſu & decreto Synodi, Patrumque* ſeù maioris partis fuiſſe perhibeat.

Quid quòd ſecreta Legatorum colloquia, immò verba, actus motus, muſſitationeſque ipſas, tàm adamuſſim

Digitized by Google

recenſeat, quæ inter ſe ſecretò, nullo alio præſente, & occultiſſimè agitaſſe ſuppoſuit? Vnde enim hæc ſciuit?

Sed, non ſolùm ſe in penetralibus Polanus inſinuat, ſed ipſa quin etiam cordium arcana ſcrutatur, quę Deo ſoli nota eſſe tantummodò poterant, dum ait 256. ſententiam quandam *ab omnibus eis ore comprobatam non fuiſſe qui eam ex conſcientia tenebant*. An enim in re turpi, vel etiã homines flagitioſiſſimi, ſua intima detexiſſent? Quo pacto ergò Polanus hæc intima cordium explorauit arcana? Et hæc de prima Synodi reductione ſub Paulo III.

SECVNDA SYNODI TRIDENTINÆ Reductio ſub Iulio III.

In ſecunda reductione ſub Iulio III. aduerſus Synodi translationem, & ea quę Bononiæ, ac Tridenti geſta ſunt, & in Pontificem obiectiones.

1. *Bononiæ nil de Reformatione actum fuiſſe.*

HISTORIA.

PAg. 269. Legati Bononiæ rem morabantur, ſeſſiones differendo, & aliquam interim Congregationem habebant, ne deſides eſſe viderentur: reformatio verò, profundo hoc tempore, ſilentio iacuit.

CONFVTATIO.

ET nihilòminus illico in contrarium aſſerit pag. 269. è *Bononia duas qualibet hebdomada, epiſtolas de rebus, quæ in Synodo agebantur, ſcriptas eo tempore fuiſſe, & tot iam res; tum fidei; tum reformationis diſcuſſas, vt ad longam ſeſſionem ſufficerent*, vt iterum, atque iterum ait, addens pag. 281. & 307. *Synodo ad Tridentum iterato coacta, cum adhuc Theologi abeſſent, res tantummodo Bononiæ digeſtæ legebantur, ad rerum tractandarum* deliberationes, ſed in materia præſertim reformationis, quæ maioris

ioris cenſebatur momenti, maturandas.

2. *Velaſchij Oratoris Catholici aduerſus Synodi tranſlationem proteſtatio; in Legatoſque expoſtulatio.*

HISTORIA

PAg.275. Velaſchius (Orator Regis Catholici) proteſtationem de ſcripto expoſuit, cuius ſumma erat, Cæſarem, cum iactaretur Religio, mores corrupti eſſent, & Germania ab Eccleſia ſeparata, Concilium à Leone, Adriano, Clemente, atque ab ipſo demum Paulo III. petijſſe, impedimentiſque, ac difficultatibus in eo cogendo recenſitis, res in Concilio actas attigit dicendo, Cæſarem eo tempore, bellum Religionis præſertim cauſa geſſiſſe, tranquillitatemque Germaniæ, non ſinè ingenti ſpe, propria virtute, reſtituiſſe, vt qui Concilium hucuſque reſpuiſſent, illud recepturi eſſent. Sed ipſos Reuerendiſſimos Legatos, præter omnium expectationem, leuiſſima, ſuppoſita, ac ficta cauſa, eodem tempore, inſcio Pontifice, translationem Concilij, nullo ad rem perpendendam temporis ſpatio permiſſo, Patribus propoſuiſſe: Et, cum Sancti aliquot Epiſopi, proteſtantes, ſe Tridenti remanere velle, obſtitiſſent; ipſos, ex ſolo paucorum Italorum conſenſu, translatione decreta, ſe Bononiam tranſtuliſſe. Cæſarem verò, poſt adeptam victoriam, multifariè Pontificem ſtimulaſſe, vt eos, Tridẽtum redigi iuberet, oſtendendo, quę pericula imminerẽt, ni Concilium in ea Vrbe perficeretur; interimq; operã in Comitis Auguſtanis dediſſe adhoc, vt Germani omnes ſeſe Concilio ſubijcerent, Cardinalemque Tridentinum ad id Suæ Beatitudini ſignificandum miſiſſe, depræcaturum, vt Concilium in Ciuitate Tridentina reſtitueret, ac ad ea iteranda officia, Romam itidem Mendozzium allegaſſe;

gaſſe; Pontificem tempus interpoſuiſſe, cum ipſis congregatis acturum. Qui, cum reſponſum vanum, captioſum, dolis plenum, ab eoq; damnari dignum dediſſent, illud tamen probaſſe, eidemque adhæſiſſe, Congregationem Bononienſem, quæ illegitima eſt, Concilij generalis nomine appellando, eamque illi authoritatem attribuendo, quam nec ipſa ſibi vnquã arrogare præſumpſiſſet. Certum eſſe, Concilium Tridenti congregatum, non niſi ex vrgenti neceſſitate, ſedula diſcuſſione, omniumq; communi conſenſione trasferri potuiſſe, & nihilominus ipſos aſſertos Legatos, alioſq; febribus quibuſdam acriſque infectionibus, quæ nec etiã vani timoris cauſas fuiſſe euentus ipſe docuit, Tridento præcipitantèr exceſſiſſe. Quod ſi id etiam neceſſitas requiſiuiſſet, cum Pontifice nihilominus, ac Cœſare, qui tutelam Conciliorum habet, prius agendum fuiſſet; ſed ob nimiam rei feſtinationem, nec ſecum ipſis quin etiam conſuluiſse. Oportuiſse, ex debito, eorum Patrum oppoſitionibus, ſententijſq; aures prebere, qui ex conſcientia loquebantur; eaſque expendere. Nam, & ſi numero inferiores, tamen, vti maioris ſapientiæ, præferendi erant. Quandò verò diſcedendum fuiſset, non ex ea regione abeundum fuiſse; ſed Sanctorum Conciliorũ inſiſtendo decretis, alius in Germania locus eligendus: nec defendi vllo modo poſse, exquo Bononiam Eccleſiæ ſubditam elegiſsent; quam Germanos, minimè adituros fore certum eſset, & quam quilibet multis de cauſis recuſare potuiſset, quod nihil aliud proculdubio fuerit, quàm Concilium ex improuiſò diſsoluere. Qua de cauſa Cęſarem, ad quem Eccleſiã defendere, & Concilia generalia tueri pertineat, ad Germanica componenda diſſidia, & Hiſpaniam, aliaque etiã eius Regna, ac ditiones, ad veram Chriſtianam vitam reducenda, cum perſpiceret diſceſſum è Tridento nulla ratione factum, ſuum propoſitum penitus perturbare, eoſdem aſſertos Legatos, cum alijs Epiſcopis, qui abijſſent,

ſent, Tridentum repetere flagitare; vt recuſare non poſſunt, cum id, peſtis ſuſpicionibus ceſſatis, facere promiſerint. Quod ſi fecerint, gratiſſimum toti populo Chriſtiano fore; ſin contra ipſos procuratores de ſpeciali Cœſaris mandato proteſtari, translationem, ſeù receſſum, cum omnibus, quæ ſecuta ſint, aut ſequuntur, nulla, atque illegitima eſſe, nec ipſorum aſſertorum Legatorum, Epiſcoporumque illic præſertim, veluti à Pontificis nutu pendentium, authoritatem eam eſſe, quæ in cauſa Religionis, morumque reformationis, legem toti Reipublicæ Chriſtianæ, illiſque potiſſimùm Prouincijs, quarum mores, & inſtituta minimè nouerint, dare poſſit; haud diſſimiliter proteſtando, reſponſionem Sanctitatis eius, ipſorumque congruam non eſſe, ſed illegitimam, dolis plenam, atque illuſoriam, & damna, tumultus, ruinas, & exterminia populorum, quæ inde orta ſunt, oriuntur, oririque poterunt; non Cœſari, ſed illi Congregationi imputanda eſſe, quàm Concilium appellant, cum ipſa legitimè, & canonicè remedium afferre poſſit. Itidem proteſtando, Cœſarem, eis, ac Pontifice deficientibus, aut negligentibus, Eccleſiæ protectionem, tutelamque ſibi, vti Imperatori, ac Regi, ex legibus, & Patrum, totiuſque Orbis conſenſione debitatam minimè deſerendo, totis ſuis viribus conſulturum eſſe. Subdens 277. Mendozzium coram Sanctiſſimomet, eandem proteſtationem emiſiſſe, in qua Pontificem negligentię inſuper arguerit.

CONFVTATIO.

Cvm ſuſpicio peſtiferæ luis, non ſolùm vehementiſſima, ſed legitimè inſuper probata eſſet (vt ſupra in notis ad pag. 260. docuimus:) nec tutum idcirco eſſet Tridenti, ſine commeatu includi, ab aliorumque locorum commercio arceri; an tempus erat, imminente vitæ pe-

tæ pe-

tæ periculo, rem cum Pontifice, ac Cœſare abſentibus conſulendi?

An verè Sancti, & ex conſcientia locuti, maioriſque ſapientiæ eſſent, qui, poſt ſuſpicionem legitimè probatam, maiori ſeſe parti obiecerunt, immò Synodo, & Legatis Apoſtolicis decernentibus, eiſque diſtrictè, & ſub cenſuris precipientibus, pertinaciter nihilominus obſtiterunt, idem Author, eorundemmet Cœſareorum ore aperit. Cum enim Abbas Belloſanna, nomine Regis Chriſtianiſſimi, proteſtaretur Tridenti, obijciendo Concilium illud generale dici non poſſe, quòd in eo Prælati Galliæ adeſſe nequiſſent, præciſis verbis ait pag. 213. eoſdem Cœſareos id vanum eſſe dixiſſe, affirmando '*actum maioris partis Vniuerſitatis ſemper legitimum reputari, quando minor vocata noluerit, aut nequiuerit adeſſe.* Ex quo etiam liquet, non modò, an Congregatio Bononienſis legitima, & Concilium generale eſſet; Sed, an reſponſum Bononienſium *vanum, captioſum, doliſque plenum fuerit*, vt etiam ex eis, quæ ſubijcientur patebit.

Teſtimonia medicorum ſtudioſè requiſita, dici non poterant; quandò Author idem apertiſſimè, in ea narratione, docuerit, Legatos, *nemini prorſus ſuam mentem aperuiſſe, aut eoſdem Medicos induxiſſe, aut ſubornaſſe*: nec *ficta* itidem eorum acteſtationes dici poterant, cum re ipſa teſtimonium perhibuiſſent in actis, vt docuit Polanus.

In Germaniam Synodum transferendam fuiſſe, obijci non poterat, cum locus tutus non eſſet, vt probabimus infra, & Germania adeo Gallis ſuſpecta, vt idem Author referat 296. *arduum viſum fuiſſe Regem Criſtianiſſimum ad Tridentum recipiendum, citra ſuſpicionem induci poſſe, quòd locus Cæſari ſubditus, eiuſque armis propinquus eſſet*; vt idem quoque Rex Galliæ dixit in ſua proteſtatione, quam pagin. 313. recenſet. Quodque id facere debuiſſent, ſanctorum Conciliorum decretis

inſi-

inſiſtendo, dicere itidem Velaſchus non poterat, cum Sanctorum Conciliorum decretis id ſtatutum fuiſſe nullibi conſtet: & alij Principes, nec etiam præcedenti tractatione, ſuas Ciuitates concedere voluiſſent, vt Mantuæ, & Vicentiæ documenta probarunt. Quarè non alibi locus, in repentino caſu patebat, quàm in ditione Pontificis, vt alibi etiam probabimus.

Legatos verò, ceſſante ſuſpicione peſtis, Concilium ad Tridentum reducere promiſiſſe, nullibi prorsùs apparet in narratione Polani. Nam licèt de hoc aliquod verbum factum eſſet, nil tamen determinatum fuit, vt videre eſt pag. 262.

Nec Legatos aſſertos vocare iure poterant, cum iam eos, vt veros, ac legitimos agnouiſſent.

Nec dicere Prælatos à nutu Legatorum dependiſſe, quando idem auctor è contra doceat in ſua narratione (vt iam probauimus) omnes ad vnum eis perpetuò aduerſos fuiſſe. Præſertim quia, cum referat 262. Epiſcopum Senogallienſem in translatione à Legatis diſſenſiſſe, oſtendat, Legatos, ſe in ea occaſione, nec cum ipſis, quin etiam Romanæ ditionis Epiſcopis aperuiſſe, remque, idcircò Patrum deliberationi penitus permiſiſſe.

Sed his etiam omnibus poſthabitis, cum eis potiſſimum temporibus, authoritas Apoſtolica in certiſſimo periculo eſſet, repræhendendi vtique non fuiſſent Pontifex, & Legati, ſi imminentia euitare quæſiuiſſent, cum tenerentur ex præcepto Chriſti, pro incolumitate capitis prudentes eſſe ſicut ſerpentes. Quàm verò res Eccleſiaſticæ tunc temporis periclitarentur, pluribus Auctor aperit. Nam pag. 253. ait, Pontificem *meditando, quę è Tridento, & Germania ab eius Nuncio ſignificabantur, magnoperè timuiſſe, ne quid monſtri Concilium in ſui, Authoritatiſq; Apoſtolicæ perniciem pareret: Et Cęſarem alijs de cauſis ſuſpectum haberet, fortuna eius proſperitate perſpecta, qua homines nullis limitibus cogitationes proprias coercere*

 inducit,

inducit: ac perpenderet, eum, ad gratiam ſibi Lutheranorum conciliandam, religionem eis conniuendo permittere, ac non minus Cæſaris, quàm Miniſtrorum, in reuocandis Italorum copijs, querimonias conſideraret; nempè, ſe ab eo in neceſſitate deſtitutum fuiſſe, & conſcius, eum ſeditionem Genuæ, Duci Placentiæ, tribuere, verebatur, eiuſque ad Nuncium verba præcipuè volutabat, neminem ſibi magis inimicum Pontifice eſſe, timebatque, ne abſoluta Germaniæ dominatione potius, eandem ſibi in Italia pararet, Conciliumque ad Pontificatum opprimendum adhiberet. Eum enim, ob incurabilem Regis Galliæ valetudinem, qua ad interitum properabat, rerum omninò arbitrum perſpiciebat; cum alijs, quæ addit. Quemadmodùm, & pag: 260. inquit, *Cardinalem à Monte in eo, quod ad tranſlationem Concilij pertinet, ita faciendum eſſe dixiſſe, ſi authoritatem Sedis Apoſtolicæ ſarctam tectam vellent: & iterum confirmaſſe* (cum Pontifex eſſet) pag. 249. *Paulum Concilum tranſtuliſſe, vt ſe, atque Apoſtolicam Sedem à periculis liberaret*: quæ iteratò replicat 297. & alibi.

Et, præter hæc, quàm Pontifici eo tempore cauendum eſſet à Cœſare, confirmat, cum, Petro Aloyſio Farneſio, Duce Placentiæ trucidato, & Placentia à Ferrando Gonzaghio Mediolani Gubernatore occupata, auctor Cœſarem, non modò earum rerum participem fuiſſe velit pag. 268; ſed inſuper addat 282. eundem Cœſarem *acres Pontifici literas miſiſſe, eum monendo, ne extorribus Neapolitanis fomitem daret, ſeque omnium eius machinationum conſcium eſſe, calumniaſque ab eo in ſe excitatas audiuiſſe, & dum ipſe ad Chriſtianos inuicem conciliandos, Concilium ad Tridentum flagitaret, ille ſchiſma moliretur; & quod attinet ad Placentiam, eam ad Ducatum Mediolani pertinere, perque Pontifices indebitè occupata eſſet*; addens 286. *eundem Cæſarem, cum etiam reformationem ordinis Eccleſiaſtici in Germania feciſſet, manum in diſpenſationibus, & exemptionibus Pontificijs, alijſq; Pontifici reſeruatis appoſuiſſe.*

Et,

Et, præter hæc, Concilium, non ſinè dedecore,& periculo, ad Tridentum reſtitui poſſet. Cum enim Legati illud in vim Bullæ Pontificis,& ex maioris partis deliberatione, legitimè tranſtuliſſent, & Cæſarei nihilominus obedire noluiſſent, actumque etiam, non modò *nullum*, ſed *illegitimum* inſuper eſſe contenderent, è dignitate, tam Eccleſiæ, quàm Concilij, ac Pontificis non erat, quæ à Synodo legitimè facta eſſent per paucos damnari, Sediſque Apoſtolicę, ac Synodi authoritatem contemni, nec Concilium Tridenti reſtitui, ni Patres, qui in ea Ciuitate contumaciter remanſerant, ſe priùs Bononiam transferendo, translationem, vti legitimè factam, approbaſſent.

Eoque magis, quia Cœſar Epiſcopis, qui remanſerant præcepiſſet, pag. 265. *ne Tridento diſcederent*: & pag. 269. voluerit, *Epiſcopos Germaniæ, literis minacibus Pontifici de Concilio ad Tridentum reſtituendo, ſcribere*: & Didacus Mendozza miniſtet Cœſareus pag. 271. diceret, *ſe in mandatis habere, ſi Pontifex dilationem, aut excuſationem interponeret, Synodum Bononienſem illegitimam eſſe, proteſtari*; Et per Velaſchum Oratorem ſuum, non ſolùm epiſtolas cõtumelioſè *Conuentui Patrum Bononiæ* inſcriptas reddi mandauerit pag. 274; eoſdemque Patres per eundem coràm redargui, quòd *non integra prudentia, ac maturitate deliberaſſent*; ſed voluit eam proteſtationem fieri contra eandem Synodum, quam recenſuimus. Nam vim Eccleſiæ libertati, tanta contumelia, & dedecore, inferri permittere æquum proculdubiò non erat.

Hiſque omnibus accedebant conditiones iniquiſſimę, prorſuſque intolerabiles, quas Proteſtantes eidem Cœſari in Comitijs Auguſtanis velle declarauerant, quas Auctor pag. 268. recenſet; nempè, inter cætera, *vt Pontifex, nec per ſe, nec per alios Concilio præſideret*: *Epiſcopos à vinculo Sacramenti, quo ei tenentur, abſolueret*: *Theologi Proteſtantes votum deciſiuum haberent, & decreta iàm facta*

iterum examinarentur. Cum circa hæc enim nulla prorſus per Cœſarem cum eis transactio facta fuiſſet; immò addat 287. eundem Cœſarem, *cum in animum induxiſſet Germaniam* (Religionis motibus ſedatis) *ſuis omnino imperijs obtemperaturam eſſe, quamcumque facilitatis propoſitionem amplexurum fuiſſe, quòd certus eſſet, ſe cuncta poſtea ex arbitrio moderaturum eſſe*, tutum non fuiſſet, Concilium, conditionibus priùs minime ſtatutis, in eam Vrbem reducere, in qua idemmet Cœſar, victor, armatus, ac Pontifici infenſiſſimus, iura dabat: & eo potiſſimum tempore, quo idemmet Cœſar (vt ſibi Proteſtantes conciliaret) *Religionem eis ex conniuentia*, permittebat: præſertim cum Italia (vt inquit 266.) ob recentem eiuſdem Cœſaris victoriam, *ipſius penitus ſubiaceret arbitrijs*: & *dignitas Pontificia adeò* (vt dixit Cardinalis Guiſius in Cōciſtorio pag. 272.) *contemneretur*; & idem Cæſar in libro, qui *Interim*, vocatus fuit, doctrinam in Synodo Tridentina ſtatutam euerti permiſiſſet. Nam (vt conſideratum fuiſſe inquit 284.) *aliam publicaſſe doctrinam, nihil aliud proculdubiò erat, quàm Concilium deſtruere, vafritiemque Cæſaris, tunc magis ſuſpectam eſſe debuiſſe, cum adeò de Synodo ad Tridentum reſtituenda, inſtaret, & vnà ſimul rebus in ea ſtatutis authoritatem omnem adimeret*.

Quibus per Authorem poſitis, facilè etiam perſpicitur, quàm iuſtus eſſet Pontificis timor, & quàm æquum Synodum Bononienſem recognoſci per eos, qui contumaciter Tridenti remanſerant, ac neceſſariū ſecuritati Concilij, indemnitatique religionis, ac Sedis Apoſtolicæ authoritati, ac dignitati conſuli; cum, his ſaluis, Pontifex Synodum reſtituere paratiſſimus ſemper fuerit, vt Author perhibet.

3. *Lega-*

3. *Legati inter ſe ſolos conſulentes deliberabant, Synodique poſtea nomine reſpondebant.*

HISTORIA.

PAg. 314. Prudentes dicebant, Regem Galliæ ex ſua proteſtatione Concilium illud plaga inſanabili vulneraſſe &c. & ad id comprobandum, eandem experientiam addebant. Cum enim Iacobus Amiotus Belozanus, Orator Regis Chriſtianiſſimi epiſtolas Regias Patribus Conuentus Tridentini in ſcriptis reddidiſſet, & Præſidentes ſecederent, cum Oratoribus Cæſaris conſulturi, dicebant id oſtendere, quinam Concilium dirigeret: & quod grauius eſt, promotorem, conſultatione inter eos quinque habita, nec alijs ea communicata, dixiſſe, Sanctam Synodum literas recepiſſe: & quænam illa Sancta Synodus erat? & ſimiliter Abbatis expoſitione lecta, reſponſum à ſolis Præſidentibus deliberatum eodẽ nomine datum fuiſſe. Nec difficultatem tolli, quòd haud magni momenti res eſſet &c. Et indè oſtendi, rem ea ratione, quam Pontifex in Bulla, & Præſidentes in ſermone dicant, adamuſſim fuiſſe, nempè Concilium per ipſos dirigi: & illud verè equidem dirigebant.

CONFVTATIO.

QVÆ omnia malignè obijci patet ex Thuano, Authore Gallo, & eius ferè temporis, cui proculdubiò in rebus ſui Regis maior fides habenda eſt, quam Polano, cum præciſis verbis dicat in ſuo lib. 8. *Galliæ Regis Orator aduenit Iacobus Amiotus Belozanus à Cardinale Turnonio, & Odetto Silua Regis apud Venetos Oratore miſſus cum literis Conuentui Tridentino inſcriptis, quibus Creſcentio redditis, & inſcriptione lecta, cum diſceptaretur,* cur

cur Conuentum potiùs quàm Concilium dixiſſet, ideoq; multi, ac præcipuè Hiſpani Epiſcopi eas non eſſe recipiendas, aut legendas contenderent, niſi mandatum ſe Belozanus demonſtraret, ille literis mandatum comprahendi reſpondit, continuòque Creſcentius conſurgit, & in templi Sacrarium Patres ſeuocat: Cum, re diſceptata, inſcriptionem in bonam partem accipi poſſe dicerent, & Creſcentius agrè à Collegbis, & circumſtantibus impetraſſet, vt Belozanus audiretur. Lectis igitur priuatim literis, quibus Rex dolorem iuſtum teſtabatur, & iniuriam ſibi factam ſignificabat, & fidem Legato ſuo haberi petebat, rurſus conſedere Patres, & palam recitatis literis, reſpondent: quòd Concilium Conuentus nomine deſignet. Rex, in bonam partem ſe accepiſſe &c.& recenſendo itidem reſponſum Belozanio factum, pari modo ait, *Audito Legato, Patres fore dicunt, vt in proximo conſeſſu reſpondeatur, dummodò Rex Concilium legitimè Tridenti conuocatum fuiſſe agnoſcat* &c. ſubditque poſteà, *Belozani Legati, vt par eſt, legatione, ac mox edicto Regio vltra modum offenſi Patres in III. eid. VIII. br. diſtulerunt, què intereà de re tota ad Pontificem perſcriberent, & eius voluntatem exquirerent, qua die cum non compareret Belozanus, Patres ſcriptum euulgant* &c.Et in hac eadem ſententia, ac verbis teſtatur ſupplementum ad Sabellicum, ex quibus cum certiſſimum ſit; tum deliberationes; tum reſponſiones integrè à Patribus emanaſſe, & ea ex ipſorum conſilio, & decreto facta fuiſſe, Authoris etiam falſitas, & impudentia, non tàm in hoc, quàm in alijs, quæ de his addit pag. 335. certiſſima eſt. Præſertim cum idem aſſumatur ex eiuſmet quoque verbis, dum ſubdit pag. 313. *Promotorem, proteſtatione lecta, cum Præſidens locutus eſſet, in ſumma reſpondiſſe, modeſtiam à Rege in ſuis literis adhibitam gratam Synodo eſſe, Abbatis perſonam, nonniſi quatenus legitima ſit, accepiſſe, eique vt ad vndecimam Octobris in eodem loco, reſponſum literis Regis faciendum accepturus, eſſet indicere, & ne præſentis actionis inſtrumentum, niſi vnà cum Secretario Conci-*

lij

lÿ faciant Nuncÿ prohibere, nam idem (velit, nolit) apertiſſimum facit. An enim Legatus, ac Nuncij Præſidentes (ſi proprio marte tantummodò reſpondiſſent) ſibimet ipſis prohibuiſſent, ne actionis inſtrumentum, niſi ſimul cum Secretario facerent?

4. In conſtruendo ſaluoconductо Proteſtantibus dando, Curialium vafrities.

HISTORIA

PAg. 321. Referens conſultationem Romæ habitam circa ſaluumconductum Proteſtantibus concedendum, ait ſtatutum fuiſſe illum ea forma concipere, quæ nullius, aut leuiſſimæ obligationis eſſet. Primùm Proteſtantes non nominando, ſed in genere Eccleſiaſticos, & Seculares cuiuſcunque cõditionis, Nationis Germanicę. Nam ita dici poterit, eos ſub verbis generalibus comprehendi, & defendi, etiam dicendo, non de ipſis, ſed de ſolis Catholicis intelligi, & ſpecificam, atq; expreſſam mentionem neceſſariam pro ipſis fuiſſe, Synodus poſteà ſaluum conductum in eo, quod ad ſe pertinet, concedet, & Pontificis authoritas reſeruabitur, ac præthereà decerni potuerunt Iudices culparum commiſſarum cognitores, & ne qua eis ſuſpicio detur, electionem eiſdem reſeruare, & vigor diſciplinæ, plectendique poteſtas retineretur.

CONFVTATIO.

QVæ quàm malignè immò, & inſulsè confinxerit, patet ex eis, quæ in eademmet conſultatione expreſſa fuiſſe refert. Etenim immediatè ante eadem met pag. dixit: *ex altera parte dictum fuiſſe, adhoc, vt omnis excuſationis locus Proteſtantibus adimeretur eis ſatis in omnibus faciendum eſſe, ſed eò magis, ex quo Cæſar, ſuarum*

rum rerum cauſa vehementiùs inſtitiſſet, eique annuendum ex neceſſitate fuiſſet, cum eo tempore, Christianiſſimo Rege à Pontifice abalienato, omninò à Cæſare dependendum eſſet, quodque ex neceſſitate faciendum ſit, ſatius foret præueniendo, ſponte exequi. His enim poſitis, quonam pacto de Proteſtantibus decipiendis cogitare: vel eas machinationes exequendi facultatem ſibi vnquam polliceri potuiſſent, ſi ſaluuſconductus ab Imperatore procurabatur, qui eoſdem Proteſtantes *rerum propriarum* (vt inquit) *intuitu*, ſuo patrocinio tutabatur? Ex quibus etiam patet, nonniſi malitiosè parimodo commentum eſſe Polanum, quæ hæreticos pag. 356. ſuſpicatos eſſe recenſet.

5. Germaniæ Prælati de Degradationum Legibus conquerentur.

HISTORIA.

PAg. 329. Prælati Germaniæ de degradationum legibus moderandis propoſuerunt, vtpotè, quæ cum intolerabiles factæ eſſent, multam in Germania querimoniæ occaſionem darent. Cum enim pura eſſent cæremonia, quæ iuſtitiam impedit, & moderationem vſq; de anno 1522. in trigeſimo primo capite Centum grauaminum petijſſent, cum in abuſu perſeueraretur, alij ſcandali, alijs verò detractionis materia eſt.

CONFVTATIO

QVid impudentius! Quo enim pacto Prælati Catholici Germani dicere potuiſſent, ſe in libro *centum grauaminum*, ea moderari potijſſe; ſi grauamina illa non ab eis, ſed à Proteſtantibus emanaſſe apertiſſimè dixit pag. 27?

6. Sedis

6. Sedis Apoſtolicę Conſeruatoria adherentium numero approbantur.

HISTORIA.

PAg. 345. Cum in Synodo ageretur de moderandis Conſeruatorijs (Vniuerſitatibus tamen Doctorum, aut Scholarium Collegijs, regularibus, & Xenodochijs exceptis:) & ſuper hac exceptione magna controuerſia eſſet, ait, Legatum id Romam nunciaſſe, vbi cum iam deciſum eſſet, ob id, quod ſub Paulo III. conſultum fuit, nempè neceſſe eſſe, ad authoritatem Apoſtolicam conſeruandam, Regulares, & Vniuerſitates penitus à Pontifice dependere, noua deliberatione opus non fuit; ſed immediatè reſponſum, vt ab horum omninò Conſeruatorijs abſtinerent. Quare cum in eam ſententiam Synodi Patres Pontifici adhærentes iuiſſent, alij (qui numero inferiores erant) aliquo officio, & aliqua ſpe, ad eos ſedandos, adhibitis, exceptionem approbare coacti fuerunt.

CONFVTATIO.

MEndacium itidem impudentiſſimum, vt oſtendat Pontificem ex adhærentibus præualuiſſe. Cum enim pag. 310. perhibuerit, Pontifici, in hac ſecunda reductione Concilij, *curæ non fuiſſe, vt Prælati ſe Tridentum conferrent, totamque operam Cæſaris fuiſſe, qui ſuos illuc impulit*: & immò, *præter hos, paucos alios interfuiſſe*, concludat, vt alibi ſupra notauimus; quonam pacto Põtifex *ex adhęrentibus* præualere potuit? De Regularium verò à Pontifice dependentia alibi ſatis diximus.

Digitized by Google

7. Circa Proteſtantium Oratores recipiendos, aliiſq; de rebus, Pontificis ad Legatos Inſtructio.

HISTORIA.

PAg. 348. Cum Legatus Romam ſcripſiſſet, Oratores Ducis Victembergici Tridentum acceſſiſſe, vt quà per eum ratione res agenda eſſet, admoneretur, præſertim, quòd alios quoque acceſſuros acceperit; Pontifex reſpondit, exiguam admodum inſtructionem ex ſe expectari poſſe, præter eam, quam accepiſſet, cum ipſe, non ſolùm in bulla Indictionis formanda, tractationum præteritarum conſcius, ſed præcipuus, immò author fuiſſet: ſibi reuocaret in mentem, res ſub Paulo ſtatutas in ea ſtudiosè approbatas fuiſſe, dictumque inſuper eſſe, non tam conuocare Concilia, quàm illa dirigere, eiſq; per ſuos miniſtros præſidere, ad Pontificem pertinere: hæ infringi nullatenus pateretur, atque è re nata conſilium in arena caperet, & quandocumque de harum aliqua ſermo incidat, à conſilijs medijs ac temperamentis, tamquam à peſte caueret: Transferendi, aut diſſoluendi Concilij onus illi imponere nolle, ſed quando id è re eſſe cognoſcat, ſe ſtatim per certos nuncios admonitum velit. In reliquo quàm plura poſſit de dogmatum materijs proponat, quò multiplex ex eo commodũ percipiant; nempe Lutheranos circa modum concordię, in deſperationem, ni ſe penitus dedant, adducendi, in eoſque acrius Prælatos firmandi: quo etiam fiet, vt hiſce occupationibus detenti, tempus de reformatione cogitandi eis non ſuppetat; celeremque Synodi expeditionem (quod ſit magni momenti) vrgeant, quando alicui ſemper incommodo, eo manente ſubiaceant: Et ſi pro Epiſcopali authoritate amplificanda, ad eis ſatiſfaciendum, in aliquo ſe cogi videat, non abnuat, tamen

men pro viribus ſemper obſiſtendo. Nam, tametſi aliqua in perniciem Curiæ concedantur, vt multa illucuſq; conceſſa erant; nihilominus, Pontificis authoritate ſalua, vnà ſimul res ad priſtinum ſtatum facilè reducendi itidem facultatem manſuram eſſe.

CONFVTATIO.

HAnc inſtructionem commentitiam eſſe; ex eodemmet Authore patet. Siquidem, commemorando iterum, quæ Pontifex ipſis Victembergicis aduenientibus, eodemmet tempore Legato mandauerit, hac inſtructione penitus oblitus, aliam recenſet huic omninò contrariam, præciſiſſimis verbis dicens pag. 362. *Se multos hos ſucceſſus legentes admirabundos videre, quòd nullam in his Pontificis mentionem videant, à quo in rebus longè leuioribus, deliberationes omnes emanare conſueuerint. Sed ceſſaturam eſſe admirationem, vbi intellexerint, Pontificem, de omnibus ſingillatim ſucceſſibus, conſilÿſque participem de more factum fuiſſe, & de acceſſu Victembergenſium, & aliorum, qui expectabantur certiorem factum, ſuis Legato, & Nuncÿs mandaſſe, vt maiori, qua poſſent humanitate, cum Proteſtantibus agerent, cum in huiuſmodi caſibus aliquid, ſatiſfaciendi gratia, ſit indignè ferendum; eaque prudenter tolerando, neceſſitati obtemperandum eſſe cum dedecus tandem in honorem cedat, in Religioniſque negocio à quouis publico colloquio; tum ſcripto; tum voce abſtineant, dequè Doctoribus Proteſtantium, aliquem ſibi, officÿs, pollicitationibuſquè concilient, ſumptuique minimè parcerent.*

Quam inſtructionem eodemmet tempore, quo præcedentem datam fuiſſe docet, cum, tàm illam, quàm iſtam, *ſtatim nuncio de Victembergicorum aduentu allato*, per Pontificem miſſas fuiſſe perhibeat, nec alia inſtructio, in narratione Polani miſſa legatur. Imniò dicat, *Pontifici tametſi per Legatum de eis, quæ agebantur, ſingillatim admoneretur,*

tur, non ideo quicquam occurrere viſum fuiſſe, quo deberet à ſententia recedere. Nam ſi ſententiam non mutauit, quonam pacto duæ inſtructiones, in eodem negocio, vno eodemq; tempore omninò inter ſe pugnantes, ad eoſdem Præſidentes recenſentur? In prima enim Pontificem præcepiſſe ait, *ne quicquam penitus neceſſitati, ac patientiæ daret: à conſilijs medijs, ac temperamentis omninò cauerent, negociumq; ſtatim, ad primæ difficultatis obijcem, miſſum facerent:* in altera è contrà, *ſolam eos benignitatem adhibere, humaniter agere, indigna patientèr ferre, ſatis Proteſtantibus facere, neceſſitatique obtemperare* mandaſſe refert. Quæ inſtructiones, cum de directo inter ſe pugnent, ſe ſe etiam inuicem deſtruunt, & altera alterius falſitatem redarguit.

Et impoſtura ex eo quoque indubitanter percipitur, quia ex facto neutram executioni demandatam fuiſſe aperiat. Nam Legatus, qui cum Proteſtantibus, omni humanitate agere, eorumque petitionibus benignè annuere, patienterq; ferendo, etiam indigna pati, ac ſuſtinere debebant (vt in inſtructione illi expreſsè mandatum fuiſſe ſupponit) eis omninò ſe potiùs intractabilem, rigidumque præbuit (vt refert 352. & 354.) à conſilijs medijs menimè abſtinuit, cum Victembergicos (licèt etiam, *præſidentiam recognoſcere* nullo modo voluerint) excepe- rint (quod ei nominatim vetitum à Pontifice fuiſſe in inſtructionibus narrat 355.) nec Legatus aliud magis præ oculis habuit, quam omni ſtudio operam dare, ne res infecta abiret, quamuis in inſtructione, rem *illico ad primæ difficultatis obijcem*, intercipi expreſsè mandatum fuiſſe dixerit.

At Pontificem de cunctis ſingillatim certum factum fuiſſe, deque omnibus mandata Præſidentibus dediſſe, falſiſſimum itidem eſſe ex Auctore liquet; At enim, cum Petrus Tagliauia, Archiepiſcopus Panormitanus, in Cõgregatione ex *improuisò* (vt inquit 356.) propoſuiſſet, quanam

quanam ratione cum Proteſtantibus, eorumque Theologis recipiendis, agendum eſſet, vtique cum rem in eademmet Congregatione, Legato etiam inuito ſtatutam fuiſſe referat, profectò, Pontifex ea de re certior fieri,& conſuli proculdubiò non potuit, quamuis etiam rem ſupremi ponderis fuiſſe perhibeat; vt de alijs quoque aperit, quæ in vno, codemque congreſſu, per alios propoſita, diſcuſſa, ac deliberata ineadenmet Congregatione fuiſſe commemorat:& cum pari modo ait 363. *ab omni actione conciliari, ad beneplacitum Synodi, ſuperſederi deliberatum fuiſſe*. Cum enim Pontificem *id moleſtè tuliſſe, & actiones illicò aſſumi mandaſſe* ſubdat; eam deliberationem (quæ maximi itidem momenti erat) eo indubitanter inuito, ac penitus idcirco inſcio, factam fuiſſe, ex neceſſitate conſequitur. Vt ex eo iterum docet, quòd Romæ, *ob poſtremam partem decreti, duobus Nuncijs crimini datum fuiſſe*, narret pag. 368. *Synodum, non requiſita prius Sedis Apoſtolica confirmatione, rerum conſtitutarum executionem decreuiſſe, allegando, id, cum ab omnibus antè actis Concilijs, religioſiſſimè omni tempore, ſeruatum eſſet, nonniſi magna authoritatis Pontificiæ læſione, atque vſurpatione factum fuiſſe*. Siquidem ex his (quæ maximi certè momenti fuerunt) falſiſſimum eſſe conuincitur, *nil Tridenti, niſi de conſilio, & expreſſo Pontificis mandato factum fuiſſe*; & nullam idcirco Polano fidem habendam eſſe, qui ex arbitrio impudentiſſimè confingat, ac malignè minis imponat, quemadmodum, & ex pluribus alijs ſupra allatis, & quæ in poſterum afferemus, ſuſſiſſimè patefiet.

8. *Ad diſſoluendum Concilium, Pontificis machinatio.*

HISTORIA.

PAg. 362. Pontifex, poſt ſeſſionem, haud admodum Synodi rebus animum adijciebat. Cum enim ſuſpicionem

cionem aliquam ex Cæſare concepiſſet, aures aliquorum Gallorum propoſitionibus præbebat, & animo abalienatus ab eo, quò ſe ad Regem Chriſtianiſſimum conuerteret, tractationes Cardinalis Turnonij, Regis nomine admittebat, à quarum executione diſſolutio Concilij, nullo ipſius labore, nullaque ſuæ voluntatis ſignificatione, conſequebatur.

CONFVTATIO

HÆC ait, vt diſſolutionem Synodi Pontifici aſcribat, ſed malignè: Fœdus enim inter Regem Galliæ, Germaniæque Principes, ex quo diſſolutioni fuit occaſio, iamdiù antè iſtam Pontificis cum Rege pacificationem, initium publicatumque erat, vt perhibet Author idem pag. 366. & Pontifex (ex relatione Thuani) non alia de cauſa pacem fecerit, quàm quietis deſiderio, & quòd pecunia exhauſtus eſſet. Et licèt ex hoc ſolo auctoris malignitas reijciatur; tamen nonnulla addemus, ad eam magis prodendam.

Primùm enim, ſi Pontifex ob iſtam concordiam adeo certus de diſſolutione Concilij fuiſſet, & eam Rex ſummopere cuperet, immò *quam maximè* (vt ait author) *vrges*; cur Pontifex eam antè non fecit?

Sed cum ibidem perhibeat, & ſupra retulit pag. 357. Oratores Cæſaris *authoritatis Pontificiæ moderandæ Proteſtantibus ſpem feciſſe, ex eorundemq; Proteſtantium negociatione ſibi opportunitatem dari expectaſſe, quò, & ipſi quoque obſecundare, & quæ iam animo deſtinauerant introducere poſſent*; non nè ſanctiſſima Pontificis deliberatio fuiſſet, ſi ea pacificatione, Sedis Apoſtolicæ indemnitati, etiam cum diſſolutione Concilij, conſuluiſſet? Eoque magis, cum addat, *plures è Patribus authoritatem Pontificiam coercendam eſſe cenſuiſſe, Hiſpanoſque omnes in ea ſententia fuiſſe: & præcipuè ſi Cæſar non ſolùm ſe, depreſſione Ponti-*

Pontificatus, (vt inquit) *magis extollere moliebatur; ſed fomitem ad id Proteſtantibus* (ne ſe Authorem oſtenderet) *præbere cogitabat*. Et nihilominus Pontificem ab huiuſmodi conſilijs, alienum omninò fuiſſe perſpectiſſimum eſt ex auctore, cum argumentum illud, quod vnicum intentionis Pontificis affert, falſum fuiſſe patefaciat. Quo enim pacto animum, poſt ſeſſionem, rebus Synodi non amplius adijciebat (quod eſt vnicum argumentum, quod ad intentionem Pontificis probandam affert) ſi immediate addit, *Præſidentes* (quos nonniſi de eius mandato egiſſe dixit) *triginta tres articulos examinandos in materia matrimonij exhibuiſſe? Si Oratores Cæſaris in Proteſtantium gratiam, ab actionibus abſtineri impetrare non potuerunt? Et Præſidentes* (vt ait) *actiones omni ſollicitudine vrgebant?* Præſertim quòd, id eo potiſſimùm conſilio ab eis factum fuiſſe addat, vt, vel *Proteſtantes idcirco ſe Tridentum conferre ceſſarent; vel illuc euntes, cuncta iam deciſa reperirent; & Pontificem, totamque Curiam, omneſque Prælatos petitionem circa res iteratò examinandas, ex eo conſtantiſſimè reijcere decreuiſſe* ſubdat, *quòd rerum multarum retractatio euidentius, quam paucarum denegaretur?*

Nec pari modo conſonat, Pontificem illam cum Rege conciliationem, in eum finem machinatum eſſe, *vt Concilium nulla eius opera diſſolutum videretur*; & cum de euentu iam adeo certus eſſet, vt de *Synodo amplius* (vt ait) *non cogitaret*, ea palam faceret, quibus diſſolutionem per ipſum moliri apertiſſimum fieret. Siquidem, & materiarum expeditionem accelerando, & declarando nolle ſe res iteratò examini (vt Proteſtantes prætendebant) apertiſſimam eis ſeſe retrahendi, Concilijque per conſequens diſſoluendi occaſionem præbebat, quæ eidem indubitanter potuiſſet aſcribi.

Et quo etiam pacto diſſolutio, ex ea conuentione cum Rege, adeò certa Pontifici erat, vt non amplius de Synodo cogitaret; ſi vnà ſimul Proteſtantium acceſſum timebat;

mebat; & ne accederent adeò anxiè laborabat?

Verùm, cum optimam, eodem tempore, Concilij diſſoluendi occaſionem habuiſſe, illamque reſpuiſſe *omniũque idcirco expectationem feſelliſſe dicat*, ſemet ipſum confodit; Cum non alia enim de cauſa abſtinere perhibeat, quàm *ne aliquem in ea diſſolutione operam contuliſſe videretur*; nonne, & modò idem pariter timuiſſet?

Repugnat quoque, eundem Pontificem, ob eam concordiam, certum de diſſolutione fuiſſe, & Victembergicis inſtantibus, vt exordium actionibus fieret, noluiſſe, idque ex eo potiſſimum quòd (vt ait) Pontificij vererentur ne *de reformatione Curiæ ageretur*. Quorſum enim hæc dubitatio, ſi diſſolutionem certam, & in proxima reuera expectatione habuiſſent?

Præterea, ſi ea mens Pontifici reuera fuiſſet, quando Victembergici, non ſinè publica Concilij iniuria, *ſuam Confeſſionem impreſſam euulgarunt* (vt ait) nonnè ſola debitæ pœnæ comminatione, vel etiam occultè per incertos effuſa, ad eos terrendos, fugandoſque, & Synodum per conſequens intercipiendam ſatis ſuperque feciſſet?

Malignè quoque addit, Nuncium reſponſum petitionibus Proteſtantium dare noluiſſe (qui actionem exordiri vrgebant,) nec ingreſſum fieri potuiſſe, licèt etiam ingreſſum vnde ipſimet Nuncij maluiſſent, fieri annuerent. Cum id namque de mandato Pontificis fieri non potuerit, (quem non ſolùm *ſuſpenſionem, actionum Tridenti factam moleſtè tuliſſe; ſed eas illicò quovis reſpectu ſepoſito, aſſumi mandaſſe*, dixit;) id proculdubiò factum fuiſſe patet; vel quia Legatus Creſcentius ægrotaret, (quod prętextum non fuiſſe, (vt innuere voluit) obitus eius, poſt paucos dies comprobauit;) vel quia, cum Cęſar, & Chriſtianiſſimus bellum ſibi inuicem indixiſſent, illudque vbique epiſtolis patentibus euulgaſſent; ea de cauſa Electores omnes, alijque Germaniæ Epiſcopi, Oratoreſque Saxones iam Tridento abijſſent, alijque diſceſſum meditarentur,

tarentur,

tarentur, vt refert 366. At enim opportunum minimè videbatur, rem, poſt diſceſſum Germanorum aggredi, pro quibus nominatim Synodus habebatur, & auctoris malignitas eo impudentior eſt, quòd idem apertiſſimè dicat pag. 365. Patres, *ob ſuſpenſionem actionum, ocioſos moram traxiſſe, varieque, modò de diſſolutione, nunc verò de continuatione, ex Nuncijs, qui afferebantur, diſſeruiſſe*; Et, cum Dux Saxoniæ rem in Concilio ſuis Oratoribus proſequi mandaſſet, *omnium animos tranquillitati reſtitutos fuiſſe*, quòd Concilium ob ipſius armorum famam, penderet. Nam ergo non ex voluntate Pontificis, aut Præſidentium.

Quæ patentiſſima etiam ex ipſo ſuſpenſionis decreto fiunt, vbi Synodus ait, *decreuit tantæ neceſſitati non reluctari, & ad meliora tempora reticere, vt Patres, quòd nunc eis facere non licet, ſuis omnibus proſpectum, ad ſuas Eccleſias regredi valerent, ne diutius vtrobique inutili otio conterantur*. Quemadmodum enim Cæſarei contra ſuſpenſionem reclamarunt (licèt temerè, vt exitus probauit, cum idem Cæſar, ex relatione Authoris, Germaniam feſtinanter deſerere coactus fuerit) ita etiam non fuiſſent in decreto exprimi, ſuſpenſionem ea de cauſa fieri, *ne inutili otio Patres diutius contererentur*, ſi Præſidentium cauſa reuera procraſtinatum eſſet. Quam decreti particulam ab Authore, in eo recenſendo pag. 367. ſtudioſè idcirco omiſſam fuiſſe dicendum videtur.

Cuius malignitas ex eo demum conuincitur, quia cum Pontifex rectiſſimam ſibi intentionem eſſe aperuiſset, dū eadem pag. 367. Præſidentibus prohibuiſse ait, *nè Concilium omninò diſſoluerent*, id ab eo nihilominus factum fuiſſe dicat, *vt caput illud in manibus teneret, quo ſibi ex occaſione, vſui eſſe poſſet*. Nam falsò ergo dixit, Pontificem concordiam cum Rege Chriſtianiſſimo, in eum ſolum finem inijſſe, *vt Concilium diſſolueretur*: Et optimam idcirco Pontificis mentem, magis magiſque perſpectam

facit, qui, cum è re ſua eſſet Concilium eo tempore omninò diſſolui, quo (vt dixit pag. ſupra notata 362.) & Patres eius auctoritatẽ coarctare, & Cœſar Pontificatũ deprimere moliebantur; illud nihilominus tantummodò ad tempus ſuſpendi mandauit.

9. Decreta Concilij iteratò examini ſubijci potuiſſe.

HISTORIA

PAg. 368. Mirandi occaſionem dedit, cur tanta contentio ob res anteà ſtatutas inter Synodum, & Proteſtantes fuerit, quas iſti iterum examinari, illi verò, vt ſtatutas haberi volebant. Si namque perfectionem, firmitatemque ante confirmationem non habuerunt, iterum ergo examinari poterant, &c. Et ſi vis decretorum Concilij à confirmatione Pontificis manat, antè illam pendent, & in dubium reuocari, & maiori diſcuſſioni ſubijci poſſunt, aduerſus id, quod ſemper Proteſtantibus denegatum fuerat.

CONFVTATIO.

CVm Concilium generale repręſentet Eccleſiam, quę ab eo facta ſunt, retractari non poſſunt, nec etiam ab ipſo Pontifice, niſi in ſolo caſu, ſi cũ ſenſu Sedis Apoſtolicę, non conuenirent: quæ cum ſola infallibilitatis priuilegium habeat, idcircò ab ea confirmari debent. Et licèt vſque ad confirmationem pendeant, non tamen ea retractari fas eſt, cum, ex parte Concilij ſuam perfectionem receperint, qua de cauſa illa retractatio Proteſtantibus concedi non potuit; præſertim cum certum eſſet, Proteſtantes in id ſolùm tendiſſe, vt oſtenderent, res ab Eccleſia ſemel ſtatutas retractari poſſe, nullamque ideo firmitatem habere.

TER-

TERTIA SYNODI TRIDENTINÆ reductio ſub Pio IV.

INtertia Synodi reductione ſub Pio IV. multa potiſſimùm cōgerit Polanus in tractatione articulorū Reſidentiæ, & Inſtitutionis Epiſcoporum: in aduentu Gallorum, & in Reformationis materia, in quibus omnes ſuas vires contra Romanam Curiam intendit. Quæ idcirco ſingillatim enucleabimus: & quæ ſparſa per Hiſtoriam affert ſimul ſub ſuo quæque capite elucidabimus: & alia, poſtmodum expendemus.

RESIDENTIA EPISCOPORVM

SVMMARIVM.

1. *In hoc articulo Aulici opinioni è re ſuorum dominorum, adhærebant*
2. *Legatos in primo Concilio, quæſtionem ſilentio ſuppreſſiſſe.*
3. *Ad declarationem articuli interturbandam, artificium.*
4. *Pontifex alia ratione, propriæ auctoritatis indemnitati conſulit.*
5. *In Cardinalem Mantuæ Legatum efferueſcit.*
6. *Prælatos cum ſuorum Principum mandatis iniſſe queritur.*
7. *Ad ſuas muniendas partes, Epiſcopos Tridentum impellit.*
8. *Regem Galliæ ſibi conciliare ſtudet.*
9. *Legati concluſionem arte eludunt.*
10. *Hiſpanorum in Pontificem, Romanamque Curiam expoſtulationes.*
11. *Pro Reſidentiæ declaratione, Prælatorum tumultus.*
12. *Ad ſuas muniendas partes, Pontificis artificia.*

facit, qui, cum è re ſua eſſet Concilium eo tempore omninò diſſolui, quo (vt dixit pag. ſupra notata 362.) & Patres eius auctoritatē coarctare, & Cœſar Pontificatū deprimere moliebantur; illud nihilominus tantummodò ad tempus ſuſpendi mandauit.

9. Decreta Concilij iteratò examini ſubijci potuiſſe.

HISTORIA

PAg. 368. Mirandi occaſionem dedit, cur tanta contentio ob res anteà ſtatutas inter Synodum, & Proteſtantes fuerit, quas iſti iterum examinari, illi verò, vt ſtatutas haberi volebant. Si namque perfectionem, firmitatemque ante confirmationem non habuerunt, iterum ergo examinari poterant, &c. Et ſi vis decretorum Concilij à confirmatione Pontificis manat, antè illam pendent, & in dubium reuocari, & maiori diſcuſſioni ſubijci poſſunt, aduerſus id, quod ſemper Proteſtantibus denegatum fuerat.

CONFVTATIO.

CVm Concilium generale repræſentet Eccleſiam, quę ab eo facta ſunt, retractari non poſſunt, nec etiam ab ipſo Pontifice, niſi in ſolo caſu, ſi cū ſenſu Sedis Apoſtolicę, non conuenirent: quæ cum ſola infallibilitatis priuilegium habeat, idcircò ab ea confirmari debent. Et licèt vſque ad confirmationem pendeant, non tamen ea retractari fas eſt, cum, ex parte Concilij ſuam perfectionem receperint, qua de cauſa illa retractatio Proteſtantibus concedi non potuit; præſertim cum certum eſſet, Proteſtantes in id ſolùm tendiſſe, vt oſtenderent, res ab Eccleſia ſemel ſtatutas retractari poſſe, nullamque ideo firmitatem habere.

TER-

TERTIA SYNODI TRIDENTINÆ reductio ſub Pio IV.

INtertia Synodi reductione ſub Pio IV. multa potiſſimùm cõgerit Polanus in tractatione articulorũ Reſidentiæ, & Inſtitutionis Epiſcoporum: in aduentu Gallorum, & in Reformationis materia, in quibus omnes ſuas vires contra Romanam Curiam intendit. Quæ idcirco ſingillatim enucleabimus: & quæ ſparſa per Hiſtoriam affert ſimul ſub ſuo quæque capite elucidabimus: & alia, poſtmodum expendemus.

RESIDENTIA EPISCOPORVM

SVMMARIVM.

1. *In hoc articulo Aulici opinioni è re ſuorum dominorum, adhærebant*
2. *Legatos in primo Concilio, quæſtionem ſilentio ſuppreſſiſſe.*
3. *Ad declarationem articuli interturbandam, artificium.*
4. *Pontifex alia ratione, propriæ auctoritatis indemnitati conſulit.*
5. *In Cardinalem Mantuæ Legatum efferueſcit.*
6. *Prælatos cum ſuorum Principum mandatis iniſſe queritur.*
7. *Ad ſuas muniendas partes, Epiſcopos Tridentum impellit.*
8. *Regem Galliæ ſibi conciliare ſtudet.*
9. *Legati concluſionem arte eludunt.*
10. *Hiſpanorum in Pontificem, Romanamque Curiam expoſtulationes.*
11. *Pro Reſidentiæ declaratione, Prælatorum tumultus.*
12. *Ad ſuas muniendas partes, Pontificis artificia.*

13. *Sese liberè aperientes exosi offenſionibusque obnoxij erant.*

14. *Legatorum prenſationes, & ſtudia.*

15. *Pro Pontifice Regis Catholici cum ſuis Prælatis officia.*

16. *Ad declarationem Reſidentiæ in Pontificem reijciendam, conatus.*

17 *Adſequaces ſibi conciliandos, Pontificorum ſedulitas.*

18. *Ex ea declaratione modum Romana Curia, Galli, & Hiſpani quærebant.*

19 *Res ſola auctoritate, ac numero, non rationibus expendebantur.*

L. *Aulici in hoc articulo opinioni è re ſuorum Dominorum adhærebant.*

HISTORIA.

PAg. 469. Reſidentia propoſita, Patres, qui primo Concilio interfuerant, illicò ſeſe in partes diuiſerunt, quòd in Aulicis, ſeù ambitio, ſeù obligatio inhærendi opinioni quæ è re ſuorum Dominorum eſſet, præualeret.

CONFVTATIO.

SVbdit tamen pag. 509. Archiepiſcopum Lanciani, per Legatos ad Pontificem miſſum, Cardinales (qui opinioni de Iure diuino adhæſerant) *ex eo apud Pontificem purgaſſe, quia cum nullum indè incommodum oriri poſſe prænidere nequiſſent, opinionem aperuerunt; cui adhærebant ex conſcientia, eorumque illi opinioni adhærentiam, poſt contentiones ortas, in honorem Sanctitatis ſuæ, Curiæque ceſſiſſe, quòd dici non poſſet nec ipſum, nec totam Curiam contrarios eſſe opinioni, quam Mundus piam, neceſſariamque exiſtimaret.* Si namque Pontifex illucuſq; (vt aperit ex his verbis Epiſcopi Lancianenſis) nec ipſis quinetiam Legatis ea

ea in re ſuam opinionem aperuerat, & ipſi adhuc Legati quid nam incommodi ex opinione illa oriri poſſet, præuidere potuerant; per quos ergo Aulici noſcere potuerunt, quænam opinio eſſet ſuorum Dominorum eſſet? Quare Polani commentum eſſe conſequitur.

2. In primo Concilio Legatos quaſtionem ſilentio ſuppreſſiſſe.

HISTORIA.

PAg. 173. Articulum in primo Concilio diſcuſſum fuiſſe; ſed queſtionem adeo periculoſam euaſiſſe, vt Legati homines prudentiſſimi, eam ſilentio ſupprimere, ſua dexteritate curauerint.

CONFVTATIO

QVod falſum eſſe patet ex ſupra notatis verbis Lancianenſis ad Pontificem. Si hæc enim vera fuiſſent, quonam pacto ſe purgare apud Pontificem potuiſſent Legati, *quòd nullum inde incommodum oriri poſſe preuidere nequiſſent?* Non enim latere eis potuiſſent, quę in primo cueniſſent Concilio.

Præſertim, ſi Archiepiſcopus Granatæ, iam in prima Congregatione, (in qua ipſi Legati præſentes fuerant) dixiſſet ex relatione Polani pag. 472. *Reſidentia de Iuredinino declarata, diſpenſationes amplius Epiſcopis non ſuffragaturas eſſe, eoſque minimè liberaſſent* Eoque magis, ſi in eadem parimodo Congregatione dictum fuiſſet (vt addit) *ex declaratione de Iuredinino occaſionem fore rebellionis à Sede Apoſtolica moliendi, auctoritatiſq; Pontificia (vt iam inter aliquos ſuſurrari audiebatur) coarctandę, Romanaque Curia deprimenda.* Quæ cum ob repugnantiam, nullo modo ſtare poſſint, ſatis docent, Polanum hiſto-riam

riam pro ſolo tantùm arbitrio confinxiſſe, quò probra in Romanam Curiam congereret.

3. *Ad declarationem interturbandam, artificium.*

HISTORIA.

PAg. 482. Suffragijs circà reſidentiam redditis, Legati interſe conſuluerunt, quid agendum eſſet, omneſque in eam conuenere ſententiam, vt cuncta ſingillatim Pontifici ſignificarentur, reſponſumque ab eo expectaretur, congregationes interim circà reliquos articulos proſequendo. Mantuanus Camillum Oliuum ſibi à ſecretis, ea de re certum, per celeres equos, Romam mittere volebat: Simoneta verò rem totam per epiſtolas ſignificandam cenſebat, concluſumq; fuit, ſuffragia ſimul componere, & longa rei relatione perſcripta, quodque reliquum eſſet ſecretarij expoſitioni permiſſo, ipſe eadem die, ſub veſperam, Tridento diſceſſit. Quòd (tametſi occultiſſimè factum) cum ad Hiſpanorum illicò aures peruenisſet, quærebatur, intolerabile grauamen introductum eſſe, cum quælibet tractatio non modo Pōtifici ſignificanda, ſed per ipſum etiam expendenda, ac decernenda eſſent; qua de cauſa Concilium bis antea in eadem Vrbe, ſucceſſu caruerit, nulloque fructu, immò, & non ſinè ſcandalo, diſſolutum fuiſſet, quando nil per Patres, ſed cuncta Romæ decernerentur; adeo vt in ore omnium blaſphæmum prouerbium eſſet, Synodum Tridentinam, à Spiritu Sancto Regi ſibi ab Vrbe qualibet vice tabellarij manticis tranſmiſſo: & minus ſcandali à Pontificibus illis fuiſſe, qui Cōcilium omninò negaſſent, quàm ab iſtis, qui illud congregatum ſeruitute premant. Mundus enim malis omnibus ex Concilio (ſi quando vnquam celebrari contigiſſet) medendum fore ſperabat; ſed, eis quæ ſub duobus Pontificibus facta eſſent, quæque

que in præſenti aggrediantur expenſis,omnem ſpem boni penitus extinctam perſpici ; & ſi Concilium Romanæ ſolius Curiæ commodis inſeruire ex eiuſque arbitrijs deſiſtere, aut progredi debeat, nullum bonum expectari poſſe.

CONFVTATIO.

CVm ſupra in ſecundo libro in notis ad ſeſſ. 21. docuerimus ea, quæ hic Hiſpanorum ore profert, falſiſſima eſſe, nec ab eis idcirco emanare potuiſſe, impoſtura certiſſima eſt. Quæ ex alijs etiam ad cumulum conuincuntur.

Primùm, quià illicò ſubdat pag.483. Varmienſem ſtatim in Congregatione ſequenti, ad eam rem terminandam, *decreti formationem, propoſitionemque Patribus promiſiſſe*. Si enim (vt dixit) Legati interſe conſulentes, in eam ſententiam vnanimes conuenerunt, vt reſponſum ea de re à Pontifice expectarent ; an Varmienſis illicò, contra determinationem ab omnibus factam, non expectato à Pontifice reſponſo, alijs inconſultis Legatis, formationem, propoſitionemque decreti Patribus promiſiſset?

II. Conuincitur impoſtura, quòd dicat pag. 488. Pontificem, hiſce literis Legatorum perſpectis, *non potuiſſe non conqueri ex eis, quæ contra libertatem Synodi dicebantur, nempè res Romæ conſulere, libertatem Synodi violare eſſe; nec ferri poſſe, ipſum Pontificem, qui eſt caput Concilij, & Cardinales, membra primaria; alioſque Prælatos Romæ agentes, qui ius ſuffragij in Concilio habeat, vt extraneos cenſeri debere, adeo vt, nec tractationem cognoſcij, nec ſuam ſententiã aperire poſſint.* Cum hæc enim ab Hiſpanis dicta fuiſse retulerit poſtquam Oliuium Tridẽto diſceſſiſse acceperunt (vnde Pontifex ea, nec ab Oliuio, nec per dictas Legatorum literas noſcere adhùc potuit:) quonam pacto dictis perlectis epiſtolis, prolata ab Hiſpanis retulit, quæ

nondum ad eius aures peruenire potuerant? Non enim præter illas aliæ literæ in hiſtoria miſſæ leguntur, per quas prolata ab Hiſpanis ſcire potuerit.

Et demum, & ea, quæ hic Hiſpanorum ore, & poſtea pag. 487. Romæ per Curiales dicta fuiſse refert, nonniſi auctoris commenta eſse conuincitur, quia ſubdat pag. 488. *In Curia de omnibus generaliter Legatis queſtos eſſe, quòd articulum propoſuiſſent, ſeù proponi ſiuiſſent; quando eos ſolos proponere poſſe, tam ſumma arte, nec in alium finem, ſtatutum eſſet, quàm vt malè in Romanam Curiam animatorum conatibus obſiſterent; & cum quidnam in primo Concilio ex hac diſputatione mali obuenturum fuiſſet, ex præterito exemplo edocti eſſent; non eſſe venia dignos, eorumque in Mantuanum præcæteris, ac Seripandium ferebantur querelę: in eum potiſſimùm, quia facilè incommodis omnibus ſua exiſtimatione, atque authoritate occurrere potuiſſet.* Nam hæc enim pugnant cum eis, quæ ore Hiſpanorum dixit, & poſteà ſubijcit, omnium etiam impoſturam produnt. *Si cuncta ſiquidem prius per Legatos Pontifici ſignificata ab eo re vera deliberato fuiſſent* (vt ore Hiſpanorum dixit): adeò vt Legati *nil omninò facerent, quàm, quę illis per Pontificem pręſcriberentur*, (vt etiam ſubdit 492.) an potuiſſent Romæ Legatos de illius articuli propoſitione per eos facta redarguere? Vel Romæ, poſt ſuffragia reddita, rem (vt ait 488.) *conſultationi ſubijcere, deque remedijs conſulere*? Si Pontifex namque rem prius conſultationi ſubiecciſſet; nonne aduerſus pericula iam diù ante præuiſa (vt ait) remedia illis in conſultationibus præparaſſent? Quarè patet hæc omnia commentita eſſe, & auctorem ideo venenum proprium alieno ore, vt ſolet, euomere voluiſſe.

4. Pon-

4. Pontifex alia ratione ſuę auctoritatis indemnitati conſulit.

HISTORIA.

PAg.486. Vbi Pontifex certior factus fuit de ſuffragijs redditis à Patribus in Congregatione circa Reſidẽtiam, animaduertitque Hiſpanos omnes in vnam conuenire ſententiam, malum indè omen accepit liquidò cõſpicatus, eam conſpirationem, non niſi Rege participe, eſſe poſſe: dicebat ſe multis iam diù experimentis edoctum eſſe, Prelatos Tranſmontanos Italiæ, Sediſque Apoſtolicæ amplitudine inuidere: & ob ſuſpicionem, quam ex Rege conceperat, quærebatur, illum ſponſioni, iam factæ authoritatis ſuæ tuendæ, non reſpondere: omnes ſuos ſermones eis verbis concludendo, ſe, ſi à Principibus deſtituatur, cælum imploraturum: decies ſibi contenta aureorum millia in numerato, totidemq; in promptu eſſe, Deumque ſuæ Eccleſiæ defuturum non eſſe.

CONFVTATIO.

HÆc Pontificem, ob res Concilij machinatum fuiſſe obtrudere vellet, ſed malignè vt patet ex fœdere de quo pag. 500. Pontificem, eodemmet tempore, cum Cæſare, Gallo, Hiſpano, alijſque Principibus egiſſe narrat. Cum namq; id ex eo feciſſet, quòd iam à Cæſare ipſo per Epiſtolas monitus eſset (pag. 469.) Proteſtantes *de fœdere agere, militeſq; conſcribere*; non ergo illa, ob res Concilij dicebat. Cum, &, præter id, Hugonottæ, (qui Galliam maximis motibus perturbabant) minaces imminerent Italiæ; qua de cauſa, & bis centena aureorum millia Regi miſiſſe, multaque alia ad Religionis, Italiæque tutelam ſtatuiſſe recenſuit 489.

5. Pontifex vult Cardinalem Mantuanum Legatum aſtringere.

HISTORIA.

PAg. 488. Romæ de alijs Legatis mittendis cogitatum eſſe, & in primis Ioannem Baptiſtam Cigalam omnium ſuffragijs deſtinatum fuiſſe, qui vti Mantuano ſuperior, Principem locum obtinuiſſet, qua etiam de cauſa Mantuanus facilè diſceſſurus eſſet; & pag. 492. de alijs mittendis Legatis iterum agitari cæptum eſſe, eique muneri eundem Cardinalem Cigalam, eo conſilio deſtinatum fuiſſe replicat, quò ipſe, vnà cum primis partibus, inſtructionem haberet, neue à primo loco Mantuanum deijceret, eique materiam nihilominus abeundi ſuppeditaret, illum inter Epiſcopos cooptare, &c.

CONFVTATIO

QVæ ſunt pariter commentitia, vt idem auctor detegit, immediatè ſubdens 489. *aliquos monuiſſe, attentis diſſenſionibus inter Legatos, è re fore, Legatos alios, etiam extra ordinem mittere, conſultationemque de alijs Legatis mittendis habuiſſe, eiuſque rei tractationem dilatam eſſe, veriti, ne Mantuanus abeundi facultatem peteret, quod, non ſine ingenti exiſtimationis Concilij iactura fuiſſet, ob opinionem, quam Cæſar, Rex Hiſpaniæ, omneſq; ferè Principes de eius probitate habebant, & quam de ea Patres Tridenti exiſtimationem conceperant.* Manifeſtè namque repugnat, eos diſcedendi materiam Mantuano ſuggerere voluiſſe, & vererentur, ne abeundi facultatem peteret. Quamuis hæc omnia, & alia, quæ pluries de hoc Mantuani negocio addit, commentitia eſſe, conuincitur etiam ex Ioanne Baptiſta Adriano, illius temporis ſcriptore, qui in decimo ſeptimo ſuarum Hiſtoriarum

ium libro refert, *Cardinalem Mantuæ, cum in petitione Calicis, Cæſari, ac Regi Chriſtianiſſimo faueret, eiſque cæteri Legati, tum in hoc, tum in alijs etiam rebus obſiſterent, miſſionem à Pontifice petijſſe, qui cum eiuſdem Mantuani Aduerſarij illum magis rei propriæ, quàm Pontificiæ conſulere ſuggeriſſent, de eo querebantur; multumque in illo conciliando laborandum ac, ne abiret, Cæſarem apud eum deprecatorem adhibendum fuiſſe.* Ex his namque manifeſtum fit, Pontificem, non pro Reſidentia (vt Polanus hic, & alibi pluries malignè ſupponit;) vel quia Synodi continuationem declarare noluiſſet (vt ſubdit 491.) ſed illis de cauſis, quas Adrianus recenſet, in Mantuanum exarſiſſe; de quibus Polanus nullum omninò verbum in ſua narratione facit, quò rem ad ſolam reſidentiam, & continuationis declarationem malignè detorqueat: ac proinde adeo alienum eſſe à veritate patet, Pontificem de illo, ob reſidentiam, amouendo, cogitaſſe, vt immò è contra ne diſcederet, totis viribus laboraſſe, eaque de re Cœſarem inſuper apud eum depræcatoré adhibuiſſe.

6. Pontifex Prælatos cum ſuorum Principum mandatis ad Concilium iuiſſe queritur.

HISTORIA.

PAg.489. Ait ore Pontificis, Prælatos omnes Tridentum, cum ſuorum Principum mandatis iuiſſe, ex quibus rem gererent, perque Oratores, & officijs, & literis ad eorundem Principum commoda procuranda adigi, & nihilominus, neminem ex hoc dicere (vt par eſſet) Synodum liberam non eſſe; Idque vehementiſſimè Pontificem in omnibus Congregationibus exagitaſſe, &c.

CONFVTATIO.

QVæ ſunt itidem maligniſſimi impoſtoris figmenta, ad

ad detrahendum Synodi libertati, vt idem aperit, cum paulo poſt pag. 535. huiçe oblitus, in contrarium, ore Hiſpanorum, affirmet, *Italos omnes, partim penſionibus, partim pollicitationibus, aut timore Pontificis partibus adhæſiſſe*. Quo namque pacto, vno, eodemque tempore, & Pontifici, & Principibus adhærere potuiſſent Prælati, *ſi res Principum, cum rebus Pontificis ob contrarietatem conuenire non poterant*, vt idem, locis alibi ſupra notatis in capite 4. primi libri, apertiſſimè perhibet?

Cui tamen Hiſpanorum aſſertioni, nuſquam ſibi conſtans, in eademmet pag. 489. contradicit, addens, Pontificem *literis expeditis, cum Oratoribus Veneto, & Florentino egiſſe, adhuc, vt eorum Principes res Pontificatus ſuis Tridenti Oratoribus commendatas vellent, operam adhibendo, ne ſuarum ditionum Prælati ſeſe tractationibus in Sedem Apoſtolicam immiſcerent, nec in materia reſidentiæ adeo acres eſſent*. Si enim officijs apud Prælatos Italos adeo Pontifici laborandum erat, ne ſibi aduerſi eſſent; qua veritate, ore Hiſpanorum dixit, Italos omnes, partim penſionibus, partim pollicitationibus, aut timore Pontificis partibus adhæſiſſe? Ex quibus repugnantijs horum etiam omnium impoſturam ex ſe ipſo detegit, cum ſeſe inuicem ob contrarietatem deſtruant.

7. *Ad ſuas muniendas partes Pontifex Epiſcopos Tridentum impellit.*

HISTORIA

EAdem pag. 489. Pontifex omnibus Epiſcopis, qui adhuc Romæ erant auitis, neceſſitatem, ſeruitiumque illis oſtendit, quod ei præſtare Tridenti potuiſſent; promiſſiſque onerauit, ſubuentiones indiguis dedit, ad Synodumque miſit; quod eo conſilio fecit; tum vt numerum augeret, cum de reſidentia ſermo habendus eſſet;

ſet; tum quia quadraginta Galli expectarentur, à quibus nil boni præſagiret.

CONFVTATIO.

QVę eſt alia impoſtura. Cũ enim poſt aſſertã hanc tot Prælatorum miſſionem, *omnes Prælatos, qui Tridenti erant in Pontificem conſpiraſſe*, ipſiuſmet Pontificis teſtimonio perhibeat pag. 501. vbinam erant hæ Prælatorum turmæ per Pontificem miſſe? Quod, non per exagerationem à Pontifice forſan dictum fuiſſe aperit; dum *omnes Prælatos ſe apud eundem Pontificem purgaſſe, eaque ratione eius res, quàmmaximè profeciſſe affirmat.*

Quam Prælatorum miſſionem ex eo etiam commentitiam eſſe conuincitur, quòd dixerit pag. ſupra relata 481. *In Reſidentia triginta tres* declaratione abſolutè reſpuiſſe, ſeſeque alios triginta in Pontificem reieciſſe, & ex conſequenti, tres ſupra 60. à Pontifice recenſuerit. Nam, cum poſt aſſertas has mentiones, dicat ore Hiſpanorum pag. 535. *duas Prælatorum partes* à declaratione ſtetiſſe, & poſtmodum pag. 556. ſolos 180. Patres Tridenti eo tempore fuiſſe referat; vtique, ſi ex his duas partes (hoc eſt 120.) dempſerimus, profectò liquebit, non amplius ſexaginta tres, ſed ſolos 60. ad ſummùm à Pontifice fuiſſe, ac proinde numerum eorum, qui Pontifici fauebant, poſt eſſertas illas miſſiones, non amplificatum, ſed diminutum fuiſſe, & illas per conſequens Prælatorum miſſiones ad partes Pontificis muniendas, nonniſi Polani commenta eſſe.

8. *Regem Galliæ ſibi Pontifex conciliare ſatagit.*

HISTORIA.

EAdem pag. 490. Ne Regem Galliæ contrarium haberet,

Borbonius Oratores breui Tridentum acceſſuri erant ; centena aureorum millia Regi dono dare, totidemque nomine mercatorum (idonea tamen ſummæ, ac fœnoris per ipſum cautione præſtita) ea conditione dare decreuit, vt res ſeriò, & ſine ſimulatione ageretur, edicta reuocarentur, bellum pro Religione fieret, eaque pecunia Heluetij, Germanique conſcriberentur, qui ſub eius Legato, Eccleſiæque ſignis militarent, cum alijs ad bellum pertinentibus; Vtque nil in Synodo contra ipſius auctoritatem agatur, néue Oratores de Annatis verba facerent, ſe tamen exhibendo, cum Rege, & ex eius Maieſtatis ſatisfactione ea de re conuenire.

CONFVTATIO.

Qvæ eſt alia impoſtura. At enim Pontificem ſibi Regem Galliæ in eum finem, quem malignè ſupponit, conciliare voluiſſe, falſiſſimum eſſe liquet ex hiſtoria, dum poſtea pag. 638. Cardinalem Lotharingium Tridenti apud Legatos querentem inducit, *non potuiſſe Regem ex ea pecunia, niſi viginti quinque aureorum millia in ſuum vſum conuertere, ob cautiones in mandatis appoſitas, vt non niſi ſub certis conditionibus exigi poſſent, abolendi ſcilicet Pragmaticas ex omnibus Regni Comitijs, quæ res adeo difficilis eſſet, vt vel ab vnius quidem oboli ſpe, ex ea penitus deijceretur*. Et eò magis quòd, & eundem Lotharingium, ipſoſque Regis Oratores, à Legatis poſt eà peſſimè acceptos fuiſſe, fuſiſſimè referat; adeò vt idem Author Lanſacchium vnum ex Oratoribus Gallis, quæſtum eſſe dicat 542. *Se nil ex eis, quæ petijſſent impetrare potuiſſe, cum nihil prorſus eius poſtulatis feciſſent, in quibus Regi gratificandum eſſet* (ſeſſionem differendo, vt eiuſdem Regis nomine flagitauerat) *rem immo præcipitantius egiſſent*. Præſertim addens Lanſacchium, *non tàm ea Legatis, quàm ipſi Pontifici tribuiſſe, cuius ſola nutu cuncta peragi*

ragi dictitabat. Et tum Pontificem contumelias, & minas in eoſdem Regis Oratores, tum Pontificios Tridenti in Lotharingium, & Gallos ad contumelias vſque parmodò proceſſiſſe; Oratoreſque è contra à nihilo prorſus in Pontificem, Romanamque Curiam abſtinuiſſe fuſiſſimè narret; ex quibus à ſe Regem penitus abalienauerint. Quare, his poſitis, parum credibile eſt, Pontificios deliberaſſe exemplar Epiſtolæ per Regem Catholicum ad Piſcarium ſcriptæ, in Galliam mittere, quò conſimilem à Chriſtianiſſimo ad eius Oratores elicerent; tum vt eos à quotidianis apud Prælatos officijs retraherent, quibus rem contra vrgebant; tum ne eorum Epiſcopi adhærerent Hiſpanis, vt ſubdit 535.

9. *Legati Concluſionem arte eludebant.*

HISTORIA.

Eadem pag. 490. Sententijs per Patres pronunciatis, nouemque per Præpoſitos decretis formatis, omiſſis articulis matrimonij, vt iam deciſum erat, & Reſidentiæ, quòd ita conueniſſent Legati, & cum nonnullis officijs egiſſent, vt acquieſcerent, ad eos ſtatuendos propoſitos in Congregatione fuiſſe, quo in ſeſſione ſtatuto tempore legerentur; ſed ob eam omiſſionem petitiones fautorum Reſidentiæ excitatas eſſe, & reſpondentibus Legatis articulum illum non benè diſcuſſum eſſe, nec eum in illa ſeſſione proponere opportunum fore, ſuoque tempore fieret, eò vehementius illum in præſenti proponi inſtitiſſe, dicendo, id nunquam opportunius peragi poſſe eiſque murmurantibus, idque arte ad concluſionem eludendam fieri dicentibus, à petitione nihilominus recedere coactos fuiſſe, videntes Legatos in eo conſtitiſſe, ne res illo tempore agitaretur & contrariæ adhærentes opinioni efficacius, ab Vrbe impulſi vrgerent.

CON-

CONFVTATIO.

QVæ ſunt conſueta figmenta Polani: ſi nanque ex ipſinſmet teſtimonio pag. 482. Triginta in reddendis ſuffragijs ſe in Pontificem reiecerant, eius etiam reſponſum ob reuerentiam, immò & ex neceſſitate expectandum erat. Sed hic ſe etiam prodit malignitas. Quo enim pacto, qui contrariæ adhærebant opinioni, ob id contra efficacius vrgebant, quod ab Vrbe, ſeù per Pontificem impulſi eſſent, ſi articulus, Pontifice, & Cardinalibus inſcijs, propoſitus fuerat, vt docuit pag. 472; Et nullum adhuc à Pontifice reſponſum aduenerat? Et ſi immò Pontifex in reſponſione poſtea data, (quam recenſet pag. 489.) nullum prorſus ea de re verbum fecit: Et Legati eius penitus mentem ignorabant, vt oſtendimus ſupra numero primo?

Et qua itidem veritate fautores Reſidentiæ, ob id à petitione receſſerunt, quòd viderent, Legatos in eo conſtitiſſe, vt res non illo tempore agitaretur, ſi eos articulos per Legatos omiſſos fuiſſe, in hoc eodem loco apertiſſimè dicit, *quòd ita deciſum eſſet*; & reſidentiam præterijſſe, *quòd ita conueniſſent, & cum aliquot officijs, vt acquieſcerent egiſſent*? Nam quid ergo certius neceſſe Legatis fuiſſe de omnibus, quæ facienda eſſent, prius cum Patribus conuenire, eorumque aſſenſum in rebus transferendis, etiam officijs elicere, nullumque ſibi per conſequens arbitrium arrogaſſe, immò nec arrogare ſibi inſuper voluiſſe, aut potuiſſe, etiamſi voluiſſent?

10. *Hiſpanorum in Pontificem, Romanamque Curiam expoſtulationes.*

HISTORIA.

PAg. 493. Longam Prælatorum Hiſpanorum ore que- rimo-

rimoniam in Pontificē, Romanamq; Curiā per hęc verba ſubtexit Curia, ſui Principis æmula, & quia de re etiam propria ageretur, de Concilij Patribus, ſed de Mantuano potiſſimùm, Seripandio, ac Varmienſi conqueri, ob murmurareque non deſiſtebat. Viciſſimque Præſules Tridentini, Hiſpaniq; præſertim Pontificem, & Curiam in priuatis inter ſe congreſſibus accuſabant, dicendo, Pontificem Synodum ſeruitute premere, cui integrē, ipſe agēdi cunctaq; decernendi, ſe nullatenus immiſcendo, diſpoſitionem permittere debuiſſet, & nihilominus, præter id, quòd nonniſi, quæ Legatis placent proponantur, quibus cuncta per Pontificem præſcribantur; cum res aliqua proponitur, & vniformis ſexaginta Epiſcoporū numerus adeſt, loquendi etiam facultate adempta, impediantur: Synòdum libertate gaudere, ab omniq; præuentione, concurſu, & cuiuſq; alterius poteſtatis interuentu immunem eſſe debere, & ei peragenda nihilominus pręſcribantur, reſq; agitatæ, ac ſtatutæ limitationi, & correctioni ſubijciuntur. Quibus ſtantibus, quonam pacto reuera nomen Concilij mereantur perſpici non poteſt. In quadraginta, & amplius ſtipendio à Pontifice conductos eſſe, quorum alijs 30. alijs verò 60. aureorum ſtipendium in ſingulos menſes pendatur, alioſq; Cardinalium, Curialiumq; epiſtolis timore percitos eſſe. De Curia vero quęrebantur, quia cum reformationem ferre non poſſit, quę ad Diuinum ſeruitium conſtituantur, calumnijs, repręhenſionibus, cenſuriſq; carperet. Et cum apparuerit quanam ratione in neceſſaria eaq; etiam tenui reformatione ſe geſſerit, maiorem ex ea motum eſſe timendum, ſi de grauioribus, eiq; magis proprijs agatur. Modum per Pontificem, eorum verbis poni debere, qui nimio feruntur affectu, & in ſpeciem oſtendi, cum obſtringi re ipſa renuat, ſincerè, ac liberè in Concilio procedi. Hiſpanoſque idcircò epiſtolam ſuo Regi communi omnium nomine (pag. 535.) ſcripſiſſe, querentes, Pontificem nolle ar-

ticulum reſidentiæ, in quo totius Eccleſiæ reformatiõ cõſiſtat definiri,& aptiſſimo,ac reuerenti verborũ circuitu Synodũ libertate carere cõcluſiſſe;addẽtes,Italos pluralitate vincere,eoſq;partim pẽſionibus,partim pollicitationibus,minus verò corruptos timore eius voluntati adhærere de Legatis querentes,qui,ſi materiam ſuo tempore(vt par erat) antequam literæ mitti poſſent ab Vrbe, decerni ſiuiſſent,res ſumma animorum conſenſione,& è re Diuina compoſita eſſet,duaſq;Prælatorum partes definitionem optare: Oratores itidem omnes inſtare;ſe verò nullatenus à caritate,ác modeſtia recedẽdo, à veritate ſtetiſſe, nec proteſtari vnquam in animum induxiſſe.

CONFVTATIO.

SEd hæc Prælatorum ore profert,vt ſe alieno pallio de more contegat;Siquidem(nec etiam diſcedendo ab hoc articulo reſidentiæ,de quo Prelatos quærentes inducit, ne nimium diuagemur) hæc omnia falſa, & calumnioſa eſſe facilè patet.

Primùm enim queri non potuiſſent Hiſpani, Pontificẽ Patribus in hoc articulo integram agendi libertatem nõ permiſiſſe, dum non Legati, ſed ipſimet Patres (vt iã probauimus) queſtionem. *An Reſidentia eſſet de Iure Diuino*, perſeipſos propoſuerunt, ac perpetuò poſtea pro libito excitarunt.

II. Et ſi illam propoſitionem fecerant, nec etiam dicere potuiſſent,*nil prorſus in Concilio factum fuiſſe, quod non per Pontificem praſcriberetur.*Præſertim addẽs 488.& 492. *Curiam de omnibus generaliter Legatis queſtam eſſe,quòd articulum illum propoſuiſſent, vel ab alijs proponi ſiuiſſent: & Pontificem pariter de Cardinali Mantuæ,quòd continuationem Concilij non declaraſſet.* Nam non ergo cuncta in Concilio ex Pontificis præſcripto fiebant.Vt etiam probat ſubdens 496. *Legatos omnes vnanimes Pontificem inſtruere decreuiſſe, cuncta eidem illucuſque acta,decretumq; iam promulgatum ſignificando,atq; ipſiuſmandata exequi impoſſibile eſſe oſten-*

*oſtendendo, & pag.*500. *Pontificem de rebus tum præteritis, tum imminentibus certum facere neceſſe eſſe duxiſſe, in eumq; finem Archiepiſcopum Lanciani Romam certum miſiſſe*; cum ex his adeò falſum eſſe aperiatur, nil in Concilio, niſi per Pontificem factum fuiſſe, vt ipſe, immò è contrà, non niſi poſt factum de rebus geſtis, & de decretis pariter poſt promulgationem conſcius fieret.

III. Et quo pacto etiã vniformis ſexaginta Epiſcoporũ numerus in reſidentia erat, ſi Archiepiſcopus Lanciani (vt ſubdit 503.) *in his motibus Romam adueniens, epiſtolam per triginta, & amplius Epiſcopos Reſidentiæ fautores ſubſcriptam Pontifici detulit, qui ſuam opinionem in auctoritatem Pontificis eſſe minimè ſentire profitebantur, quam immò aduerſus quoſcunque illibatam tueri velle declarabant*? His enim 30. ab ea conſpiratione ſemotis, 60. vniformes amplius eo tempore eſſe non poterant.

IV. Nec dicere potuiſſent, loquẽdi libertatem in Cõcilio adeptam fuiſſe, cum ipſimet Hiſpani, & quæſtionem Iuris Diuini in medium attuliſſent, & de illa ſingillatim omnes verba feciſſent, eãq; pro libito excitaſſent: & pag: 495. *non modò omnes Principum Oratores ad illam declarationem petendam induxiſſent*; ſed ipſi quoque eandem (pag: 497.) etiam in ſeſſione ipſa flagitaſſent, illumq; tumultum inſuper excitaſſent, quo, *ne quid graue oriretur addubitatum fuiſſe* ſubdit 498. adeò vt oportuerit Cardinali Mantuę apud eos, & precibus, & officijs laborare, nec motio alia ratione, quã eius tractationis promiſſione ſedari potuerit. In quo illa erat Patrum libertas, vt legati alijq; Põtificij, *attentis rebus auditis, inter ſe cõferentes dixerint* 518. *Prælatos quotidiè, ad noua, & ſeditioſa citra omnem reuerentiam dicendo, procaciores euadere; quæ non libertas, ſed nimia licentia appellanda eſſet.*

V. Et ſi dixiſſent Hiſpani, Synodum à cuiuſque poteſtatis interuentu immunem eſſe debuiſſe; nõniſi ſemetipſos damnaſſent, qui (vt ait 495.) Oratores *Cæſareos, Gallos, Luſitanos,*

ſitanos, aliiſque omnes ad declarationem Reſidentiæ petendam induxiſſent.

VI. Et multo magis, ſi dixiſſent modũ per Pontificem ponendum, illorum verbis fuiſſe, qui affectu impulſi in hoc articulo loquebantur; cũ ex Authoris fide pag. 535. *ſua ſuffragia Cæſareis pro conceſſione Calicis*, in eum tantũmodò finem polliciti eſſent, *quo è contrà Cæſareos in reſidentiæ fautores haberent*; in eoque ſe inſuper obſtrinxiſſent, quamuis Orator Hiſpanus eam conceſſionem, *nec è re Catholica, nec ſui Regis eſſe declarauiſſet.* Quibus ſuppoſitis ex ſe quiſque videat, an Hiſpani ſuo Regi ſcribere potuerint, *ſe à caritate ac modeſtia non receſſiſſe, & à veritate ſtetiſſe.*

VII. Et quo pacto poterant in Synodo rebus ſtatutis correctiones, ac limitationes fieri, cum, ſi quid forſan, etiam ad inſtantiã Principũ, fieri contigiſſet, in ipſa quinetiam ſeſſione, ob vehementiſſimas Patrum reclamationes, reſtituendum fuit, vt alibi, ex auctore notauimus.

VIII. Cumque articulus ille in medium per eoſdem, inſcio Pontifice, allatus eſſet, & per Legatos inſcio parimodo Pontifice in Congregatione, ad definitionẽ habendam propoſitus (vt pag. 481. & 482.) conqueri etiam non potuiſſent, Legatos de illo antequam ſcribi poſſet ab Vrbe, nec decerni ſiuiſſe; cum per eos non ſteterit, ſed quia non ſufficiens ſuffragiorum numerus concurriſſet ad definitionem habendam, vt docuimus in notis ad ſeſſionem XXI. Et cum res indeciſa manſiſſet, & 30. ſe in reddendis ſuffragijs in Pontificem reieciſſent, id etiam ex neceſſitate Pontifici ſignificandum fuit. Quem nec tamen ea de re quicquam Legatis in mandatis dediſſe, aut præſcripſiſſe auctor idem aperit ex uerbis Lancianenſis ad Pontificem pag. 503. alibi ſupra relatis.

IX. Cum verò pag. 482. *Solos triginta tres abſolutè* aduerſos declarationi reſidentiæ poſuerit; non verè dixiſſent Hiſpani 40. aut ſexaginta ſtipendio à Pontifice conductos

ductos fuiſſe, quando hi 40. aut ſexaginta à Pontifice perpetuò ſtabiles in deliberationibus apparuiſſent: Vel Italos omnes penſionibus, pollicitationibus, aut timore voluntati Pontificis adhæſiſſe, cùm in eodem loco vna pariter dixerint Hiſpani, *duas Prælatorum partes* eam declarationem voluiſſe. Si namque duæ partes eam declarationem volebant, non ergo Itali omnes (qui cæteris alijs numero præpollebant) voluntati Pontificis adhærebant: Et ſi Itali omnes Pontifici adhæſiſſent, non duæ ergo Prælatorum partes a declaratione eſſe potuiſſent, vt Hiſpanos pariter dixiſſe retulit.

Sed Suauis ſibi nō conſtat, & contradictiones contradictionibus, falſitateſq; falſitatibus aggerat. Si enim Pōtifex Italorum pluralitate vincebat; nonnè difficultates, & motus, quos poſtea recēſet 495. ſibimet ipſis potius aſcribere debuiſſent Hiſpani, alijq; reſidētiæ fautores, *qui maiori Italorum numero* nimis peruicaciter obſiſterent? Et ſi Hiſpani per *Pontificios ſuperari non potuerunt* (vt ait 535.) quanam veritate *pluralitate vincebat*? Et ſi omnes Itali ſe voluntati Pontificis ſubiecisſent; an ei cum Oratoribus Veneto, & Florentino agendum eodemmet tēpore fuiſſet, quò Principes *illi rem Pontificiam ſuis Tridenti Oratoribus commendatam vellent*, & nominatim, *ne ſuarum ditionū Prælati tractationibus in Sedem Apoſtolicam interuenirent, neue adeò acres in reſidentia eſſent*? An ſibi Pontifex adeo ab Hiſpanis, alijſque Tranſmontanis timuiſſet: & ob Synodi pericula, ſic trepidatum Romæ fuiſſet, vt Pontifex, ob incerta Synodi, de ope *ab armis* quærenda cogitare adigeretur, vt Polanus ſupponit? Et ad quid tot artibus adniti, quas hic fusè enumerat, vt è ſententia res caderent: Si ſequacium, præſertimq; Italorum numero nullo negocio voti compos fieri potuiſſet?

11. Pro declaratione Reſidentiæ tumultus Prælatorum.

HISTORIA.

OBlitus poſtea,ſe Hiſpanorũ ore,Italos omnes à Põtifice poſuiſſe,in contrarium illico ſubdit 495. Maiorem partem pro declaratione inſtitiſſe,Oratoreſq; inſuper Cœſareos,Gallos, Luſitanos , cæteroſq; alios petere induxiſſe,vt de ea in ſequenti ſeſſione decerneretur:ęſtũque eo vſq; efferbuiſſe,vt multi Prælati Tranſmõtani, qui ſimul conuenerãt,proteſtati,ac diſcedere præparauerint, idque cauſam motui cohibendo dediſſe, quòd Oratores veriti ne Synodus interciperetur, compertumq; habentes Pontificem cuicunq; motui fomitem prębiturum eſſe, à petitionibus receſſerint,& vt dilationi aſſenſum pręſtarent,officijs cum Epiſcopis egiſſe. &c.

CONFVTATIO.

SEd ſibi illicò contradicit addens 497. *Trigintaquinque declarationem poſtulaſſe.* Nam nõ ergo *maior pars*, ſed cum illico ſubdat pag. 498. Oratores Cœſareos, in vigeſimo ſuæ reformationis capite *Operam per Legatos dari inſtitiſſe,ne quæſtiones inutiles,quęq; ſcandalum parere poſſent, vt illa,an reſidentia ſit de Iure diuino,nec ne, & ſimiles proponerentur,vel ſaltem ne illos ira percitos agere, ludibriumq; aduerſarijs fieri permitterent*, ex hac etiam Oratorum Cœſareorum requiſitione aperit, quæ nam illorum motuum veræ cauſæ eſſent, ac proinde diſſenſiones non à Legatis,ſed à Patribus,nimium in ea quæſtione feruidis, emanaſſe: Et quam benè,ideò Simoneta,dilationem interponendo dixerit 498. *à dignitate non eſſe quæſtionem illam agitari , quouſque animi æſtuantes ob præcedentes altercationes , quæ veritatem perſpici non ſinant, componerentur.* Ex qua etiam Oratorum Cæſareorum inſtantia repugnare videtur eos eodẽmet tẽpore,quo de ſcripto reſidentiæ quæſtionem prohiberi inſtabant,eandem ſimul etiã voce promouerent.

Quæ

Quæ eo certius comprobat, dum addit eadẽ pag. 497. *nonnullos continuationem pariter declarari propoſuiſſe, idq; in eum finem interpretatum eſſe, vt aliquis excitaretur tumultus, quo diſſoluendę Synodi daretur occaſio, quòd illi rebus Romanis obſtrictiores eſſent, quos inconſultè ſuam opinionem in Reſidentia, à qua Curia abhorreat nimis liberè aperuiſſe pænituiſſet*; quandoquidem ex his Legatorum hac in re ſynceritatem perſpectiſſimam faciat, qui ſe nullatenus in maximis illis agitationibus, nec ſuis etiam beneuolis aperuiſſent, vt docet, *quod eos ſuam ſententiam inconſultè dixiſſe perhibeat*. An enim *inconſultè* dicere potuiſſent, ſi per Legatos de Romanæ Curiæ voluntate moniti antè fuiſſent?

12. *Ad ſuas muniendas partes Pontificis artificia.*

HISTORIA.

PAg. 501. De Oratoribus omnibus in Conſiſtorio querebatur, eoſq; verbis male mulctaſſe ſubdit: Cardinales Mantuanum, Scripandium, ac Varmienſem purpura indignos vocabat; & de Prælatis itidem ex occaſione obloquebatur, ſtudium adhibendo, vt ea illis per familiares innoteſcerent. Quæ non linguæ impotens, ſed arte faciebat, dicebatq; tametſi nõ hęc omnia crederentur ab eo, quò ſinguľos, partim timore, partim verecũdia, officioſaq; partim vrbanitate ad ſeſe purgãdos cõpelleret, quas purgationes, nulla difficultate admittebat, prompteque itidem accipiebat: incredibileq; eſt quàm eius res, ea ratione profecerint. Nonnullos ſibi conciliauit, alios vt cautius remiſſiuſq; agerent effecit. Cumque ingenio ad ſpem admodum erecto eſſet, dicebat, cum omnes in eum conſpiraſſent, cunctos ſe etiam ad ſuas denique partes traducturum eſſe; quando omnes ad illum gratias, opemque imploraturi accurrant.

Et 502. itidem ait. Inter multos Prælatos, quos vltimo loco miſerat, vnum fuiſſe Carolum Vicecomitem, Epiſcopum Vintimilienſem, quem cum promiſſis oneraſſet. &c.

voluit

voluit Tridenti præter Legatos occultum miniſtrum habere, mandans, vt multis ea coram exponeret, quæ paginis committenda non erant; diſſenſiones inter Legatos aduerteret, earumq; præcipue cauſas notas faceret; Epiſcoporum accuratè propenſiones, opiniones, negociationeſque obſeruaret, & quicquid momenti eſſet ſingillatim perſcriberet: Cardinali Mantuæ præceteris alijs Legatis honorem deferret, ſed conſilia cum Cardinali Simoneta, qui ſuæ mentis conſcius eſſet, communicaret, Reſidētiæq; declarationem penitus ſopiri curaret, & ni id poſſet, ad vſq; Synodi finem pertrahi: & ni etiā obtineretur, quam longius fieri poſſet, amandari adniteretur, à nulla re abſtinendo, quæ in eum finem facere potuiſſet: ſchedulam etiam illi cum eorum nominibus dedit, qui in ea materia Romanis partibus adhæſerant quibus, & gratias agere, eoſque ad proſecutionem cum ſpè gratitudinis hortari precepit, eius arbitrio permittens, cum aduerſis agendo, aliquo minarum genere, citra verborum tamen acerbitatem; ſed re ipſa, validis vti, præteritarumque rerum obliuionem ſe dedentibus polliceri. Cardinalemq; Borromeum certum ſingillatim de omnibus faceret.

Et 511. Superius notatum fuiſſe ſubijcit frequentiſſimos in Concilio extitiſſe Prælatos, qui penſionem à Pōtifice accipiebant, omneſque Simonetæ deferebant, ab eoq; dependebant, quod præceteris alijs Pontificis rebus præpoſitus eſſet, inſtructionemq; magis arcanam haberet, qui iudicij acumine pollens eorum opera, ex cuiuſq; ingenio, in rem propriam vtebatur, in eorumq; numero aliquot audacia, ſalibuſq, promptos habuiſſe, quos in congregationibus illis obijciebat, qui res ſuis conſilijs aduerſas in medium afferrent, quiq; ſerijs verborum aculeis procaciter carpendi artem edocti (ipſis tamen à perſonæ dignitate nullatenus recedentibus) alios irritarent, deriuiq; exponerent; & quatuor ex eis nominatim recenſet.

CON-

CONFVTATIO.

QVæ cum mutuò inter ſe pugnent, impoſturam detegunt. Si enim *Prælati omnes in Pontificem* conſpirauerant vt grauiſſima Pontificiſmet aſſeueratione, ac publica ipſius itidem Pōtificis querimonia probauit, omnia etiam corruunt quæ de tot Prælatis pluries ad Romanas partes muniendas per Pōtificem eo tempore miſſis, deq; tot ſtipendio conductis aſſeruit: ac proindè illę *ſchedulæ cum eorum nominibus, qui Romanis partibus adheſerant: illæ gratiarum actiones, atq; hortationes cum ſpe gratitudinis*: illique Prælati *audacia, ſalibuſque prompti in fumum abeunt*.

Et præter hęc quonam pacto, *quę paginis committenda non erant* Polanus reſciuit, ſi illud ſecretò Vintimilienſis auribus commiſiſſe ſupponit? Quod arcanum, cum à Vintimilienſi emanare non potuiſſe doceat Polanus, dum eũ vti ſummæ prudentiæ virum in rebus agendis effert.

Et Ad omnem ex his ſuſpicionem è radicibus euellendam ſufficiat, Pontificē omnia Cardinali Carolo Borromæo per Vintimilienſem ſignificari precepiſſe. Nam nonniſi ea ergo fuiſſe credendum eſt, quam quæ nullam prorſus, cum notiſſima Borromæi Sanctitate repugnantiã haberent.

13. *Seſe liberè aperientes exoſi erant offenſionibuſq; obnoxij.*

HISTORIA.

PAg. 515. Aliquot ex Epiſcopis, qui cum in reſidentiã nimium affectui tribuiſſent, ſe exoſos videbant, & verebantur, ſi perſeueraſſent, ne quid ſibi graue accideret, diſceſſionem è Tridento parabant. Inter hos Epiſcopus Mutinæ erat, de quo alibi dictum, vir apprimè eruditus, conſcientiæque ſynceræ, & alij, qui abeundi veniam à Legatis impetrauerant, cum Cardinalis Mantuę eos, vtpotè ſibi amicos, ab offenſionibus tutos optaret, quibus

tamen, Luſitaniæ Oratore agente, diſceſſio permiſſa non fuit, præſertim quòd alij quoquè poſt eos diſceſſionem meditarentur.

CONFVTATIO

SED ſunt conſuetę impoſturę Polani, qui his magis inſinuare vellet, Tridenti in eos animaduerti conſuetum fuiſse, qui liberè locuti eſsent; Sed propriam falſitatem detegit illico referens 518. (vt paulò ante notauimus) *Legatos alioſq, Pontificios attentis eis, quæ audierant, perpendiſſe, Pręlatos ad noua & ſeditioſa nullo reſpectu, dicenda, maiores quotidie animos aſſumere, quæ non libertas ſed nimia licentia ſit, appellanda.* Ex qua licentia nec ſemel quidem in neminem vnquam eo tēpore animaduerſum fuiſſe ex ſe ipſo aperit, ſubdens Ioannē Baptiſtam Caſtellum Cardinalis Creſcentij morem in Prælatorum libertate compeſcenda commemoraſſe, addendo, *ſi nunc ſemel aut iterū parimodo fieret illicò rebus Concilij conſultum eſſet* Si enim ex fide Caſtillij, ea Prælatorum licentia *in rebus nouis, ſeditioſiſq,* dicendis, nec verbis quidem vnquam illucuſque repreſſa fuerat: quonam pacto Epiſcopi, qui in reſidentiæ affectum nimium tribuerant, ſibi timere poterant, vel eos Mantuanus abire permittebat quò ſe ab offenſionibus ſubtraherent. Si ne vnum ſaltem, eius rei exemplum illucuſq; præceſſerat? Et immò in contrarium veniam abeundi dare noluerit Pontifex Cardinali Scripandio (vt petebat pag. 660.) qui ab opinione Iuris diuini ſtabat, vt ait 603. Et ipſi quinetiam Archiepiſcopo Granatæ, qui non ſolum queſtionem illam excitauerat, ſed eam acerrimè promouebat, vt ibidem parimodo ait?

Et qua veritate Creſcentius in pręcedenti Synodi reductione, in qua præſederat in Prelatos animaduertebat, ſi ipſe Polanus, qui tot nugas, & fabulas eſt commentus ne vnum quidem exemplum ea de re in tota ſua narratione recenſuit?

14. Le-

14. *Legatorum prenſationes, & ſtudia.*

HISTORIA.

PAg.524. Legati Mantuanus,& Simoneta ad inuicem conciliati,de ratione,qua plenè in Reſidentia Pontifici ſatisfacerent pertractarunt,& quinam ex Prælatis, ad alios perſuadēdos idonei eſſent:& cum eos,qui rebus Romanis apertè adhærerēt,quamuis aptos, vtpotè apud alios nō fide dignos,improbaſſent,duos,& probitatis fama,& in rebus agendis dexteritate præditos huic negotio adhibuerūt,Epiſcopos Mutinæ,& Brixiæ: & pag.535. cum Prælatorum concertationes eorum ſtudia prouocaſſent;qui de reſidentia certabant, ex quo ijdem,& de Synodo apſoluenda,& de reſidentia ſilentio præmenda laborarent, indè Mantuano, ac Scripandio opportunitas fuit Pontifici rebus ipſis oſtēdendi,quanam ratione eius voluntati ex inſtructione ſibi à Lancianenſi coram expoſita,obſecundarent. Ad officia aptè peragenda Archiepiſcopum Tarentinum,Epiſcopoſq;Mutinæ,Nolę,ac Brixię adhibuerunt, qui Pontificij aperti non erant, ſed in eius partes traducti.Hi autē multos Italos ſuperarunt eis ſuadendo, non vt ab opinione recederent, ſibiq; contradicerent,ſed ne illam amplius materiam promouerent, fidemq;à multis acceperunt,ſe,ceſſantibus Hiſpanis,ceſſaturos eſſe ac recenſitis, quos perſuaſiſſent, haud parum profeciſſe agnouerunt, cum tamen apud Hiſpanos proficere impoſſibile fuerit,quòd arctius inuicem iuncti,Epiſtolam Regi,communi omnium nomine, ea de re ſcripſerint(quam ſupra recenſuimus) ex quo euentu Legati,adhærenteſq; rem ſuperare impoſſibile eſſe intellexerunt. Nam cum Hiſpani, nec literis Regis, nec officijs acquieuiſſent, immò ex eiſdem epiſtolis declarationem nouam feciſſent, eos inſuperabiles eſſe firmiſſimè credendum erat.

CONFVTATIO.

VBi certiſſima eſt impoſtura. Si enim (vt dixit 515.) Mutinenſis *Syncerę conſcientię* erat, repugnat, non ſolum illum receſſiſſe ab opinione, quam ex religione tenebat, vt ſe Pontificis partibus manciparet, ſed inſuper munus alios ab illa opinione remouendi ſuſcepiſſe. Quæ eſt prima impoſtura.

Et quo pacto ab illa opinione receſſit. Pontificijſq; adhæſit, ſi, cũ eo tempore præpoſitus eſſet cenſuræ concionum quæ in Synodo habebãtur, vt ait 454. permiſit Epiſcopo Firrianæ verba in ſeſſione *de Calice & reſidentia* facere, quæ Legatos ſilẽtio pręteriri cupijſſe inquit 521? Ex quo facile etiam aſſumi poteſt, an ob reſidentiam ſibi ante timeret, diſceſſumq; ea de cauſa pararet. Quæ eſt ſecunda impoſtura.

Addit tamen, eum non Pontificium apertum, ſed acquiſitum fuiſſe. Quæ eſt tertia impoſtura. Cum enim Pręſules Hiſpani Inſtitutionem Epiſcoporum de Iure diuino declarari inſtarent, & Pontificij contra vrgerent, cum dicat pag. 602. *Prælatos frequentiores pro opinione Hiſpanica in Sacrario, alioſq; apud Epiſcopum Mutinenſem pro eadem, Põtificios verò apud Archiepiſcopum Hydruntinum, & alios conueniſſe* non ſolum Mutinenſem inter non Pontificios collocat, ſed eum inſuper aduerſorũ caput conſtituit. A qua queſtione cum (ex fide auctoris 593.) *ad reſidentiam neceſſariò tranſitus fieret*, cõſequitur quoque Mutinenſem nec etiã in Reſidentia Pontifici adhęſiſſe, ac proindè falſo aſſeri, Mutinensẽ hoc in articulo ad Põtificis partes trãſiſſe.

At replicat, Pontificius occultus erat. Quæ eſt quarta impoſtura, quonam pacto enim occultus, ſi dixit 524. Mutinenſem in Reſidentia officijs, & prenſationibus ad Prę̨latos Pontificis partibus conciliandos egiſſe, ex quibus proculdubio ſe Pontificium apertiſſimè declaraſſet.

Et quo pacto Brixienſis quoque Pontificius erat, ſi cũ Pontifex nil magis (ex auctoris fide pag. 527.) quàm Synodi

nodi abſolutionem vrgeret, vt Lancianenſem Pontificijs palam aperuiſſe retulit 534. Brixienſem nihilominus *rationem aliquam mediam inter abſolutionem, & ſuſpenſionem* iniri propoſuiſſe perhibet pag. 778?

Quare ſi per hos duos Legati cum Prælatis egerunt, & per Mutinenſem potiſſimùm, quem *Syncera conſcientiæ* virum appellat, ex hoc etiam ſolo tutò concludi poteſt, Legatos ex horum opera, non Sequaces Pōtifici quęſiuiſſe (cum reuera Pontificij non eſſent;) ſed per eos potius Prælatos inter ſe diſſidentes ad decernendam veritatem conciliare ſtuduiſſe, cum omninò repugnet Legatos ob id eos elegiſſe, quò, vti non Pontificij, apud alios fidem haberent, cum eam exiſtimationem, & operę pretiū per conſequens illicò amiſſuri eſſent, quò ſe apud alios ex illis prenſationibus Pontificiarum partium fautores declaraſſent. Quod patet cum ſubdat, *hos multos Italos ſuperaſſe, fidemq; à multis accepiſſe, ſe, ceſſantibus Hiſpanis ceſſaturos eſſe*.

Si enim Legati per Mutinenſem, & alios officijs etiam cum Italis egerunt, ergo ad ſolum eos Hiſpanoſq; inter ſe diſſidentes conciliandos, nō autem ad Sequaces Pontifici quærendos, cum apud Italos laborare opus non eſſet; quos omnes Pōtificiarum partiū Sequaces fuiſſe ore Hiſpanorum ſuppoſuit. Licet addens, officia illa cum Italis fuiſſe, *non vt ab opinione recederent, ſed ſolum ne materiam amplius illam promouerent*, oſtendat. Italos ita Pōtifici adhæſiſſe, vt tamen in rebus fidei à propria ſententia non recederent: & in alijs rebus non à ſolo nutu Pontificis penderent, ſed cum eis officijs, & maximè etiam laborandum eſſet.

Mantuanum verò, & ſeripandium Pontificiam rem ſedulò agitare cæpiſſe, adeo vt ſubdat Pontificem Legatorum in Concilio vnanimitate, & ardenti, quod præſeferebant ſtudio, operibuſq; auditis, leuamē *accepiſſe*, non conſonat, cum eo quod paulò poſt de eiſdem Legatis refert

593 nempe eos *apud alios Pontificios vituperatos fuiſſe, quibus vitio vertebant eos euentura non niſi poſtquam pericula adeſſent præmeditari res temere agerent, non prudentum cõſilia, ac monita admitterent, qui ab initio Granatenſis ſententia prolata validis officÿs occurrendum eſſe admonuerunt, vt poſtea, importunè tamen, faciendum fuit, eorumq; incuria (ni aliqui malitia peccaſſent) materia in mediũ afferrentur, quas maximi ponderis detrimenta ſequantur*. Quæ contrarietates auctoris in omnibus conſtantiam arguunt.

15. *Pro Pontifice Regis Catholici, cum ſuis Prælatis officia.*

HISTORIA.

PAg. 525. Marchio Piſcariæ exemplar epiſtolæ ſibi à Rege ſcriptæ Tridentum ad ſuum Secretarium mi- ſit, in qua inter alia, Rex ſuis Prælatis eius Maeſtatis nomine ſignificari mandabat, ſe controuerſiam diſceptationemq; Reſidentię, deq; illa de Iure diuino declarãda petitionem ab eis factam audiuiſſe, & licèt eorum zelũ, rectamq; intentionem laudet, eam tamen declarationẽ parum hiſce temporibus facere ſentiat; nec amplius in ea idcirco petitione perſiſterent; Granatenſemq; dixiſſe rem benè agi, cum ea declaratio Pontifici non placeat.

CONFVTATIO.

IN quo non deeſt contradictio, cũ oblitus, ſe paulò antè Oratorum Gallorum ore dixiſſe, *Hiſpanos ſui Regis epiſtolis conſternatos obtorpuiſſe*, hic ſubdat ſibi ſemper cõtrarius, eoſdem Hiſpanos, *nec Regis epiſtolis, nec officÿs acquieuiſſe, & nouas inſuper declarationes feciſſe, ſeque inſuperabiles oſtendiſſe*.

16. *Ad declarationem Reſidentiæ in Pontificem reÿciendam conatus.*

HISTORIA.

PAg. 583. Legatos Pontifici ſcribendo, in memoriam ei reuocarunt, iam tempus adeſſe, quod reſidentiæ tracta-

tractationi præſtitutum fuerat,eiuſq;rei aliquem iam motum fieri;Archiepiſcopumq;Meſſanæ,Cypri,Iaderenſiſq; mentem exploraſſe ſi proponeretur,& multas prenſationes ſubodorari,quãuis res penitus explorari non poſſet, ſeq;iam Hydrũtino,& Vintimilienſi mentem Prælatorum callidè explorare iniunxiſſe,ſi rem in Sanctitatem Suam reijci proponeretur;& numero exactiſſimè expenſo,reperiſſe ſexaginta,citra omnem ſpem neminẽ eorum officijs remouendi acritèr aduerſos fore,& cũ Secretarius Marchionis efficacibus cum Hiſpanis officijs inſtitiſſet, nil aliud tamen retuliſſe quàm eos,citrà acrimoniam,repugnaturos eſſe,ſuamq; ſententiam pacato animo, ac ſinè ſtrepitu prolaturos,quòd ſcirẽt maiorem partem, vtpotè,quæ à Pontifice dependeret à contraria opinione ſtare,ſed ſuæ ſaltem conſcientiæ conſulendum per eos eſſe, cum optimè ſcirent,id, nõ Sanctitati Suæ(de cuius optima,ac ſanctiſſima mente certi erant)ſed Epiſcopis,qui apud eum morentur contrarium eſſe. Addiderunt etiam, eoſdem Hiſpanos, cum de re in Pontificẽ reijcienda peragi præſenſiſſent,dictitare,idem in vſu quoq;Calicis factum fuiſſe,vt vanum eſſe Concilium ad Leuia tantũmodo pertractãda, haberi,quæq;remedio indigeant,in alios reijcere. Certum etiam Pontificem fecerũt de promiſſione Oratoribus facta,proponendi reformationem,& vlterius differre impoſſibile eſſe:cumq; Nuncij de Lotharingij Gallorumq;aduentu afferantur,& fama ferat,eos noua molituros eſſe pro comperto etiá habendum fore cõcludebãt,illos cum eis conſpiraturos eſſe, quos Tridenti infenſos reperient.

CONFVTATIO.

SEd hanc Epiſtolam commentitiam eſſe patet ex pluribus. Primùm,quia licet addat, Legatos epiſtolam concluſiſſe dicendo, *ſi, cum in tot conſiliorum ambiguitatibus, quid facto opus ſit diſcernere nequeant decreuiſſe Sanctitatis eius mandata expectare* nihilominus mãdatis Põ-

tificis

tificis nullatenus expectatis,illicò,decretum circa ſuperioritatem Epiſcoporum(de qua in ea epiſtola nominatim Pontifici ſcripſerāt) formatum fuiſſe ſubdat 587 : in quo poſitum fuit *Epiſcopos Iure diuino Superiores eſſe.* Nam hoc vtiq;non permiſiſſent Legati ſi eius mandata expectare ſcripſiſſent. Dein quia licet Legati in dictis epiſtolis dicāt, *non potuiſſe ſe* (in eo articulo ſuperioritatis Epiſcoporum) *conſilia Hiſpanorum explorare*, nihilominus Pontificem, dictis epiſtolis lectis, *conſilia, quæ in Hiſpanis detegebantur* recenſuiſſe narret 585:& demum quia cum referat in eadem epiſtola Hiſpanos dixiſſe, *maiorem Prælatorum partem (vtpotè à Pontifice dependentium) ab eo in Reſidentia ſtare*; Pontificem in contrarium, dictis literis perſpectis, palam queſtū fuiſſe affirmet, *Prælatos omnes, etiam quos proprio nomine miſerat ſibi aduerſos eſſe.* Quæ cū ſe inuicem oppugnent, huius epiſtolę impoſturā conuincunt.

Nec aliæ deſint in dicta epiſtola repugnantiæ. Nam licèt dixerit ore Hiſpanorū, Legatos nil prorſus niſi de expreſſo Pontificis mandato egiſſe, in hac tamē epiſtola in qua Legatos Pontificē de promiſſione reformationis proponēdę per eos Oratoribus facta certum fuiſſe. Nā ergo, poſt factum Pontifici rem tanti momenti ſignificarunt.

Repugnat quoque Legatos, officia apud Hiſpanos per Secretarium Piſcarij(vt ait)interponi curaſſe, & pag. 617. ea per Sentorem Molines iteraſſe cùm paulò ante(vt dixit)fruſtra apud eoſdem Hiſpanos ipſiuſmet Regis auctoritatem interpoſuiſſent, eoſque *inſuperabiles eſſe* Pontifici iam ſcripſiſſent ? Non enim credibile eſt tantos viros ſic cerebro vacuos fuiſſe, vt crederent plus virium fore, verbis Miniſtrorum, quàm ipſiuſmet Regis auctoritati atq; officijs. Quæ tamen officia (ſi verè facta fuerūnt) non pro Pontifice eſſe potuerunt (vt iam oſtendimus) ſed ad Hiſpanorum peruicaciam expugnandam, qui contra maioris partis ſententiam declarationem de Iure diuino vrgebant vt patefecimus.

Et

Et ſi Prælati omnes in Pontificem conſpirauerant (vt ipſius Pontificis ore dixit pag. paulò antè notata 501.) ſi maior pars in hoc vtique articulo à Pontifice ſtabat, non ergo quòd ab illo dependerent (vt ore Hiſpanorum dixit,) ſed quia ex religione ita ſentirent.

Præterea quorſum hęc artificia prenſationes, & machinationes quas Pontificijs aſcribit, ſi ex illa *in maiori parte opinione* res Pontificia in tuto fuiſſet? Quare ad Patres ſolùm inter ſe conciliandos, officia illa fuiſſe neceſſario dicendum eſt, ſi verè facta fuerunt.

Demumq; repugnat, Hiſpanos repræhẽdiſſe, quòd Calicis conceſſio per Synodum facta non fuerit, ſed in Pontificem reiecta; cum ipſos conceſſioni aduerſos fuiſſe: idque, *negatiua praualente* factum eſſe retulerit.

17. *Ad ſibi conciliandos ſequaces Pontificiorum ſedulitas.*

HISTORIA.

PAg. 604. Legati cum reformationem proponere deberent, vt multa vitarent incommoda, à Reſidentiæ incipere decreuerunt. Quæ Pontifex hac in re ſcripſiſſet iam dictum fuit: & exinde Legati cum adhærentibus decretum formare aſſiduè cogitarunt, quo ſatisfieri Pontifici poſſet; nec etiam recedendo à promiſſione Prælatis per Mantuanum facta, quandoquidem de illa in Pontificem reijcienda verba illicò facere contrarium illi promiſſioni cenſerent; arduumq; admodum videretur, quod nam decretum proponi poſſet, ſiq; difficilias obijceretur tunc de illa in Pontificem reijcienda ageretur: ſeduloque recenſitis, qui in rẽ Pontifici permittendam attrahi poſſent, quique omnino aduerſi forent; Cõcilium in tres ferè partes equales diuiſum animaduerterũt, nempè in his duabus, & eorum, qui definitionem in Synodo, citra Sanctitatis ſuæ offenſionem, voluiſſent, quorum pleroſque ad ſuas partes traducere, aduerſarijſq; prẹualere ſperabant, ac inter ſe negociũ partiti, adeo efficaces fuerunt, vt præ-

ter alios, ſeptem Hiſpanos ad ſuas partes traduxerint.

CONFVTATIO.

EX quibus multæ ſe produnt impoſturæ. Primũ quod has prenſationes ideo factas fuiſſe obtrudere velit, vt ſequaces Pontifici conciliarent; cum officijs, non in eum finem egerint cum Prælatis, ſed ad eos inter ſe diſſidentes (vt diximus) conciliandos.

II. Vel falſum eſſe, quod ſupra Hiſpanorum ore dixit, nempe *maiorem Prælatorum partem, vtpotè à Pontifice dependentium ab eo in Reſidentia fuiſſe* (*cum tertiam* ad ſummum partem ab eo fuiſſe neceſſariò ſequatur, *ſi in tres partes æquales diuiſi erant*;) vel hæc officia, quæ auctor ad Prælatorum ſuffragia captanda ſupponit falsò Legatis aſcribi. Quorſum nam enim officijs ad captanda Pręlatorum ſuffragia, laborare, ſi res Romana ex adhærentia maioris partis in tuto fuiſſet?

III. Non verè auctorem paulò antè dixiſſe, Lagatos nil prorſus feciſſe quam quę ſolum Pontifex precepiſſet. Cum namque precepiſſet Legatis pag. 586; *vt articulum Reſidentiæ ad ſe abſque vllo decreto reijci omni ope curarent*; hic nihilominus ait *Legatos cum adhærentibus decretum ea de re formare aſſidue cogitaſſe*. Quod eò magis repugnat, quia mandata Pontificis exequi difficilè non fuiſſe, ſi verè (vt auctor Hiſpanorum ore dixit) maiorem à ſe Prælatorum partem habuiſſent.

IV. Quorum officiorum impoſtura ex eo etiam conuincitur, quòd dicat *ſeptem Hiſpanos inter alios ad partes Pontificis tranſiſſe*. Cũ enim immediatè decreto cum præmijs, & pęnis per Legatos propoſito oppoſitũ fuiſſe referat, *huic decreto omnes aduerſos fore, qui declarationem de Iure diuino petijſſent*, neminẽ etiam ex Hiſpanis (cum omnes declarationem illam petijſſent) Legatis adhæſiſſe conſequitur. Et ſi tot alij præter Hiſpanos ad eorum verè partes tranſiſſent; an de illa oppoſitione timere vnquã potuiſſent?

Quod

Quod aperit melius ex facto ipſo, non ſolùm, quia Legatos difficultatibus perterritos, *rem protrahere ſtuduiſſe* ſubijciat; ſed quia decreto, cum præmijs, & pœnis per eoſdem propoſito, rem nihilominus *effectu caruiſſe* narret. Quo enim pacto a votis excidere vnquam potuiſſent, ſi tot Prælati eorum reuera partibus acceſſiſſent?

Et mendacium ex ipſius tandem Pontificis teſtimonio corruat, quem in referendis in Conſiſtorio diſſidijs ob inſtitutionem Epiſcoporum, & nouam propoſitionem Reſidentiæ exclamaſſe ſubdit 611. *Epiſcopos omnes quos beneficijs auxiſſet, ſibi aduerſos eſſe, exercitumque ſe inimicorum Tridenti alere*, cum ex his aperiat Prælatos, nec beneficijs præteritis, nec præſentibus officijs, ad partes nihilominus Pontificis tranſiſſe: & ea idcirco beneficia, & officia aſſertaſque illas penſiones ac ſtipendia, vel eius commenta eſſe; vel non in eum finem, quem malignè ſupponit data fuiſſe, poſito etiam, quòd verè data fuiſſent, quod falſiſſimum eſſe ex auctore probauimus in ſecundo capite primi libri.

18. *Galli, & Hiſpani ex ea declaratione modum Romanæ Curia ponere querebant.*

HISTORIA.

PAg. 622. Idem erat Gallorum, Hiſpanorumq; ſcopus modum ſcilicet ambitioni, atq; auaritiæ Curiæ ponendi, quæ ex inutilibus, nulliuſque fructus præceptis ex arbitrio dominetur, magnamq; pecuniæ vim è Regionibus Chriſtianorum ob diſpēſationes, beneficiorumque collationes abſorbeat. Sed Hiſpani, cum eorum Regnorum Populi auctoritatem Pōtificis deuotè admodum venerentur, & Rex, eiuſque Conſilium à nouitatibus abhorreant, cenſebant, ſi id apertè ac de directo fieret, inde ſcandalum oriri poſſe, remque effectu caritu-

ram eſſe, cum Pontifex tot facile difficultates apud Principes obiecturus ſit, ob quas nunquam ad declarationẽ deueniri poſſet; quare à longinquo, ex eius Nationis more collimandum eſſe, atque inſtitutionem, reſidentiamque Epiſcoporum à Chriſto, & de Iure diuino eſſe declarando, exiſtimarunt illum ordinem populo venerabilem reddere, & quam vim Romana Curia in eorum perſonas intentare poſſet prohibere, eaque ratione commodam illis facultatem dare, qua temporis progreſſu, Eccleſias reformare poſſent, libertatem à Romanis recuperatam ex Dei ſeruitio, populorumque tranquillitate reſtituendo. Quas artes Galli, vti vanas negligebant. &c.

CONFVTATIO

QVæ conſueta malignitate, & odio in Romanam Curiam cõminiſcitur, vt patet, quòd ſuprà in contrarium 214. *dixerit hac magno affectu inter Epiſcopos acta fuiſſe, & Hiſpanos non ſolùm Theologis, qui Ius diuinum tuebantur adhaſiſſe; ſed illis fomitem dediſſe, eoſque ob arcanum, quod inter ſe ſolos communicabant, authoritatem ſcilicet Epiſcopalem amplificandi, ſtimulaſſe*. Nam ſi non zelo, ergo Hiſpani, vel deſiderio ponendi modum ambitioni, atque auaritiæ Curiæ, nec in finem, quem ſupponit, ſed vt auctoritatem tantummodo amplificarent mouebantur; quis non videat Polanum vna fidelia duos parietes dealbare voluiſſe? Et præter id Summæ etiam Hiſpanorum Religioni ac pietati repugnet, eos dixiſſe, collationes beneficiorum, & diſpenſationes à Curia Romana vſurpatas fuiſſe, quas certum eſt, Romanos Pontifices perpetuò in Eccleſia exercuiſſe, vt probabimus in quarto libro in notis ad pag. 226.

Digitized by Google

19. *Res ſola auctoritate, ſuffragiorumque numero, non rationibus expendebantur.*

HISTORIA.

PAg. 627. Frater Albertus Duimius Epiſcopus Veglanenſis, allegando materiam reſidentiæ in Concilio ſub Paulo III. diſcuſſam, eiuſque definitionem in aliud tempus reiectam fuiſſe, neceſſe idcirco fore addidit, rationes per Prælatos tunc temporis allatas inſpicere. In præſenti enim ſuas ſententias, nullis rationibus adductis, dixiſſe. Sed ſe non ita cenſere, quaſi rem ſola auctoritate, ac numero ſuffragiorum, non autem rationibus dirimere, obtendant, omneſque poſteà rationes recenſuit, quibus eam de Iure diuino probaret, aduerſaſque euerteret. Subditq; Simonetam interfari voluiſſe, ſed ob ea, quæ cum Epiſcopo Guadicenſi acciderant, abſtinuiſſe; tamẽ multis præſentibus Prælatis, auitum eùm acriter increpaſſe, quòd cõtra Pontificem locutus eſſet, Epiſcopumque ſe humilitèr defendiſſe, rationibus, & paucos poſt dies ægritudinem cauſatum, miſſionem petijſſe, ac diſceſſiſſe.

CONFVTATIO

SED hæc à ſe commenta eſſe illico patefacit, dum, immemor, præciſis verbis addit ibidem, *controuerſiam Reſidentiæ ſtatum poſthac mutaſſe, & qui ab ea abhorrebant non amplius (vt hactenus factum erat) rationibus, vel authoritatibus eam de iure poſitiuo eſſe oſtendere contendebant.* Nam ſi ea diſceptatio *illucuſque*, (vt præciſis verbis fatetur) *rationibus, & authoritatibus agitata fuerat* non poterat Veglanenſis dicere *Patres ſuas ſententias nullis rationibus adductis dixiſſe*, nec ea idcirco de re (quam dicere non potuit) à Simoneta reprehendi, atque ideo veniam abeundi petere: ac proinde neceſſariò

con-

conſequitur id eſſe Polani figmentum, vt ſuper hoc falſo fundamento aliam falſitatem ſuperſtrueret, addendo *eos, qui à reſidentia aborrhebant, non amplius rationibus, vel authoritate*, ſicut hactenus factum fuerat, eam de iure poſitiuo eſſe oſtendiſſe, ſed eos, qui aduerſæ opinioni adhærebant perterrefacere cœpiſſe, dicendo eam iuri Diuino tribuere nil aliud eſſe, quàm aucthoritatem Pontificis minuere: quæ maledicta, fundamento euerſo cui innitebantur, ex ſe corruunt.

Verum, quemadmodum artes, quas in hoc reſidentiæ negocio Pontificis tribuit, nonniſi Authoris commēta, & impoſturas eſſe vidimus; ſic ex ipſius etiam narratione luce clariùs perſpicitur, illam rem omni prorſus Synceritate per Pontificem agitatam fuiſſe.

Primùm, quia materiam illam, in hac tertia quoque Synodi reductione, proponi ſiuerit, quamuis in prima olim propoſita adeò *periculi plena viſa eſſet*, *vt Legati* (ex relatione Polani 423.) *eam ſilentio obuoluendam eſſe cenſuerit*.

II. Quia cum articulus proponendus eſſet, nulla prorſus præcedente Pontificis conſultatione, acciderit, vt docet, cum de eo poſt ſuffragia Tridenti reddita, *Romæ conſultum fuiſſe* referat 489. & quia Legatos (qui opinioni de Iure diuino adhæſiſſent) ex eo ſe apud Pontificem, per Lancianenſem purgaſſe dixerit, quod *nullum indè incommodum, oriturum eſſe preuidere non potuiſſent*, cum alijs, quæ paulo antè notauimus, quod dicere proculdubio nequiſſent, ſi res, & Romæ prius per Pontificem, & poſtea per eos Tridenti examinata fuiſſet.

III. Quia nil prorſus eo in negocio præſcripſerit, aut in mandatis dederit, vt patet ex perpetuis inter ſe Legatorum diſſenſionibus (cum ipſorum alij ab opinione Iuris diuini eſſent, & eam alij oppugnarent), & ex dicta Lancianenſis ad Pontificem Legatione perſpeximus.

IV. Quia cum de tanti momenti materia deliberandū eſſet,

eſſet, Legati, non ſolum intimum Patrum ſenſum, explorare neglexerint, ſed rem immò deliberationi ſubiecerint, licèt etiam Cardinalis Mantuæ *maiorem partem declarationem petijſſe* affirmaſſet 481.

V. Nec ipſos, quos Pontifici obſtrictiores appellat, quid facto opus eſſet admonuiſſet, vt declarat, quòd *incautos ſuam ſententiā nimis liberè aperuiſſe, eoſq; penituiſſe* retulerit

VI. Immò nec eiſdem, quin inſuper Theologis etiam a ſe proprio nomine miſſis ſuam mentem aperuiſſet, cum Torrenſem, ab eo miſſum, *reſidentiam de Iure diuina eſſe aduerſus Catharinum defendiſſet* pag. 528: & ab eis quin etiam Prælatis ad Synodum mittendis illo tempore abſtinuerit, qui apud ſe eſſent, vt in cap. 2. primi libri notauimus.

Ex quibus alia detegitur Polani malignitas, quod ſuffragijs in illo articulo redditis, cum 30. Patres ſe voluntati, & conſultationi Pontificis reiecíſſent, dicat id eos feciſſe, *quòd ea ratione melius ſuis Dominis inſeruire opinarentur*. Si namq; illo tempore, quid in eo articulo, è re ſua eſſet, nec ſuis quin etiam Legatis Pontifex aperuerat (vt docet auctor ex dicta Legatione Lancianenſis pag. 503.) per quos ergo illi 30. quid eo in articulo è re Pontificis eſſet inſtrui potuerunt?

Et cum ex dictis, luce ipſa meridiana clarius appareat; tum ea, quæ Pontifici, Romanæq; Curiæ in hoc reſidentiæ negotio aſcribuntur, ſolas impoſturas eſſe; tum Pontificē ſe, ea in re ſyncerè omnino geſſiſſe, facilè itidem aſſumi poſſe credimus, quinam eorum motuum Authores eſſent: & quam verè idcirco Pontifex Concilij Patribus, & epiſtolis, & ore Lancianenſis declarauerit pag. 504. *Se velle Concilium liberum, omneſque ex conſcientia loqui, & ex veritate decerni, nec ex ſuffragijs redditis, ſed ob prenſationes, & machinationes ad alios permouendos, perque vim adigendos, & ob contentiones, acerbitateſque inter eos ortas affectum fuiſſe, quæ indigna prorſus Concilio generali eſſent: nec ſe reſiden-*

ſidentia declarationi obÿcere. Sed tantummodo conſulere, vt quò agitabantur aſtum deferueſcere ſinerent, & quando animi ſedati fuiſſent, ſolamque diuinam rem, Eccleſiæque bonum reſpicerent res proficuè agitari poſſent. Quę quidē ab eo nullatenus omittenda erant, cum idem quoque dixiſſent Oratores Cæſarei in ſupra notato 20. ſuæ reformationis capite, perpendentes, *quaſtiones reſidentia, & ſimiles, vt potè inutiles, & quę ſcandala pariant, per Legatos permittendas non eſſe, quod concitatis mutuò animis Patres adeo æſtuarent, vt ludibrio aduerſarÿs eſſent.* Siquidem nimio (vt ex Authore perſpeximus) affectu impotentes mutuò inter ſe contendebant, ex quo alij indiſſolubili reſidentiæ vinculo obſtringi horrerent; alij verò ea ſe declaratione Pontifici coęquandos fore ſibi nullo prorſus fundamento perſuaſiſſent.

Et poteſt etiam ex his facilè conijci, quinam æquius ergo quererentur, cum ex Authore pag. 500. *mutua offenſiones, detractationesq; Romanorum aduerſus Tridentinos, & horum viciſſim aduerſus illos, nouis ſubindè tabellarÿs aduenientibus augerentur, quandoquidem Tridenti reſidentia fautores miſeram Eccleſia conditionem, Synodi ſeruitutem deſperationemq; manifeſtam Eccleſiam Roma reformatam videndi deplorarent, & aduerſi è contra ſchiſma in Synodo; immo à Sede Apoſtolica apoſtaſiam moliri lamentaretur; ac dicerent Tranſmontanos odio, atq; inuidia in Italos, non tàm depreſſionem, quàm abolitionem Pontificatus meditari qui cum ſit Eccleſia fundamentum, vt illum Chriſtus conſtituerat, vnà etiam totius ædificÿ labem ſubſequi neceſſe eſſet.* Et hæc ſint dicta de hac reſidentię quæſtione, in qua cum tot machinationes, & artes, non tàm falsò, quam calumnioſè Pontifici, ciuſq; miniſtris aſcribi manifeſtum ſit, de reliquis, quæ itidem in alijs adijcit facilè indè conijcere, atque inferre poterimus.

INSTI-

INSTITVTIO

EPISCOPORVM

SVMMARIVM.

1. *Hiſpani Inſtitutionem Epiſcoporum de Iure Diuino declarari inſtantes, à Legatis reiecti, quæſtionem proponunt.*
2. *Legati, in decreto, Epiſcopos Iure Diuino ſuperiores eſſe apponi renuunt.*
3. *Eorundem prenſationes, & artes.*
4. *Apud ſuum Regem,* Hiſpanorum *purgatio: in legatoſq; expoſtulatio.*
5. *Ea de re, ad Cardinalem Lotharingium, Epiſcopi Leirienſis Inſtructio.*
6. *Simoneta Prelatos ex Nationibus, ad rem expediendum, conſtitui renuit.*
7. *In Epiſcopum Guadicenſem offenſio.*
8. *Pro Iure diuino Alifenſis Epiſcopi diſſertatio.*
9. *Legati, de eo quod per ipſos fieri vellet, certiorem Inſtructionem à Pontifice petunt.*
10. *Ob Pontificis, Epiſcoporumque auctoritatem, & ob alias diſſenſiones.*
11. *Qui Pontifici non adhærebant, Romæ calumnijs obnoxij, facultatemque abeundi facilè impetrabant.*

1. Hiſpani Inſtitutionem Epiſcoporum de Iure diuino declarari inſtantes, à Legatis reiecti, quæſtionem proponunt.

HISTORIA.

PAg. 571. Congregatione peracta, Quinqueccleſienſis cum ſuis Hungaris, nonnulliſque Polonis, & Hiſpanis,

incipere cogitabant, in ſcriptis redigerent. Ipſumq; deſignarunt Granatenſem, Gaſparem Coruantem Archiepiſcopum Meſſanæ, Epiſcopum Segobienſem, Martinum de Corduba Epiſcopum Dertunenſem, cuius cauſa res non vltrà proceſſit. Nam, cum ſecretò cum Pontificijs communicaret, ab eo recipiendo munere, ſe vti negocio imparem exemit, &, dicendo etiam id è temporis opportunitate non eſſe, Quinquèccleſienſem verò, non religione moueri, in eumque ſolum finem tendere, vt Pontificem illo reformationis timore, ad Calicem concedendum adigeret, cui ipſi aduerſi fuiſſent; cumque ſe pronis auribus audiri videret, ſic efficaciter perſuaſiſſe, vt, re infecta, atque interpoſita dilatione, diſceſſerint.

Non diù tamen res dilata fuit. Nam ſequenti die Granatenſis, Brachatenſis, Meſſanenſis, Segobienſiſq; inſtiterunt Legatis, vt articuli, iam à Cardinali Creſcentio in hoc eodem Concilio propoſiti tractarentur, cum Epiſcopos à Chriſto inſtitutos, & de Iure diuino Presbyteris ſuperiores eſſe concluſum, licèt non promulgatum eſſet: & Legati, conſultatione habita, reſponderunt, cum Lutherani idem eſſe Epiſcopum, ac Presbyterum affirmaſſent, æquum eſſe, Epiſcopum ſuperiorem declarari; ſed decernere, quo iure, & à quo Epiſcopus inſtitutus ſit cum de hoc nulla controuerſia eſſet, non oportere, & Granatenſi, immò in hoc controuerſiam eſſe replicante, &, ſi res per Theologos agitetur huiuſce capitis declarandi neceſſitatem perſpicuam fore dicente, cum Legati nihilominus aſſentirentur, & hinc inde non ſine aliqua indignatione, altercatum eſſet, Hiſpani re infecta abierunt, in eo tamen conſtantes, vt officijs cum aliquo ex Theologis agerent, quò rem in diſcuſſionibus introducerent, cum ſuffragia in Congregatione reddenda eſſent, quæſtionemq; in medium afferrent. Quo ad aures Pontificiorum delato, euulgari inter Theologos

 man-

mandarunt, Legatos de illa quæſtione verba fieri prohibuiſſe: ſubdens pag. 580. Prælatos Hiſpanos, quibus fixum eſſet eam rem agitare, cum Theologis egiſſe, qui quæſtionem in medium attulerint: Et pag. 582. Fr. Antonium de Groſſeto Dominicanum, cum de ea verba feciſſet, animaduertentem id à Legatis, alijſque non æquis auribus accipi, veritum, ne quid ſibi graue accideret, vt alijs occaſionibus factum fuerat, ſubdidiſſe, ſe impræmeditatum, verborumque conſequentia, ipſoque diſſerendi feruore impulſum, atque immemorem de ea re loqui vetitum fuiſſe, in diſceptationem prolapſum eſſe, legatos verò animaduertiſſe, id Granatenſis, aliorumque Hiſpanorum arte factum fuiſſe quò Prælatis viam ſe in hac materia diffundendi, aperirent, actumque eſſe, vt ab aliquo ex ijs, qui reliqui erant (cum ſoli quatuor remanerẽt) die ſequenti ſententia contraria defenderetur: quemadmodum, & Pręlati Pontificij Hiſpanis, de more, contradicturi parati erant, ſi materiam in Congregationibus introduxiſſent; demum concludens pag. 583. Legatos, inter alia, ſignificaſſe Pontifici contentionem, quam ex articulo ſuperioritatis Epiſcoporum preuidebant, attenta Prælatorum Hiſpanorum petitione, & ingreſſu per eorum Theologos facto, &, licèt quonam tenderent præuidere non poſſent; tamen obſeruantes quàm vehementes in ea petitione fuerint, nec ignari, eos ſibi ſcopum à longinquo proponere, non poterant non ſuſpicari: dictamque epiſtolam concluſiſſe, dicendo, ſe, cum in tanta conſiliorum ambiguitate, quid facto opus ſit ignorent, Sanctitatis Suæ mandata expectare deliberauiſſe.

CONFVTATIO

HIC Polanus, vt ſuum venenum, de more, in Romanam Curiam euomeret, multas falſitates, & contrarietates admiſcuit, ex quibus ſic impoſtura deprehenditur,

ditur, vt negari non poſſit.

Primùm, quia dixit pag. 564; & poſtea replicat pag. 585. *Cæſarem ſynodum apertam quidem, ſed deſidem, nihilque agentem voluiſſe: idque vt ſatis Germanis faceret, quos ad eligendum filium Regem Romanorum fautores volebat* Nam nullo ergo veritatis fundamento hic, ore Quinqueccleſienſis, eius Oratoris dixiſſet, *nil æquè Cæſari, atque Eccleſiæ reformationem cordi fuiſſe*: & non abs re per conſequens Epiſcopus Dertunenſis affirmaſſet, *Quinqueccleſienſem non religione motum fuiſſe, in eumque ſolum finem collimaſſe, vt Pontificem, eo reformationis timore, ad Calicis conceſſionem compelleret*, qua ſatis Germaniæ fieri cupiebat.

Secundò. Repugnat, Quinqueccleſienſem *de reformatione capitis in Concilio facienda*, cogitare potuiſſe, cum Paulò ante pag. 552. Epiſcopo Orcatenſi idem proponente, *omnium Prælatorum murmur excitatum fuiſſe* retulerit.

Tertiò. Repugnat, Hiſpanos, viros probitate, ac doctrina inſignes, dixiſſe, Romanam Curiam, ob reſeruationes, auctoritatem Epiſcopis vſurpaſſe, indeque omnium Eccleſiarum deformationem, corruptelamq; emanaſſe; cum reſeruationes vſurpatæ per Sedem Apoſtolicam dici non potuerint, niſi ab ijs, qui ignoraſſent, Pontificiam auctoritatem, in reſeruationibus, alijſque huiuſmodi illimitatam in Eccleſia ſemper fuiſſe, vt oſtendemus in quarto libro in notis ad pag. 226.

Quarto. Nec dicere potuiſſent, Cardinalium ordinem Epiſcopis iniuriosè prælatum fuiſſe, cum Cardinales, vti Collaterales Pontificis, ſint Apoſtolicæ eius poteſtatis participes, cui poteſtati Epiſcoporum auctoritas indubitanter ſubiacet; cum in ijs, quæ Cardinales faciunt, Pontificem ipſum repræſentent. Quæ ſunt tritiſſima, & nil ideo releuaret, etiam ſi Cardinalium ordo non eſſet antiquitus in Eccleſia, & fuerit à Pontificibus, poſt Epi-

ſcopos

ſcopos inſtitutus, quia debent conſiderari vti membra Pontificis.

Quinto. Et, ſi verum eſt, Hiſpanos (à Legatis reiectos) materiam nihilominus per Theologos proponi mãdaſſe, ex conſequenti etiam falsò dixit Polanus, *nil niſi per Legatos proponi potuiſſe*, cum ipſi quinetiam Theologi materias, ex arbitrio, in medium afferrent. Quam libertatem, eò magis perſpicuam facit, quòd eam propoſitionem fecerint (quæ ſummi ponderis erat) quamuis *de ea loqui per Legatos vetitum fuiſſe*, ſupponat.

Sexto. Et quid nugacius, quàm Fr. Antonium de Groſſeto, cum ſermonem de materia illa habuiſſet, veritum eſſe addidiſſe, *ne quid graue in eum decerneretur*, & nihilominus vnà ſimul nouas, maioreſque in Legatos offenſiones cumulauerit, dicendo, ſibi, *ea de re, loqui à Legatis vetitum eſſe, memoria excidiſſe*; quod maioris proculdubiò offenſionis, & irreuerentiæ in Legatos fuiſſet? Et quo pacto etiam in eos animaduerſum fuiſſe dicit, qui liberè locuti eſſent, ſi nullum eius rei exemplum in ſua narratione affert, tametſi plurimos, procaciſſimè in Pontificem, Romanamque Curiam verba feciſſe recenſeat, vt peculiari diſſertatione docuimus in libro ſecundo?

Septimo. Et, cum hic dicat, Pontificios, contradicere aſſuetos, ſe Hiſpanis obijcere præparaſſe, poſtea, ſibi contrarius, pag. 187. in eodem articulo aſſirmat, *Legatos, conſultatione facta, Prælatis ſuis contradicere aſſuetis, ſi ea reproponeretur, tacere, nec materiam diſputationi ſubijcere precepiſſe, ne Hiſpanis replicationum occaſio præberetur, quibus Congregationes protraherentur, & incommoda, vt in materia reſidentiæ factum fuerat, excitarentur.*

Ottauo. Et, ſi Legati, ſignificando Pontifici contentionem, quam ex articulo ſuperioritatis Epiſcoporum prævidebant, attenta Prælatorum Hiſpanorum petitione, & ingreſſu per eorum Theologos facto, præciſis verbis ſcripſerunt, ſe, *quonam tenderent prauidere non potuiſſe*;

falsò

falsò itidem Epiſcopum Dertunenſem Hiſpanum ſecretò cum Pontificijs communicaſſe obijcit. Cum ipſe namq; interfuiſſet illi cœtui, in quo Hiſpani omnia ſua conſilia in eo articulo palam aperuerunt, quo pacto cum Pontificijs ſecretò communicabat, ſi Legati *Hiſpanorum conſilia penitus ignorare, ac prauidere non potuiſſe ſcripſerunt?* Et, ſi hæc Legati penitus ignorabant, adeo vt, ad eorundem Hiſpanorum *mentem detegendam*, Patrem Dominicum Sotum ad eos miſiſſe poſtmodum referat 592; falsò quoque dixit 615. Pontificios inter Hiſpanos Bartholomæum Sebaſtianum Epiſcopum Pactenſem habuiſſe, qui, tametſi Natione Hiſpanus, cum Epiſcopus in Sicilia eſſet, magnam cum Romana Vrbe communicationem habebat, per quem omnes Hiſpanorum negociationes, & conſilia Pontificijs detegebantur. Si etenim hæc tanti ponderis Pontificijs non communicarunt, quæ ergo ſecretò illis communicaſſe, dicendum erit? Sed hæc impoſtura falsò inſuper innititur fundamento, quòd nempè Pactenſis, vt potè *Epiſcopus in Sicilia, magnam cum Romana Vrbe communicationem haberet*; cum immò contrarium dicere debuiſſet; quandoquidem idemmet referat 741. *Epiſcopos vbi Inquiſitio more Hiſpanico exercetur* (vti in Sicilia) *ex eo Sedi Apoſtolicæ parum deferre, quia, cum illi Inquiſitioni ſubiaceant, benè de ſuis Principibus ſecularibus mereri cogantur*. Nam ex hoc etiam corruit impoſtura.

Verùm, quemadmodum hos duos apud Hiſpanos malignè confinxit, ſic pari malignitate, & Fratrem Hugonium Theologum Sorbonicum, quem Cardinalis Lotharingius in ſuum comitatum aſciuerat, Pontificijs inter Gallos aſcribit, per quem ait 685. (circa allegationes per Pontificem miſſas) non ſolùm notitiam examinis per Lotharingium habiti, ſed eius inſuper exemplar datum fuiſſe. At enim, cum ſe Cæſar Hauſpurgium contuliſſet, & Pontificem ideo veritum fuiſſe dicat, ne inter ipſum, Gallos, & Hiſpanos, ſecreta conſilia in eum agitarentur;

cui

cui nam vſui erant Dertuſenſis, Pactenſis, & Hugonius, ſi Pontifex, an aduerſum ſe molirentur, nec etiam in genere explorare potuit, vt refert 633? Et, cum Lotharingius articulos à Cęſare propoſitos, per ſuos Doctores expendi mandaſſet, eorumque ſententias Cæſari miſiſſet; quonam pacto Hugonius (vnus ex illis) cum Pontificijs communicabat, ſi hæc penitus Legatis ignota fuiſſe patefacit pag. 681?

Et quid nugacius, quòd velit, Legatum Simonetam, ad vnius Epiſcopi Aſculani conſcientiam, circa Hugonium, vitandam, rem, & *Vintimilienſi, & Fratri Pergula, & famulo Hugonij, & toti demum Cœnobio* inoteſcere potius voluiſſe, vt recenſet Polanus eadem pag. 685.? Et Hugonium, præterito Aſculano, ad quem dirigebatur, literas ad eum directas perſonę ſibi penitus ignotę reddidiſſe, eique ſe, contra mandata Nuncij Pontificij, ad ſolam vnius cœnobitæ fidem, credidiſſe, quæ ſunt ab omni veriſimilitudine aliena? Quæ dicta ſint ad Hiſtorici malignitatem, leuitatemque prodendam; ſupponens enim, Pontificios horum opera ad Gallorum, Hiſpanorumque conſilia duntaxat deteganda vſos eſſe, quid ad Synodi libertatem?

Decimo. Et demum impoſtura patet, quia, cum dicat (vt paulò ante notauimus) Legatos ſcripſiſſe Pontifici, ſe, *cum in tanta conſiliorum ambiguitate, quid facto opus ſit ignorent, Sanctitatis Suæ mandata expectare deliberaſſe*; nihilominus, his oblitus, pag. 587. perhibeat, decretum Inſtitutionis Epiſcoporum (qua de re nominatim Pontifici ſcripſerant) *formatum fuiſſe*: idque reſponſo à Pontifice nullatenus expectato, vt patet. Quod, an facturi, vel permiſſuri fuiſſent; ſi verè Pontifici ſcripſiſſent, ſe ab eo reſponſum expectare, ex ſe quiſque facilè videt. Quæ falſa harum literarum ſuppoſitio ex eo certiſſima pari modo reſultat, quòd dicat pag. 585. (vt ſupra notauimus) Pontificem has Legatorum literas in Congregatione

gatione

gatione Cardinalium proponendo *conſilia, quæ in Hiſpanis detegebantur aperuiſſe*. Quo namque pacto Pontifex Hiſpanorum conſilia ex dictis Legatorum literis noſcere potuit, ſi ipſimet Legati, *ea noſcere, aut prævidere adhuc non potuiſſe* Pontifici eiſdem epiſtolis ſignificabant?

Sed, cum ex articulo iſto inſtitutionis Epiſcoporum magnas inter Patres diſſenſiones ortas fuiſſe addat, in quibus Polani malignitas latiſſimum campum habuit, rem omnem hic expendemus, vt vno intuitu perſpici poſſit.

2. *Legati, Epiſcopos Iure diuino ſuperiores eſſe, in decreto apponi renuunt.*

HISTÒRIA.

PAg. 587. Sed Tridenti præpoſiti ad anathematiſmata, & doctrinam formandam, Theologorum ſentẽtijs expenſis, modulum fecerunt, in quo poſitum fuit, Epiſcopos Iure diuino ſuperiores eſſe, quòd Archiepiſcopus Iaderenſis, & Epiſcopus Coimbricenſis, inter præpoſitos primores, in ea ſententia fuerint. Sed non permiſerunt Legati, dicentes, æquum non eſſe conceptum in articulis non contentum inſeri, & ſi poſteà Patres in Congregationibus requiſiuiſſent, ea de re cogitatum eſſet, quòd illico Hiſpani requirere ſtatuerunt, & Legati de hoc moniti, conſultatione facta, decreuerunt Prælatos ſuos contradicere conſuetos, admonere, vt, ſi materia illa proponeretur, tacerent, nec eam diſputationi ſubijcerent, ne Hiſpanis occaſionem replicandi darent, vndè Congregationes protraherentur, & in eadem, quæ ob reſidentiam incommoda reciderent; ſed, ſi petitio per Granatenſem alioſue fieret, Cardinalis Varmienſis interciperet, reſpondendo, caput illud, vtpotè cum Proteſtantibus non controuerſum, in Concilio diſcuti non oportere.

CONFVTATIO.

SEd, cum Granatenſis illicò declarationem fieri petijſſet, non modò interceptus non fuit à Varmienſi (vt iam in primo capite ſecundi libri docuimus in notis ad ſeſſ. 23;) ſed immo, *poſt huiuſmodi factum aliquo tumultu ſedato, alios verba feciſſe*, addit, *recipiendo res vti propoſita erant abſque additione, quòd alij Vermienſis dicto hærerent, alij Pontificem ſolum de Iure diuino eſſe contenderent*; cum enim ex hoc poſteà Iaderenſi, alijſque replicandi occaſionem fuiſſe ſubijciat, non conſonat, *Legatos ea de re ſuis verba facere prohibuiſſe, ne occaſionem Hiſpanis replicandi darent*, cum Iaderenſem, & alios, qui replicarunt, à Pontificiorum partibus conſtituat.

Vt certius comprobat, ſubdens pag. 590. in Congregationibus dierum ſequentium *ſententijs variatum fuiſſe*: & 591. *quinquaginta nouem ab opinione Iuris diuini ſtetiſſe*; ex quibus, ea de re, in Congregationibus altercatum fuiſſe confirmat.

3. *Eorundem Legatorum prenſationes, & artes.*
HISTORIA.

SVbdit tamen eadem pag. 591. eorum numerus maior forſitan fuiſſet, ni plures eo tempore ægrotaſſent, & nonnulli alij, ad ſe ab eis motibus ſubtrahendos, neminemque in re tanto affectu agitata offenderēt, idem impedimentum cauſati eſſent. Inter quos eos fuiſſe addit, qui cum ſuam opinionem in reſidentia, vt ſentiebant, aperuiſſent, ſuorum Patronorum indignationē ſubierant: & ni etiam Cardinalis Simoneta, cum rem nimium procedere vidiſſet, multa interpoſuiſſet officia, ad eam rem Ioannis Antonij Facchinetti Epiſcopi Neocaſtrenſis, & Sebaſtiani Vantij Epiſcopi Vrbeuetani operam

ram adhibendo, qui in id Hiſpanorum conatum tendere, multa dexteritate ſuaſerunt, vt ſe à Pontificis obedientia eximerent, quod à Sede Apoſtolica apoſtatare, non ſine magno Italiæ dedecore, atque iactura fuiſſet; quando Italia non alio inter cæteras Nationes, quàm Pontificatus honore fulgeat: referens itidem pag. 592. Patres omnes, vno excepto Lainez, Generali Ieſuitarũ Præpoſito, die 19. octobris ſuffragium in ea materia ferre deſijſſe, qui vltimo loco dicturus, de induſtria factũ fuit, vt illa die Congregationi non intereſſet, quò ſolus ipſe integram occuparet. Cuius rei cauſam explicaturus Polanus, rem paulò altius repetens, ita ſubdit.

Legati, cum quæſtio ab initio in medium allata fuit, id ſolùm agi cenſebant, vt auctoritas Epiſcoporum maioris exiſtimationis additamento amplificaretur. Sed ſecunda nondùm Congregatione abſoluta, quanti ea pǒderis, & conſequentiæ eſſet, ex ſententijs, & rationibus adductis, ſerò quidem perceperunt. Inferebatur enim, claues, non vni Petro datas fuiſſe, Concilium ſupra Pontificem eſſe, Epiſcopi æquiparabantur Pontifici, cui præheminentia ſuper alios tantummodò relinqueretur: dignitas Cardinalitia Epiſcopis ſuperior penitus tolleretur, & Presbyteri tantùm, aut Diaconi remanſiſſent: ab ea determinatione tranſitus ad reſidentiam ex neceſſitate fieret, actumque de Curia eſſet: præuentiones, & reſeruationes tollerentur, beneficiorumque collatio ad Epiſcopos traheretur: obſeruatumque erat, Epiſcopum Segobienſem, paucis ante diebus, quendam Romæ prouiſum ad ſuæ Diœceſis beneficium admittere noluiſſe; quæ manifeſtius ſemper ex ſententijs, & rationibus nouis, quæ in dies addebantur, apparebant; eiſque de cauſis, Legatos ad eas prenſationes confugiſſe, quæ ſuperius recenſitæ ſunt, ne ſe maior Italorum pars Hiſpanis adiungeret: &, licèt multum laboraſſent, non adeò tamen effici potuiſſe, quin ferè media eorum pars

in eam opinionem iret: Nec Legati aliorum Pontificiorum reprælienſionem effugiebant, incuſantibus illis, imminenti periculo per eos, nonniſi grauioribus incommodis vrgẽtibus, præuideri; quòd rem temerè gererent, nec conſilia, ac monita prudentum admitterent, qui, ſtatim audita Granatenſis ſententia, rem officijs validis ſtrenuè aggrediendam eſſe commemorarunt, quod poſtea, tametſi haud admodùm opportunè, faciendum fuerit, & ipſorum incuria (ni in aliquibus malitia fuit) materias, quibus nulla alia maioris momenti in Cõcilio accidere poſſit, tractationi ſubijci: Oratoremque Lanſacchium multis cum pluribus Prælatis, tractationibus, eius ſe opinionis fautorem, ſeu potiùs promotorem declaraſſe, & quã idcircò acceſſionem præſentia Gallorum, qui expectabantur, allatura eſſet perpendebatur: quæ adeò etiam iactabantur, vt aliqua ad ipſorummet quoque Legatorum aures peruenirent, qui, periculo animaduerſo, quod non præuiderant, præter iam præſtita officia, conſuluerint, cũ res adeo proceſſiſſet, totque ſe palam fautores oſtendiſſent, de auertendo eos à quæſtione amplius cogitandũ non eſſe, ſed aliquo temperamento ſatisfaciendum Hiſpanis, multaque conſultatione habita, Canonem his verbis formandum conſuerunt, nempe Epiſcopos poteſtatem ordinis à Deo habere, in eaque Presbyteris ſuperiores eſſe, iuriſdictione ſilentio (nè quam ſuſpicionem darent) ſuppreſſa, quod ex ea forma verborum, licèt expreſſum non eſſet, iuriſdictionem totam Pontifici remanere inferretur, eaque formula Patrem Sotum cum Hiſpanis acturum miſiſſe, non tàm ſperantes, aliquem ex eis è ſententia dimoueri poſſe, quàm eorum mentem exploraturi. Qui à Granatenſi auditus, nullum reſponſum habuit, & apud alios laborans, ſolertis Romanæ Curiæ aulici nomen adeptus eſt, cum probus anteà religioſus haberetur. Deinde Pontificij, vt aliquos ex incertis, & ex ijs, qui incauti in opinionem tranſierant, ſed in reliquo Pon-
tifici

tifici deuoti erant, ad ſuas partes traducerent, cum eis agere cogitabant,vt, difficultate agnita, dicerent, ſe rem ad Pontificem reijcere, vel ſaltem remiſſiùs loquerentur, ad idque prænominatis duobus Archiepiſcopum Roſſanenſem, Epiſcopumque Vintimilienſem addiderunt: vtque illis, qui à ſententia recedere vellent, id,citrà dedecus faciendi color eſſet, plenam eius materiæ lectionem per Lainez haberi mandarunt:quæ vt attentiùs percipi, imprimique poſſet, eum, cum poſtremus eſſet,non poſt alios, infine Congregationis ſermonem habere, ſed integram ſolum occupare voluerunt &c;ac ne bonum diuerſionis remedium omitterent, Prælatos in alia materia occupatos habere; ideoque Cardinalem Mantuæ Patres librorum Indici præpoſitos admonuiſſe, oſtendendo, quanti momenti negocium præ manibus haberent; quandò per libros ſubuerſiones omnes oriãtur, hæreſeſque diſſeminentùr: eos ad ſedulam rem nauandam, celeremq;operis exitum Synodo præſtandum hortatus eſt; &, licèt rem multi laboris, ac temporis eſſe ſciret, confiderare ſe etiam, omnes Patres opem præpoſitis allaturos fore: addendo, Congregationes in nullius vtilitatis quæſtionibus inſumi, adeoq;neceſſarium opus protrahi, ſtudium per eos adhiberi hortando, quò hoc Indicis negocium inproxima ſeſſione terminari poſſit.

CONFVTATIO.

SEd hæc Legatorum officia,& machinationes commẽta eſſe Polani detegitur ex eiuſmet hiſtoria. Cum enim,poſt ſuppoſitas has prenſationes, apertiſſimè dicat, *maiorem ferè Italorum partem Hiſpanis adhæſiſſe*, & oſtendat cæteros quoque Italos eis parimodo adhærere paratos fuiſſe, inde etiam indubitanter conuincitur, Legatos nemini prorſus ex Italis ſe vllatenus aperuiſſe, nedum officijs, ac prenſationibus cum eis egiſſe. Si enim Itali

omnes (vt ore Hiſpanorum ſuppoſuit) *per ſionibus pollicitationibus, aut timore* Pontificis partibus nomen dederāt; an vnquam aduerſis adhæſuros fuiſſe credendum eſt, ſi, ex præcedentibus illis prenſationibus, de mente Pontificis inſtructi per Legatos fuiſſent, & quid facto opus eſſet, reuera præmoniti?

Et, an Prælati, quos *in reliquo Pontifici deuotos fuiſſe* ait, *incauti in aduerſam vnquam opinionem iuiſſent*, (vt refert,) ſi quid è re Pontificis eſſet inſtructi ante parimodò fuiſſent? Quibus poſitis, ex neceſſitate conſequitur; vel eam Italorum à Pontifice dependentiam; vel has prenſationes falsò ſuppoſitas eſſe.

Præterea, cum dicat, *Legatos aliorum Pontificiorum reprehenſionem non effugiſſe, qui eos incuſabant, quòd monita, & conſilia prudentum non admiſiſſent, cum ſtatim, audita ſententia Granatenſis, rem officijs aggrediendam eſſe commemorauerint, & poſteà (licet haud admodùm opportunè) faciendum fuerit*, oſtendit, hæc officia multo tempore poſt dictam Granatenſis ſententiam facta fuiſſe. Vt etiam ſubdens, *Legatos periculum ſerò perſpexiſſe, & nonniſi poſtquam tot ſe palam fautores oſtendiſſent, officijs, cum Prælatis egiſſe*. Quod, nonniſi poſt multas Congregationes accidiſſe neceſſe eſt. Sed, ſi Granatenſis (ex relatione Polani pag. 588.) die 13. Octobris verba fecit: & patres die 19. eiuſdem dicere deſierunt, vt refert 592; quo pacto iteratis illis officijs apud ingentem Prælatorum multitudinem ſpatium eſſe potuit, ſi multo tempore poſt dictam Granatenſis ſententiam, facta fuerunt, cum à die 13. ad 19. ſoli ſex dies interceſſiſſent? Si enim multo tempore poſt, vbinam ſpatium tot prenſationibus fuit?

Sed, dato etiam, quòd officia hæc verè facta fuerint, cum res Pontificia in tuto eſſet, ex quo *maior Prælatorum pars* à Pontifice eſſet, vt Hiſpanorum teſtimonio protulit: nec declaratio vlla fieri poſſet, ex qua illa conſequerentur, quæ ſibi Hiſpanos finxiſſe ſupponit, quòd Lainez

in ſua

in ſua diſceptatione pag. 594. aduerſariorum fundamentis euerſis, *iuriſdictionem omnem in ſolo Pontifice eſſe, & ab eo in ceteros deriuari*, probauerit, (adeò vt eius argumenta nemo vnquam ſoluere potuerit;) ea etiam officia fuiſſe conſequitur, non quia res Romana periclitaretur; ſed ad contentiones Prælatorum ſedandas, qui coitiones faciebant, tumultuſque ciebant, quos hic, & pag. 602. recenſet, quò illi, qui nimio ferebantur feruore, peruicacia depoſitia, ad habendam veritatem, locum Spiritui Sãcto darent. Ex quibus tumultibus à Congregationibus etiam faciendis abſtinendum fuit: & Legati varios Canonum modulos, ad differentias tollendas, formabant, vt inquit: & lectionem per Lainez, ad rem elucidandam, haberi voluerunt;

Qua in re, quæ fuerit Romanæ Curiæ ſynceritas aperit auctor, non tàm, quia, ex ſupra notatis Pontificiorum in Legatos querelis doceat, eam quæſtionem, Pontifice penitus inſcio, in medium allatam fuiſſe, quàm quia inducendo Simonetam querentem pag. 663. *parum ſibi opis à Mantuano, & Scripandio eſſe, qui, tametſi aliquid agerent, aduerſarijs nihilominus inclinarent*, perſpectiſſimum faciat, Legatos nil prorſus, ea de re, in mandatis à Pontifice habuiſſe. An enim aduerſarijs inclinaſſent, ſi peculiaria mandata à Pontifice habuiſſent, quibus ſuam illis quoquomodo mentem aperuiſſet? Immò, nec ipſe Romæ, nec Legati Tridenti rem prius conſuluerint, quàm in Concilio proponeretur, ſi (vt ait) *periculum non præuiſum non perſpexerunt, niſi poſtquam res agitari capta eſt*.

Sed, præter hæc, ex alijs etiam narrationis huiuſce falſitas ſe prodit. Primùm, quia non conſonat, Legatos, cum res adeo proceſſiſſet, eiuſque tot palam fautores vidiſſent, eos à quæſtione non amplius auertendos eſſe cẽſuiſſe, ſed Canonem illum feciſſe, quo ſatis Hiſpanis, aliqua ex parte, facerent. Qua enim veritate de ſatisfaciendo Hiſpanis cogitabant, ſi immò in contrarium ex-
preſſis

preſſis verbis inquit pag. 599. *Pontificios officia contra Hiſpanos, & prenſationes cum Prælatis, quos ad ſuas partes traducere opinabantur, nullatenus omiſiſſe?* In quo totos inſuper eos fuiſſe colligitur, quòd ſubdat, *Doctorem quendã Hiſpanum, nomime Zanelium, ſe Legatis opportunè exhibuiſſe, & rationem, qua negocium eis faceſſeret aperuiſſe, &c.*

Secundo, quia, Itali omnes Hiſpanis in ea opinione, vel adhæſerunt, vel adhærere voluerunt; adeo vt ab eiſdem Hiſpanis, nec etiam officijs Legatorum diuelli potuerunt, & apud eos idcirco laborandum fuerit, quò ſaltem remiſſius loquerentur, & peculiari diſſertatione per Lainez perſuadendi; conſequitur etiam, Polanum, nulla veritate dixiſſe, *triginta, & amplius ex eis Pontifici ſcripſiſſe, ſe eius auctoritatem perpetuò defenſuros, illibatamque in omnibus ſeruaturos eſſe*: & multos alios per eas prenſationes *ad partes Pontificis traductos fuiſſe*.

Tertiò. Quia repugnet, Pontificem rem ad ſe reijci per Legatos operam dari expreſsè mandaſſe; ipſos verò eam prius diſquiſitioni, ac ſuffragationi Patrum ſubijcere voluiſſe, &, de illa in Pontificem reijcienda, nonniſi poſt ſuffragia reddita, egiſſe.

Quarto. Quia, cum dicat, eos, *qui in Reſidentia ſuam opinionem, vt ſentiebant, aperuerant, in ſuorum patronorum indignationem incurriſſe*, falsò ſe etiam, Hiſpanorum ore, dixiſſe confirmat, *Italos omnes Pontifici nomen didiſſe*: ac prenſationes proinde, quas ad Prælatos in partes Romanas, in articulo Reſidentiæ, traducendos pluries factas fuiſſe dixit (quas ſupra in tractatu de Reſidentia notauimus) eius commenta eſſe. Si namque Prælatis, ſuorum Patronorum voluntas per eas prenſationes aperta fuiſſet; an contra eorum ſenſum verba vnquam feciſſent, cum Aulici, & Curiales eſſent?

Quito. Cumque prenſationum calumnia, non minus in Reſidentia, quàm in Inſtitutione Epiſcoporum certiſſima ſit, patet etiam, auctorem malignè, ad ea imprimẽda,

da,

da, addere pag. 599. Lanſacchium Oratorem Gallũ(cum in multorum Prelatorum conuiuio', de conſuetudine veterum Conciliorum, in hoc non ſeruata, verba fierent, in quibus,& Præſidentes Concilij,& Oratores Principum ſuffragia reddebant) elata voce dixiſſe, Legatos ſuffragia auricularia dicere, quod de prenſationibus inferre voluiſſe omnes ſenſere. Etenim, non ſolùm ex dictis (vt vidimus redarguitur; ſed quia inſuper addat 689. *in antiquis Concilijs, Oratores ſeculares non fuiſſe ad Congregationes admiſſos.* Nam quo pacto ergo ſuffragia ferebant, ſi in Congregationibus non admittebantur? Cum credibile namq; non videatur, Lanſacchium, virum eruditiſſimum, ignoraſſe, quæ, etiam ex ſui muneris officio, ſcire tenebatur, ex hoc indubitanter aſſumi poteſt Polanũ proprium venenum alieno ore, vt ſolet, euomere voluiſſe.

Sexto. Nec etiam conſonet, Legatos, Præſules ad materiam Indicis diuertiſſe, quò eos alibi occupatos haberent. Quomodo enim eos alibi occupatos habebant, ſi, eodemmet tempore, à Congregationibus etiam faciendis per multos dies ceſſarunt, vt illicò ſubdit pag. 601?

Septimo. Et qua veritate Legati, adhoc, vt ij, qui incauti in eam opinionem iuerant, ſed in reliquo Pontifici deuoti erant, honeſto aliquo colore ſe, citra dedecus retrahere poſſent, præter officia cum eis, lectionem illam per Lainez haberi voluerunt, ſi, non ſolùm ne vnum quidem ex deuotis, ſe ob eam lectionem retraxiſſe refert; ſed immò è contra patres adeò efferbuiſſe narrat dicta pag. 601. vt etiam à Congregationibus habendis per multos dies ceſſandum fuiſſe concludit?

Ottauo. Et, an credibile eſt, Italos per Legatos aduerſus Hiſpanos inſtare induci potuiſſe, dicta pag. 602. ne declaratio de Iure diuino fieret, vt Hiſpani petebant, ſi impetrare ab eiſdem Italis non potuerunt, vt ab eiſdem Hiſpanis in articulo illo recederent, vel vt ſaltem remiſſius loquerentur?

Nn Nono.

Nono. Et, cum, ob dictas Prælatorum diſſenſiones, à Congregationibus ceſſatum fuiſſet, nonniſi pari itidem malignitate Quinqueccleſienſem Oratorem Cæſaris ead: pag. 602. tanti temporis iacturam vbique lamentantem inducit. Præſertim quòd Quinqueccleſienſem addidiſſe ſubdat, tempus illud proficuè impendi potuiſſe, ni Legati illud, data opera elabi de more, ſinerent, quò reformationis capita poſtrema tantummodo die exhiberét, ne illa perpendendi, agitandique ſpatium ſuppeteret; cum ex ipſiuſmet narratione fuſiſſimè docuerimus in primo capite ſecundi libri, propoſitiones omnes, tum fidei, tùm reformationis pari päſſu in Tridentino perpetuò ambulaſſe, vt ibidem videre eſt in ſingulis ſerſionibus.

5. Ea de re, ad Cardinalem Lotharingium, Epiſcopi Leirienſis inſtructio.

HISTORIA.

PAg. 615. Congregatio tota à Fratre Gaſpare de Caſal, Epiſcopo Leirienſi occupata fuit, qui Cardinalem Lotharingium de omnibus Hiſpanorum rationibus inſtructurus, dicta ab alijs in ea materia, ſummatim, nec ſine magniloquentia recenſuit; inſuperque addidit, nil magis in rem Lutheranorum eſſe, quàm Epiſcoporum Inſtitutionem de Iure humano facere: ita enim approbari, quod ab illis innouatum eſſet, cum loco Epiſcoporum à Chriſto inſtitutorum, Prædicatores, aut Prædicantes, vel Miniſtros Eccleſiæ gubernio præfecerint: ſubditque ex epiſtolis Diui Gregorij ad Ioannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & ad alios aduerſus eundem ſcriptis (quod ſe Epiſcopũ Vniuerſalem appellaret) liquidò perſpici Inſtitutionem Romani Põtificis à Chriſto eſſe affirmari non poſſe, ni, & Inſtitutio quoque Epiſcoporum

CON-

CONFVTATIO

CVm idem Lotharingius publicè profeſſus eſſet (vt narrauit 608.) *nullam ſe declarationis illius faciendæ neceſſitatem, aut opportunitatem videre*; nil aliud Leirienſis ea diſceptatione feciſſet, quàm eundem Lotharingiũ publicè redarguere, quod non eſt veriſimile. Præſertim quòd ea de re magis Lotharingio credendum videretur, quem cum eiſdem hæreticis congreſſum fuiſſe ibidem affirmauit, quàm Leirienſi, alijſque Hiſpanis, qui materiam illam nimio affectu tractabant: & patet per conſequens, quàm repugnet, eundem Lotharingium *Congregationem* (vt ſubdit) *in proprijs ædibus Prælatorum, Theologorumque Gallorum habuiſſe, qui ſecum venerant, vt eorum opinionem in materia iuriſdictionis Epiſcoporum intelligeret.* Eoque magis, cum dicta pag. 608. non ſolùm *ſe à quæſtionibus inutilibus, alienum fore*, dixiſſet; ſed inſuper addidiſſet, *contentiones Inſtitutionis, & reſidentiæ Epiſcoporum, de quibus ſermones vbique miſcebantur, quemadmodum de auctoritate Concilij demant, ita etiam bonam illius opinionẽ apud homines admodum minuiſſe, & immò in nouis contentionibus, nouiſque & infructuoſis quæſtionibus euitandis rem gratam Regi fieri* eiuſdem Regis nomine petijſſet.

Ex dictis autem epiſtolis Diui Gregorij, non modò id, quod ait nullatenus aſſumitur, ſed omninò contrarium. Dum in epiſtola enim 34. lib. 4. ſcribens contra dictum Ioannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ad Conſtãtinam Auguſtam ait, *Salonitanæ Ciuitatis Epiſcopus, me, ac reſponſali meo neſciente, ordinatus eſt, & facta res eſt, quæ ſub nullis antecedentibus Principibus euenit.*, oſtendit Epiſcoporum ordinationes, ſeu aſſumptiones ſemper ex auctoritate Romani Pontificis factas fuiſſe. Et dum ſubdit ibidem, *quod ego audiens ad eundem præuaricatorem, qui inordinatè ordinatus eſt, protinus miſi, vt om-*

nino miſſarum ſolemnia celebrare nullo modo præſumeret &c. quod et ſub excommunicationis interpoſitione mandaui, &c. & ſi ad me diu venire diſtulerit, in eo exercere diſtrictionem canonicam nullo modo ceſſabo, aperit ſimul Diuus Gregorius, Epiſcopos iuriſdictioni, & correctioni Romani Pontificis ſubiectos eſſe. Vt aperit etiam ex epiſtola 38. ad eundem Ioannem, cui per Sabinum Diaconum mandaſſe, ait *vt ſe à tali præſumptione compeſceret, & ni deſiſteret, tunc ad ea debuiſſet, quæ ſunt diſtricta, ac canonica peruenire.* Quæ res, cum Romani Pontificis in omnes Epiſcopos, ab eis etiam temporibus ſuperioritatem, in Epiſcopis vero ſubiectionem eidem Romano Pontifici comprobent, ex his etiam epiſtolis aſſumi neceſſariò debet, Epiſcoporum Inſtitutionem Diuini Iuris non eſſe. Non enim Iuriſdictionem, & correctionem in eos Pontifex exerceret, cum par in parem non exerceat imperiũ, ſi æque omnes de Iure diuino eſſent.

Quæ magis ex dictis Epiſtolis comprobantur, cum in eadem epiſtola 38. itidem dicat, *certè Petrus Apoſtolus primum membrum Sanctæ, & Vniuerſalis Eccleſiæ eſt. Paulus, Andreas, Ioannes, quid aliud, quàm ſingularium ſunt plebium capita? Et tamen ſub vno capite omnes membra ſunt Eccleſiæ* Nam vtique omnes Epiſcopos Romano Pontifici, tanquam Chriſti Vicario, eiuſque locumtenenti, vti inferiora membra ſubiectos eſſe declarat: quæ ſubiectio non daretur, ſi omnes æqualiter inſtituti eſſent. Vt etiam confirmat dicens ibidem, *Chriſtum vniuerſale Sanctæ Eccleſiæ caput eſſe, cui omnes Epiſcopi tanquam membra inferiora ſubijci debeant.* Nam omnes ergo Epiſcopos; tanquam membra inferiora vni Chriſto, tanquam capiti (eiuſque per conſequens locumtenenti) ſubiectos eſſe debere, nec idcircò æquales eſſe, diſertiſſimè docet. Et cum iterum dicat in prænotata epiſtola 36. *Chriſtum feciſſe, vt in omni Orbe terrarum vnus eſſet grex, & vnum ouile ſub ſe vno paſtore*, conſequitur etiam Petrum, cui Chriſtus

om-

omnes ſuas oues paſcendas tradidit, eiuſque per conſequens ſucceſſores omnes, iſtius gregis, totiuſque ouilis ſolos ab eo paſtores inſtitutos fuiſſe. Quæ cauſa eſt, quòd Pontifex Romanus iurisdictionem, atque imperium in omnes vbique terrarum Epiſcopos perpetuò exercuerit, vt patet ex his Diui Gregorij epiſtolis: ex quibus ideo contrarium aſſumi malè Polanus ore Leirienſis affirmat.

6. Simoneta Prælatos ex Nationibus, ad rem expediendam, conſtitui renuit.

HISTORIA.

PAg. 618. Ad materiam (Inſtitutionis Epiſcoporum) expediendam, propoſitum fuit, nonnullos Prælatos ex ſingulis Nationibus decerni, deliberationem ferè in eis compromittendo. Sed effici non potuit, quòd Galli, & Hiſpani parem cuiuſque numerum vellent; Itali verò, vtpotè, qui alijs numero præpollerent, maiorem numerum exigerent, primuſque Cardinalis Simoneta ab ea præpoſitione diſſenſit, ne Concilij Baſileenſis conſuetudinem introduceret.

CONFVTATIO.

QVæ vera cauſa eſſe non potuit, ſed quia forſan Hiſpani omnes nimio affectu declarationem vrgerent, & Galli pariter omnes palam concordes in eadem opinione eſſent, vt pag. 615. retulit. Non enim Iudices iure conſtitui potuiſſent, qui, non modò ſuam mentem apertiſſimè propalaſſent; ſed rem inſuper ſolo duntaxat affectu, ac peruicacia vrgerent.

7. In Epiſcopum Guadicenſem offenſio.

HISTORIA.

EAd: pag. 618. In Congregatione Epiſcopus Guadicenſis dixit eſſe Epiſcopos per Pontificem non vocatos, nec ab eo itidem confirmatos, qui tamen veri, ac legitimi ſint, quemadmodum quatuor ſuffraganei ab Archiepiſcopo Salzburgenſi electi, & ordinati, qui nullam à Pontifice confirmationem recipiant, ſed Cardinalis Simoneta, non vltra eum progredi ſiuit, dixitque cuncta, quæ Salzburgenſis, alijque primates facerent, auctoritate Pontificis fieri; nonnulloſque è Patribus, ſuſurro, pedumque ſtrepitu facto, Guadicenſem vti ſchiſmaticũ expelli ſucclamaſſe, &c. Congregationeq; abſoluta, Cardinalem Lotharingium, multis Prælatis Pontificijs præſentibus, inſolenter nimis actum fuiſſe pronunciaſſe, quòd Guadicenſis perperã locutus non eſſet, ſique Gallus fuiſſet, ad Concilium magis liberum prouocaſſet: &, ni prouideatur, vt omnes liberè loqui poſſint, ſe Galli continere nequiſſent, quin Galliam, Nationale Concilium celebraturi, redijſſent, agnitumque reuera fuit, Epiſcopum non malè locutum fuiſſe, Canonque caſtigatus, vt, quemadmodum dicebat, Epiſopos à Pontifice Romano vocatos, diceret, Epiſcopos Romani Pontificis auctoritate aſſumptos.

CONFVTATIO.

QVæ correctio, ad Guadicenſis propoſitionem confirmandam adducta, eundem omnino damnat. Nõ in eo ſiquidem error eſt, vt dicatur, *Epiſcopos auctoritate Pontificis vocatos, aut aſſumptos eſſe*, ſed quòd Guadicenſis dixerit, *Epiſcopos non vocatos, aut confirmatos à Pontifice veros, ac legitimos eſſe*, quæ eſt propoſitio ſchiſ-

ſchiſmatica, ac repræhenſione digna. Exquò Guadicenſis meritò vti ſchiſmaticus repræhendi meruit. Quas repræhenſiones cum in alijs quoque Concilijs, citra vllam libertatis læſionem factas legamus, credibile non videtur, ex ea Lotharingium offenſum fuiſſe; Sed Auctorem alieno ore, vt ſolet, malignitatem propriam euomere voluiſſe, non tàm vt ſchiſmaticam, Guadicenſis propoſitionem, veluti ſanam obtruderet, quàm vt de Synodi libertate obloqueretur.

8. *Pro Iure diuino Aliphenſis Epiſcopi diſſertatio.*

HISTORIA.

PAg. 620. Iacobus Gilbertus de Nogueras Epiſcopus Aliphanus, ad oſtendendum iuriſdictionẽ Epiſcoporũ eſſe à Deo, dixit, ex Diuo Paulo, Chriſtũ aliqua Eccleſiæ membra inſtituiſſe Apoſtolos, Paſtores, &c. quò fideles ab erroribus defenderent, ad vnitatemque fidei, Deiq; cognitionem dirigerent: hiſque donum ad ſanctum huiuſmodi munus exercendum neceſſarium, poteſtatemq; iuriſdictionis appellatum dedit, quæ in omnibus æqualis non eſt, ſed ea, quæ in vno quoque eſt, eiſque à Deo immediatè traditur: nilque magis Diuo Paulo aduerſari, quàm affirmare, eam vni tantummodò datam eſſe, qui illam ex arbitrio impartiatur, &c; quæ ſubdit.

CONFVTATIO.

QVæ omnia ex eiſdem Diui Pauli verbis, ore Aliphani allatis ſoluuntur, quæ dicunt: *& ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij in ędificatione Corporis Chriſti, &c.*

Quia, ſi Apoſtolus in hoc loco de poteſtate iuriſdictionis

tionis loqueretur inferret (ex Aliphani expoſitione) etiam Doctores poteſtatem iuriſdictionis à Deo habuiſſe, quod eſſet abſurdum. Quarè non abs re Varmienſis interfatus, (vt addit) Aliphano dixit, eius diſceptationem ad rem non facere.

9. Legati de eo quod per ipſos fieri vellet, certiorem Inſtructionem à Pontifice petunt.

HISTORIA.

PAg. 629. Cum qua ratione decreta Inſtitutionis formanda eſſent Pontifex Legatis ſcripſiſſet, ſubdit 630 Legatos, Pontificis epiſtolis acceptis, mandata Sanctitatis eius exequi impoſſibile cenſuiſſe, & accuratiùs, ac per literas fieri poſſet, illum de rebus ſingillatim occurrentibus inſtruere, Conciliumque ea ratione, qua Romæ opinabantur, gubernari non poſſe: eidem oſtendere neceſſarium eſſe duxiſſe, & quid facto opus eſſet mandatis certioribus, ſe per Sāctitatem ſuam moneri petijſſe, Epiſcopumque Vintimilienſem certum Romam, ea de re, allegaſſe.

Addens 634. eos pari modo Epiſcopum Viterbienſem Romam certum miſiſſe, qui Pontificem de capitibus reformationis per Gallos exhibitæ certum faceret, cui, & Lotharingium Inſtructionem quoque dediſſe addit, ſuppliciter à Pontifice petendi, vt ſi, & Rex, & ipſi, qui mandata Regia exequebantur, ea, quæ pro Regno ſuo neceſſaria eſſent, flagitarent, id æqui, bonique conſuleret, eique ad Inſtitutionis, & Reſidentiæ differentias tollendas, quæ Concilium in leuioribus occupatum detineant, ſuam operam Sanctitati eius exhibendi.

CONFVTATIO.

SEd, cum Vintimilienſem ſua mandata Pontifici exponentem inducit,non ſolùm de eo,quod per Legatos faciendum eſſet,certiorem inſtructionem à Pontfiice non petijt, vt Legatos expreſsè mandaſſe ait,ſed è contra rationem Pontifici expoſuiſſe narrat 637. ,*qua Legati, verique Sanctitatis ſuę famuli difficultates tractanaas eſſe cenſerent*, quod non fuit conſilium petere, *de eo quod per Legatos faciendum eſſet*, ſed illud Pontifici dare.

Et impoſtura. præter id, certiſſima eſt, qhia Pontifex per Vintimilienſem propoſitionibus reſpondeat, quæ ei per Viterbienſem, Lotharingij nomine, faciendæ erant, qui nondum Romam peruenerat, vt oſtendit referens, Pontificem,*cum Vintimilienſis perueniſſet, Congregatione coacta, ipſius Vintimilienſis relationem expoſuiſſe, Legatorūque ſedulitatem, prudenteſque eorundem actiones probaſſe, ac bonam Lotharingÿ voluntatem laudaſſe*; quod Pontifex facere non poterat, cum Lotharingium operam ſuam Pontifici pro Inſtitutionis, & Reſidentiæ contronerſijs componendis, non per *Vintimilienſem*, ſed per *Viterbienſem* exhibuiſſe dixerit, qui (ex eius recenſione pag.638.) *poſtquam Pontifex Curſorem Tridentum, cum reſponſiane ad res per Vintimilienſem expoſitas remiſerat*, Romam peruenit.

Et cum Viterbienſis omnem aliam rem, nomine Lotharingij, quàm dictam exhibitionem Pontifici fecerit, vt videre eſt dicta pag. 638. impoſtura etiam ex hoc ſe magis prodit. Quarè hæc omnia, ob incertitudinem, & contrarietatem, corruunt.

Præſertim quia, quæ per eundem Lotharingium, & Gallos facta fuiſſe poſtmodum ſubdit, huiuſmodi Lotharingij exhibitioni repugnent. Nam illicò pag. 640. decretis Inſtitutionis, & Reſidentiæ, ad ea diſcutienda, ex-

hibitis, *cum formula per Pontificem miſſa à Patriarchis, antiquioribuſque Archiepiſcopis approbata eſſent, eis per Hiſpanos primùm, & longe maiores per Gallos difficultates obiectas fuiſſe*, refert: & itidem 705. cum aliqui controuerſias ſopiri cuperent, & vtramque materiam (Inſtitutionis Epiſcoporum, & auctoritatis Pontificiæ,) penitus omitti conſulerent, Hiſpani (vt ait) Iurisdictionem Epiſcopalem à Deo eſſe, omninò definiri inſtiterint, & *Cardinalis Lotharingius vlterius procedens, & eorum vocationem & loci attributionem à Deo eſſe vellet*: & alias poſteà obiectiones fecerit, quas recenſere nimium eſſet, quibus Lotharingium ab illa animi diſpoſitione, in hiſce controuerſijs concordandis alienum potius fuiſſe perſpicitur.

Quemadmodum, & dum Pontificem Legatorum ſedulitatem, prudenteſque eorundem actiones probaſſe ait, oblitum eſſe oſtendit, ſe pag. 593. dixiſſe, eoſdem Legatos, in hac eadem materia Inſtitutionis, per Curiam repræhenſos fuiſſe, quòd *nulla prudentia, aut ſedulitate* rem geſſiſſent, vt alibi ſupra notauimus.

Nec etiam ſine riſu legi poſſit, Legatos, dum Pontifici ſcribunt *eius mandata Tridenti exequi impoſſibile eſſe*, eodemmet tempore; quid *per eos fieri vellet, ab eo præcipi poſtulaſſe*.

10. Ob Pontificis, Epiſcoporumque auctoritatem: & ob alia, diſſenſiones, & tumultus.

HISTORIA.

PAg. 640. Tridenti poſtridiè eius diei, qua curſor Canones de Inſtitutione ab Vrbe attulerat, quæ fuit decima quinta Ianuarij, Congregatione habita, exemplar decretorum Inſtitutionis exhibitum fuit, atque ad ea diſcutienda, Congregationes inſtaurari mandatum, Cardinalibusque Lotharingio, & Madruccio iniunctum, vt, vnà cum illis Patribus, quos ſibi ſocios aſſumere voluis-

luiſſent, decretum reſidentiæ caſtigarent, diebusque ſequentibus, continuatis Congregationibus, formulæ decretorum ab Vrbe miſſæ, per Patriarchas, & Archiepiſcopos antiquiores facilè approbatæ fuerunt. Sed vbi ventum eſt ad Hiſpanos, difficultates obiectas fuiſſe, & à Gallis deindè longe maiores: quas obiectiones contra auctoritatem Pontificis hic recenſet: ſubditque contẽtiones proceſſiſſent, ſed Legati aliquam intermiſſionem daturi, quò correctiones Transmontanorum Pontifici mitterent, ab eoque mandata de re gerenda acciperent, & interim materiam, qua hæc obliuioni daretur, in medium afferrent, ad reſidentiam reuerterunt. De qua cum Lotharingius, & Madruccius formulam compoſuiſſent, eāque paucis ante diebus Legatis dediſſent, ipſi eam, non vltra cogitātes, approbarunt, ſed Canonum conſultos poſtea conſulentes, cum particula per eos improbaretur, in qua Epiſcopos gregi perſonaliter incumbere ex diuino præcepto teneri dicebatur, veriti ne in eodem ſenſu Romæ acciperentur, ea verba mutarunt, atque ita caſtigatam in Congregatione propoſuerunt: ob quam mutationem Lotharingius, & Madruccius grauiter offẽſi, quòd ſe contemni arbitrarentur, querebantur, affirmante Lotharingio, ſe nullam in poſterum curam ſuſcepturum, n ec cum Prælatis amplius acturum eſſe, ſed ſuam ſententiam modeſtè dicturum, & vbi honeſtè daretur, Legatos ſuam operam non deſiderare paſſurum; & Madruccio pariter dicente, Concilium in Concilio eſſe, quod maiorem ſibi auctoritatem arroget. Sed Legati videntes morbum ex quolibet remedio magis, magiſque exaſperari, à Congregationibus habendis abſtinuerunt, neque id ſatisfuiſſe, cum Prælati priuatas inter ſe Congregationes, aſſiduas vero Legati conſultationes haberent: Et Archiepiſcopus Hydruntinus, cæterique Cardinalatum ambientes (quò ſe peruenturos eſſe certò ſperabant, ſi Synodus diſſolueretur) ad tumultus ciendos, quicquid

proponerētur oppugnare inter ſe condixerant, nimiūmque ſuis affectibus indulgentes, hàc, illàc, etiam nocturno tempore, prenſantes, ſchedularumque ſubſcriptiones aucupantes, circumcurſabant, quæ res, licèt ob effectum Legatis placeret, plerisque tamen eorum, ob modum minimè probabatur, quòd mali eſſet exempli, & graue ſcandalum pårere poſſet, nec ex altera quoq; parte deeſſent, qui diſſolutionem cuperent; ſed quælibet pars occaſioni intenta erat, qua culpa in aduerſos reijci poſſet, ſuſpicioneſque hinc inde multiplicabantur.

Cardinalis Lotharingius diſſoluendæ Synodi occaſionem quæri penes cunctos lamentabatur, apudque omnes Principum Oratores querelas miſcebat, quò ſuos Principes monerent, operamque darent, vt de Concilio proſequendo, deque prenſationibus moderandis, Patrūmque libertate conſeruanda cum Pontifice agerent; alioquin in Gallia ſtatuturos eſſe, vt cuilibet ex arbitrio, vſque ad liberum Concilium, viuere liceat, cum Tridentinum tale non ſit; quandoquidem nonniſi, quæ Legatis placeant, peragi, aut decerni poſſint; ipſiq; nil prorſus agant, quàm quæ Pontifex velit, ſeque vsque ad proximam Seſſionē patienter laturum, & ni rem melius ſe habere perſpexerit, proteſtaturum eſſe, cum ſuisque Oratoribus, Prælatiſque Galliam, ad Concilium Nationale celebrandum, repetiturum, vbi forſitan, & Germani conuenirent. Quod, ob periculum ne Sedi Apoſtolicæ debitus in poſterum honor deferatur, ſibi moleſtiſſimum eſſet. Crebri per eos dies curſores è Tridento Romam, & Roma Tridentum commearunt, Legatis nunciantibus frequentes contradictiones, quæ pluebant, & Pontifice Canonum miſſorum propoſitionem vrgente. Galli Romæ apud Pontificem eaſdem, quas Tridenti Lotharingius expoſtulationes, cum eiſdem, & Concilij Nationalis, & interuentu Germanorum comminationibus fecerunt.

Sed Pontifex his aſſurtus dixit, ſe ex verbis animum

non

non deſpondere: de Concilio nationali non timere, Epiſcopos Gallos Catholicos eſſe non ignorare, nec Germaniam, ſe eorum Concilijs ſubiecturam eſſe: Conciliũ, non tàm liberum, quàm licẽtioſum, dici poſſe: Italorum ſe præſationum participem non eſſe; ſed ex eo fieri, quòd Transmontani auctoritatem Pontificis depreſſam velint: Iuſtam ſe Concilij diſſoluendi occaſionem ter habuiſſe, ſed illud proſequi velle, Deumque ſuæ non eſſe defuturum Eccleſiæ, ac ſperare nouatorum aduerſus eam conatus in eosdem tandem recaſuros eſſe.

In his perturbationibus, cum Quinqueecleſienſis Cæſarem adijſſet, vt eum de rebus Concilij, deque Prælatorum Italorum conſpiratione, certum faceret, exploratumque eſſet, Granatenſem, eique adhærentes, negocium illi agendi cum Cæſare dediſſe, ad hoc vt Regi Catholico de reformatione, ac reſidentia ſcriberet, quò, & eis, & alijs quoque occaſionibus, quæ è religione ſentirent, liberè aperire poſſent; crediderunt Legati id Lotharingij conſilium fuiſſe, & aliquo modo occurſuri, ipſi quoque poſt paucos dies Epiſcopum Commendonem ad Cæſarem eo prætextu miſerunt, vt excuſarent, rationẽq; redderent, cur adhùc Maieſtatis ſuæ poſtulata proponi non potuiſſent, illumque hortaturum, vt capita, quæ ad auctoritatem Pontificis ſpectarent, in eius petitionibus poſita, non à Concilio, ſed à Pontifice petere vellet, &c.

Sed, cum Martinus Cromerus Epiſcopus Varmiæ, Regis Poloniæ ad Cæſarem Legatus, ſpecie quidem Cardinalis Varmienſis inuiſendi, cum quo ei vetus, & intima familiaritas intercedebat, Tridentum peruenisset, magnam ſuſpicionem habuerunt, ne per Cæſarem ad res Concilij explorandas, occultèque inſpiciendas, ſibiq; renunciandas, miſſus eſſet. Ex tot motibus veriti ſunt Legati, ne Concilium, aliqua ratione diſſolueretur, quæ, & Pontifici, & ipſis dedecori eſſet, quòd obſeruarent, id à multis, & nonnullis etiam ex Pontificijs deſiderari, ab alijſque

data

data opera, res turbari, ad ſibi iuſtificationẽ parandam, ſi accidiſſet: ſcripturam in qua difficultates vertentes continebantur, Oratoribus omnibus miſerunt, deprecantes, vt eis conſilio adeſſent. Sed Oratores Galli, ea occaſione, illud pro reſponſione dederunt, quod à multis iam diebus dicere cupiebant; nempè, quemadmodum Concilium ad emendandos abuſus congregatum erat, ita & nonnullos, ad eos multiplicandos, abuti velle: Ante omnia prenſationibus adeo manifeſtis occurrendum eſſe, quod, non ſine intolerabili dedecore fiat, quòd, eis ſublatis, cunctiſque ſuum ſenſum aperiendi facultate facta, facilis concordia fuiſſet: Pontificem caput Eccleſiæ, non tamen ſuper eam eſſe, qui ad alia regenda, ac dirigenda membra, non ad corpus imperio præmendum, poſitus ſit, remediumque ad differentias tollendas eſſe, decretis Concilij Conſtantienſis inſiſtere; quod Eccleſiam, quam, ob ſimiles opiniones, deformatiſſimam reperiſſet, ad ſtatum tolerabilem reduxiſſet. Addentes poſtmodum, vnam è cauſis diſcordiæ eſſe, quòd ſuffragia non integra fide per Secretarium præſcriberentur, vnde in actis pars maior minor apparebat, nec ſtatutum haberi poterat, quod omnes communiter ſentirent, eamque idcirco curam alteri ex neceſſitate demandandam eſſe, adeo, vt duo ſcriberent, cui conſilio adhæſerunt quoq; Cæſarei, acrius inſtantes, alium Secretario addi: alij verò Oratores, verbis generalibus, Concilij continuationi, animorumque concordiæ inſiſti conſuluerunt.

CONFVTATIO.

QVinam, in acerrimis his contentionibus, veritati catholicæ adhærerent, non eſt neceſſe in hoc loco differere, cum grauiſſimi, ac doctiſſimi Scriptores non deſint, qui hæc exactiſſimè enucleauerint, quorum verba hic recenſere opus non eſt, cum eorum volu-
mina

mina, vbique omnibus obuia ſint. Et Hiſpanis ſatis eſſe poſſit, vnius Franciſci Vargas Hiſpani eis de rebus *Reſponſum*, quod eodem tempore impreſſum fuit. Et Gallis, (qui Pontificem Vniuerſalis Eccleſiæ Paſtorem eſſe admittere renuebant) irrefragabile Diui Gregorij Magni teſtimonium obijci poſſit, in hiſtoria etiam relatum pag. 654., qui titulum illum Pontifici Romano à Synodo Calcedonenſi oblatum fuiſſe perhibet, *in ſuis ad Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum, & alios epiſtolis*, quas paulo ante notauimus, in notis ad pag. 615. Nam, cum Sanctiſſimus ille Pontifex titulum illum, ob nimiam humilitatem aſſumere nunquam voluerit, (licèt in eiſdem epiſtolis, Romanum Pontificem iuriſdictionem in omnes ſemper Epiſcopos exercuiſſe patefaciat, vt notauimus in notis ad dictam pag. 615.) ea etiam illum, nullo humano affectu, aut fine dixiſſe, ac perhibuiſſe, dubitari non poteſt.

Sed, his præteritis, & ad hiſtoriam Polani redeuntes (quam ſolam nobis confutandam propoſuimus) non deſunt in hac diſſertatione nugæ, contrarietates, & mendacia, quæ conſuetam eius malignitatem, leuitatemque arguant. Primùm enim ex acerrimis hiſce aduersùs Romanum Primatum Prælatorum, ſed præcipuè Hiſpanorum, Gallorumque contentionibus, eam in Concilio libertatem fuiſſe, apertiſſimum facit, qua cuicunque Pontificem ipſum oppugnare, ac liberè in eum loqui licuerit; nec potuiſſe ideo verè Lotharingiũ Principũ Oratores admonere, vt *de Patruũ*, hac in parte, *libertate conſeruãda* ſuis Principibus ſcriberent, vel dicere, *Concilium liberum non fuiſſe*. Nec Granatenſem, eique adhærentes, Cæſarem apud ſuum Regem deprecatorem adhibere, quò *de reformatione, ac reſidentia, & eis, & alijs quoque occaſionibus, quæ è religione ſentirent, liberè aperire poſſent*. Si enim contra Pontificem ipſum ſe liberè aperiebant, eiuſque auctoritatem de directo liberè, atque accerrimè oppugnabant;

bant; cur non eò magis in reſidentia, & reformatione idem facere potuiſſent? Quibus poſitis, nec etiam Oratores Galli Legatis reſpondere potuiſſent, (vt reſpondiſſe ait) *cunctis ſuum ſenſum aperiendi facultatem faciendam fuiſſe*.

Præſertim, quia Hiſpani, in reſidentia liberè ſe aperiendi facultatem ſibi non fuiſſe, dicere nequiſſent, cum, in ea re, magna pervicacia eos verba ſemper feciſſe, Auctor docuerit, vt oſtendimus in notis ad pag. 492. vbi de reſidentia egimus: & in reliquis ea ſemper fuerit ipſorum libertas, vt Auctor pag. 617. retulerit, *efficia primùm per Secretarium Marchionis Piſcariæ, ac dein Senatoris Molinei, cum Hiſpanis, in materia Inſtitutionis facta, eos pervicaciores reddidiſſe, maioreſque per eos quotidie difficultates excitatas eſſe*; adeo vt, & Oratores Galli, & Epiſcopus Nemauſenſis de nimia eorum pertinacia quærerentur, *quæ alijs impedimento eſſent*. Ex quibus quiſque videat, an eis oportuerit Cæſarem apud ſuum Regem, profacultate ſeſe liberè aperiendi, deprecatorem adhibere.

Et, dum Tranſmontani canones corrigebant, & Cardinales Lotharingius, & Madrúccius *decretorum formulas faciebant, & formula canonum, ab vrbe miſſa*, Prælatorum contentioni, atque approbationi ſubijciebantur, perperam etiam ſubdit, ore Lotharingij, in Concilio, *nonniſi peragi, ac decerni potuiſſe, quàm quæ placuiſſent Legatis, qui nil prorsùs agerent, quàm quæ Pontifex voluiſſet*. Nam, tametſi dicat, Legatos *aliqua verba mutaſſe, & mandata de re agẽda à Põtifice poſtulaſſe*; dicit etiã, decretũ illud per eos *in Congregatione propoſitum fuiſſe, eique obiectiones factas eſſe*. Vnde Concilium in Concilio eſſe, quod maiorem ſibi auctoritatem arrogaret, dici non poterat, cum, ſi quid forſan Legati, de Concilio etiam Canonum conſultorum, in decretis mutaſſent, ea tamen examini, atque approbationi patrum ſubijcerent. Quæ per Lotharingium

ringium dicta eſſe eò magis repugnat, quòd, non ſolùm Epiſcopũ ſenogallienſem ad eum miſſum fuiſſe affirmet, *quò de ratione ſatis Gallis faciendi conuenirent*; Sed quia pag.664.*omnes iunctim Legatos Lotharingium ipſum in eius ædibus conueniſſe* referat, *quò ſuam mentem ei aperirent, ſibique per eum conſilium, & operam conferri poſtularent*; ipſoſque etiam *Principum Oratores conſuluiſſe*, addat. Nam non ergo in Concilio, quæ Legatis placerent, etiam ſi voluiſſent, aut Pontifex mandaſſet, fieri poterant, cum omnia à Patrum ſuffragatione, ac deliberatione penderent: & *Pontificis mandata in Concilio exequi impoſſibile fuiſſe*, eoſdem Legatos ſcripſiſſe affirmauerit.

Quare ſibi Polanus non conſtat, quemadmodum, & dum ait, Pontificem diſſolutioni Concilij inhiaſſe, eaq; de cauſa Archiepiſcopum Hydruntinum, cæteroſq; Cardinalatum ambientes (ad quem ſe peruenturos eſſe ſperabant, ſi Synodus diſſolueretur) ad tumultus ciendos, quicquid proponeretur oppugnare inter ſe condixiſſe, cũ alijs, quæ addit. At enim qua veritate hæc obijcere poteſt, ſi, multo tempore poſtea, pag. 749. his forſan oblitus, aſſeuerantiſſimis verbis perhibet, *Pontifici nullam vnquam aliam illucuſque diliberationem, quàm Synodi abſoluendæ fuiſſe? Et ſi tres optimas inſuper Synodi diſſoluendæ occaſiones habuiſſe, & tamen noluiſſe* inquit? Quod, non per iactantiam, ſed ex veritate Pontificem dixiſſe, ſupra alibi, ex Auctore ipſo, probauimus. Et præter id, repugnet has Hydruntini, aliorumque Cardinalatum (vt ait) ambientium machinationes Legatis ob effectum, quem ſibi ex eis pollicebantur, placuiſſe, eoſdẽque poſtea Legatos veritos eſſe (vt addit) *ne Concilium aliqua ratione, qua & Pontifici, & ipſis dedecori eſſet diſſolueretur*. Eoque certius quia eoſdem Legatos obſeruaſſe affirmet, id à multis, *& à nonnullis etiam ex Pontificijs deſiderari*. Quo namq; pacto machinationes illæ in eum finem per Pontificios fieri potuerunt, *ſi, cum diſſolutio à nonnullis ex eiſdem Ponti-*

ficijs deſideraretur, id Legatis moleſtum fuiſſe, perhibet? Quid enim leuius, quàm Legatos moleſtiam ex eo habuiſſe, quia *à nonnullis ex Pontificijs deſideraretur*, ſi id reuera, & ipſis, & Pontifici in votis fuiſſet? Exquo etiam oblitum eſſe oſtendit, ſe paulò ante dixiſſe, *Pontificem cuicunque occaſioni Synodi diſſoluendæ fomitem daturum fuiſſe*, cum omninò repugnet, Legatos reſpectu Pontificis dedecus præ oculis habuiſſe, & Pontificem cuicunque occaſioni fomitem daturum fuiſſe.

Nec queri Lotharingius, Galli, & Hiſpani de prenſationibus, & conuenticulis potuiſſent, non tàm quia, & ipſi inter ſe perpetuas (ex relatione Polani) coitiones haberent; ſed quia, cum *Tranſmontani auctoritatem Pontificis depreſſam vellent* (vt ait) eam alij pro viribus defendere ex religione tenerentur: & tumultus ob eas *contradictiones* erant, quæ aduerſus Canones de auctoritate Pontificis *pluebant*, (vt dixit.) Qua de cauſa Pontificem Cæſari reſcripſiſſe ait 666. *Tridenti prenſationes per plures contra auctoritatem per Christum Sedi Apoſtolicæ datam, factas fuiſſe, & cum ex omnium Patrum, Conciliorumque libris pateat, Pontificem Petri ſucceſſorem, Christique Vicarium, Vniuerſalis Eccleſiæ Paſtorem eſſe, in hanc tamen veritatem multas Tridenti machinationes, conſultationeſque agitatas fuiſſe, ex eaque formula Eccleſiam quocunque tempore locutam eſſe, vt ex folio eius Maieſtati tranſmiſſo videre eſt.* Cum *eam namque epiſtolam Pontifex ad ſuam propalandam ſynceritatem eulgaſſe* dicat, facilè etiam ex his apparet, quinam illorum motuum Auctores, & veræ cauſæ eſſent.

Vt magis aperit, quia, cum Cæſar illas pro auctoritate Pontificis allegationes Prælatis Hiſpanis (ad eorum ſententiam explorandam) communicari mandaſſet, Granatenſem dixiſſe narret 668. *id cum eis ſuperuacaneum eſſe, qui Concilium Florentinum recipiant, ſed cum Gallis oportere, qui Baſileenſi adhæreant:* & cum nonnulli ex eis epi-

epiſtolam communi omnium nomine, ad ſe apud Pontificem purgandos, ſcribi propoſuiſſent, Granatenſem itidem obſtitiſſe referat,dicendo *eos non adverſari,Pontificem ſatis ex eorum ſuffragijs noviſſe, Italorumque adulationibus per eos obſecundandum non eſſe*, ac formalia verba *ſubiunxiſſe, noſtrum ipſe nobis relinquat,nam nos et pluſquam ſuum relicturi erimus; quando ex Epiſcopis, eius nos Vicarios fieri aquum non ſit.* Nam ex his difficultates in eis ergo quæſtionibus à Prælatis Gallis, Hiſpaniſque fuiſſe perſpectiſſimum proculdubiò facit.

Vt omninò confirmat, & ex epiſtola Regis Catholici ad ſuum Oratorem, in eum finem, vt ait, *quò Praſules Hiſpani in rebus Pontificis aquiores eſſent:* & dum pariter Reginam Galliæ *(quò Synodus abſolui poſſet) cum Lotharingio, Prælatiſque Gallis acturam ſe exhibuiſſe*, ſubdit pag. 694., *ne auctoritatem Pontificis oppugnarent.*

Et quia inſuper difficultatibus illis fomitem à Principibus datum fuiſſe velit (vt mox in diſſertatione de reformatione docebimus,) cum eos, vt ſatis ſuis populis facerent, illas differentias, ſpecie reformationis petendæ, aluiſſe affirmet, quò pręceptorum Eccleſiæ moderationem hac vexatione elicerent, qua ſatis ſuis populis facere credebant.

Sed,præter hæc, euidentiſſima eſt repugnantia.Si enim res Romana in tuto erat, exquò *Itali omnes Pontifici adhærerent* (vt Quinqueeccleſienſem Cæſari retuliſſe ait;) an Pontificis prenſationibus adeo laborandum fuiſſet, cum Itali numero alijs omnibus præualerent? Et ſi ipſius Cæſaris teſtimonio pag. 714. *maior pars in ea diſpoſitione erat, vt auctoritatem Pontificis amplificarent?* Quibus per Auctorem poſitis, Pontifici profectò opus non fuiſſet Seſſiones de die in diem protrahendo, vim Patribus inferre (vt ait) quò tedio affecti, opinionibus, quas ex religione non probabant, accederent.

Dum verò inquit per Oratorem Gallum,ſuffragia non

integra fide à Secretario perſcripta fuiſſe; Indeque factū eſſe, vt minor pars in actis maior appareret, nec ſtatuta eſſent, quæ communi omnium ſuffragatione decernerentur, impoſturam ex contradictionibus detegit. Si enim pro minori parte intelligit Pontificios, falsò ergo dixit ore Quinqueccleſienſis, *omnes Italos Pontificis partibus adhæſiſſe*, cum Itali cæteros alios numero ſuperarent. Et ſi Itali omnes Pontificis partibus adhæſiſſent; an opus fuiſſet fautorum numerum Secretarij fraude amplificare?

Vt ſibi etiam contradicit, dicendo, eadem Secretarij fraude ſtatui non potuiſſe, quæ communi omnium ſuffragatione decernebantur. Si enim (vt vult malignè innuere) communis omnium ſuffragatio erat in Pontificem; ergo, quemadmodum ſupra ore Quinqueccleſienſis, omnes Italos à Pontifice, falsò conſtituit; ſic, & poſtea pag. 679. pari falſitate refert, Granatenſem Comiti Lunæ dixiſſe, *nullam in Concilio ſpem fore, ſi in deliberationibus, de more ſuffragiorum numerus attendendus eſſet, ac ideo per Nationes procedi conſuluiſſe*; innuendo Pontificem ſuffragiorum numero præpolluiſſe.

Quæ dicta ſint ad fraudolentam mendaciſſimi impoſtoris inconſtantiam, leuitatemque notandam. Nam circa Secretarium, qua veritate inquit, ſuffragia eius fraude occultata, immutata, aut ignota fuiſſe, ſi ex fide Cardinalis Lotharingij pag. 643. *Tridenti, cuiuſque ſententia, omniumque ſuffragia nota erant*? Cum enim (vt poſteà refert) Secretario *alius adiunctus fuiſſet*, inde fucum impoſturæ faciendi occaſionem arripuit. Sed id factum fuit, non quia in officio deliquiſſet, ſed quia (vt ſubdit) *nefriticis doloribus impediretur*. Et qua itidem fronte potuiſſet Granatenſis illam Italorum ſequelam Comiti Lunæ obtrudere eo tempore, quo ex facto ipſo perſpectiſſima eſſet calumnia? Cū enim pag. immediatè præcedenti 680. Legatis, & Lotharingio concurrentibus, apertiſſimis verbis dicat, Lotharingium *vniuerſalem aſſenſum, magna*

ſui

ſui exiſtimatione, Legatorumque dedecore obtinuiſſe; vbi nã quæſo, erat illa omnium Italorũ ſequela, ſi Polanus etiã Italos omnes, ex vniuerſali illo aſſenſu, Pontifici contrarios, aduerſoſque facit? Quis ex perpetuis hiſce contradictionibus, mendacijs, ac falſitatibus non videat, Polanum hiſtoriam pro ſolo arbitrio confinxiſſe?

Et quid etiam leuius, quàm ex tranſitu Epiſcopi Varmienſis ſuſpiciones, ac trepidationes in Pontifice adnotare; cum Cæſar Tridenti ſuos Oratores, ac Miniſtros haberet, per quos longe melius, ac per hominem aduentitium, ac nouum, de rebus Concilij inſtrui potuiſſet?

11. *Qui Pontifici non adhærebant, Romæ calumnijs obnoxij, facultatemque abeundi facilè impetrabant.*

HISTORIA.

PAg. 660. Per eos dies ab Vrbe allatũ eſt, cauſam quãdam Epiſcopi Legobienſis in Rota proponendam reiectam eſſe, & quendam ex Auditoribus procuratori Epiſcopi dixiſſe, principalem ſuum de hæreſi ſuſpectum eſſe: ex quo, non tàm Hiſpani, quàm omnes quoq; Tranſmontani ſummopere commoti fuerunt, querentibus ipſis, eos, calumnijs, notiſq; indignis proſcindi, qui illorum penitus partibus non adhæreant.

CONFVTATIO.

SEd, hoc etiam dato, iam Polanus loquens de Inſtitutione Epiſcoporum retulit 593. illum Epiſcopum, *eo tempore, noluiſſe quendam à Pontifice prouiſum, ad beneficium ſuæ Diæceſis admittere*, quæ cauſa forſan eius ſuſpicionis fuit, cum debita Pontifici obedientia, citra ſuſpicionem denegari non poſſit, & eo potiſſimùm tempore,

quo

quo auctoritas Pōtificis nominatim per hæreticos oppugnabatur. Sed, cum repugnet, Segobienſem Pontificis auctoritatem in re beneficiaria agnoſcere noluiſſe, dum eodem tempore eius ſeſe iudicio, atque auctoritati ſubijciebat in Rota, horum etiam omnium patet impoſtura.

Vt patet etiam malignitas, dū de Legatis ait pag. 677. eos diſcedendi veniam facilè illis dediſſe, ſed eis potiſſimùm, qui in reſidentia, & Inſtitutione Epiſcoporum, opinionem de Iure diuino tuebantur. Cum enim ſubdat 685. Legatos (*cum Moronius breui rediturus expectaretur*) *Epiſcopis, qui Tridento diſceſſerant, vt ad aſſumendos denuò actus Conciliares reuerterētur, de mandato Pontificis ſcripſiſſe*, aperit etiam illam abeundi veniam ad illud tantummodò tempus conceſſam fuiſſe, quo Cardinalis Moronius expectabatur, ad cuius vſque aduentum ab actionibus (ex relatione Polani pag. 671.) ceſſatum fuit, quo tempore Lotharingium quoq; animi gratia (ex eiuſdem relatione eadem pag. 671) diſceſſerat, Venetiaſque pari modo conceſſerat.

Quarè patet nil eſſe in hac quoq; Inſtitutionis Epiſcoporum quæſtione, quod Polanus non falſitate, ac malignitate contaminauerit, impoſturiſque corruperit.

Cardinalis Lotharingius, & Galli

SVMMARIVM.

1 *Pontifex, aduenientibus Gallis, alios Prælatos ad Concilium impellit.*
2 *Lotharingium ab itinere reuocare nititur.*
3 *Ob quæ Pontificijs ſuſpectus eſſet.*
4 *Eorum aduerſus Gallos machinationes.*
5 *Alij aduerſus eos Epiſcopi mittuntur.*
6 *In eoſdem, Pontificis conſilia.*
7 *In Lotharingium offenſiones.*

8 *Ad*

8. *Ad Synodum abſoluendam, cum eidem Pontificis aſtus.*

Multas in Gallos Pontificiorum machinationes, & artes congerit Auctor. Quæ hic ſingillatim, ad eius in his quoque detegendas fraudes, expendemus.

1. *Pontifex, aduenientibus Gallis, alios Prælatos ad Concilium impellit.*

HISTORIA.

PAg. 564. Pontifex impedimentum ſibi ad cælerem Synodi expeditionem, ex aduentu Cardinalis Lotharingij, Prælatorumque Gallorum timebat, ex quo admodum augebatur, præſertim ob ea, quæ maxima Cardinalis ille rebus Romanis aduerſa moliebatur, adeoq; illi infixa, vt ea diſſimulare nequiuerit, nullumque aliud occurrebat remedium, quàm adniti, vt, Italis præualentibus, Tranſmontani in ſuffragationibus, pro numero non conſiderabili haberētur, ideoque Epiſcopos omnes etiam titulares, & qui reſignauerant, ſumptibus ſuppeditatis, ampliſſimiſque promiſſionibus oneratos, Tridentum impellere non ceſſabat, deque aliquo Abbatum numero, illuc quoque mittendo, ex alicuius Concilij exemplo cogitauit; tametſi, re melius penſitata, tantum ſtudium oſtentare noluerit, ne alios ad idem prouocaret. Quare (vt ſubdit 569.) Galli de Pontifice querebantur, quòd nuper alijs Prælatis ſeſe Tridentum conferre mandaſſet, quos in eum finem mitti perſpectiſſimum eſſet, vt numero præualeret. Quod adeo apertè fieri, & eo potiſſimùm tempore, quo fama de Gallorum aduentu percrebuerat, per ipſos quinetiam Pontificios improbabatur, quibus, licèt, ad res in tuto ponendas numerum augeri placeret,

rem

Digitized by Google

rem tamen ea dexteritate fieri cupiebant, qua in eum finem id factum fuiſſe obijci non poſſet. Sed Pontifex id palam non imprudenter, ſed data opera faciebat, quò Lotharingius, fruſtrà ſe moliturum eſſe intelligens, ab itinere abſtineret, vel Galli aliquam diſſoluendæ Synodi occaſionem arriperent: qua in ſententia, non Pontifex ſolus, ſed tota propemodum Curia eſſet, quòd, ex illius Cardinalis machinationibus, perniciem ſibi, aut graue aliquod Concilio incommodum imminerè ſentirent.

CONFVTATIO.

QVibus oblitus, in contrarium poſteà ſubijcit pag. 587. *Roma in Congregatione Cardinalium de alijs Prælatis in aduentu Lotharingij, deque aliquot Cardinalibus, quos illi obijcerent mittendis, conſultum fuiſſe, ſed eius rei deliberationem dilatam eſſe, veriti, ne id Lotharingio indignationis materiam præberet, qua grauiora moliri in animum induceret.* Ex quibus aperit alios Prælatos miſſos non fuiſſe, vt ex eius inſuper narratione colligitur. Si enim (vt dixit pag. 556.) in ſeſſione, quæ aſſertas haſce Prælatorum miſſiones immediatè præceſſit, ſoli *centum, & octuaginta Patres* interfuerunt: & illicò poſt aduentum Gallorum pag. 610. referat, *Congregatione habita, cui, tum Epiſcopi, & Abbates Galli, tum cæteri Prælati omnes interfuerunt, omnes in totum ducentos decem, & octo adinuentos fuiſſe*, patet etiam ex auctore, poſt dictam ſeſſionem, vſque ad aduentum Gallorum, non plures acceſſiſſe Tridentum, quàm ſolos *triginta, & octo.* Quarè cum pag. 751. Ex Epiſcopis, qui cum Lotharingio acceſſerāt, *tres ſupra viginti enumeret*, ex neceſſitate conſequitur (ſi Abbates Galli quindecim fuiſſent) ne vnum quidem, præter ſolos Gallos, Tridentum eo tempore acceſſiſſe, cum viginti tres Epiſcopi, & quindecim Abbates Galli illum triginta, & octo numerum, qui acceſſerant; ada-

muſſim

muſſim impleant: ac proindè patet, vel neminem prorſus per Pontificem eo tempore miſſum fuiſſe: vel ſaltē paucos alios præter Gallos acceſſiſſe (ſi forſan Abbates Galli quindecim adamuſſim non fuiſſent.) Nam auctor eorum numerum non recenſet. Quo poſito, ea etiam conſilia, numero præualendi, & eas miſſiones Prælatorum, in eum finem palam per Pontificem factas: vt Lotharingius deſiſteret ab itinere, vel Galli diſsoluendæ Synodj occaſionem arriperent, nonniſi etiam mendaciſſimi impoſtoris commenta eſse conuincitur.

Quæ impoſtura eò impudentior eſt, quia, cum poſtea *Galli* eam Synodi diſſoluendæ occaſionem arripere parati eſſent, oſtendat, Pontificios, non modò occaſioni fomitem non dediſſe, ſed rem immò è contra componere ſtuduiſſe. Vt præſertim pag. 618; vbi, Gallis (ob contentionem de præheminentia aduerſus Hiſpanos) cum omnibus ſuis Prælatis diſceſſuros eſſe proteſtantibus (ex quo optima Synodi diſſoluendæ fuiſſet occaſio.) refert, Legatos rem compoſuiſse: quemadmodum & iteratò feciſſe commemorat 623. cum Galli ſe pariter proteſtaturos eſſe minitarentur.

Et cum retulerit (locis ſupra notatis) Pontificem ea potiſſimùm de cauſa Concilium ad Tridentum reſtituiſſe, ne Galli Nationale celebrarent; an credibile eſt, eundem Pontificem voluiſſe occaſionem Gallis præbere Nationalis celebrandi (vt minitabantur) cum de eo magis, quàm de Generali (ex auctoris teſtificatione ſuperius allata) timeret?

2. Pontifex Lotharingium ab itinere reuocare nititur.

HISTORIA.

PAg. 569. Cardinalis Ferrariæ, vti Lotharingio affinis, cum eo egit, affirmando ipſius acceſſum nullius momenti, & infrà dignitatem fore, quòd, nonniſi poſt deliberationes omnes, acceſſurus eſſet. Quæ officia per alios etiam facta fuiſſe addit. Subdens 587. Romæ, in Congregatione Cardinalium deliberatum fuiſſe Cardinalem Ferrariæ è Gallis reuocare, eiuſque Regni legationem Lotharingio offerre, quo eum ab itinere reuocari poſſe ſperabant.

CONFVTATIO.

SEd ſi (vt perhibet 586.) Lotharingius, *rege, eiuſq; Conſilio agentibus*, Tridentum allegabatur, quorſum illa apud eum officia, ſi eius acceſſio, non ab ipſius arbitrio, ſed à regis voluntate pendebat?

Et quo pacto potuiſſet Ferrarienſis ex eo Lotharingiũ ab itinere reuocare, quòd poſt omnes deliberationes acceſſurus eſſet, ſi, cum eodẽ tempore Oratores Galli querentur *illucuſque nil de reformatione actũ fuiſſe*, enucleatiſſimis verbis ſubdit 555. Legatos eis reſpondiſſe, *res illucuſq; actas principium tantummodò eſſe ſeque meditari meliora, & articulos ab eiſdem Oratoribus exhibendos, libentiſſimè accepturos eſſe: & in ſeſſione, quæ inſtabat, nil eorum petitionibus aduerſum agitandum fore?* Quo pacto enim poſt deliberationes omnes acceſſiſſent, ſi adhùc in exordio erant? Sed præter id, Hiſtoriç Galliç (quæ Popelinerij creduntur) dicunt, Ferrarienſem, hoc tempore, iam è Gallis reuocatum fuiſſe, quòd res Pontificis in illo regno in tuto iam eſſent.

3. Lo-

Digitized by Google

3. Lotharingius, ob quæ Pontificijs ſuſpectus eſſet.

HISTORIA.

PAg. 587. Lotharingij aduentus Pontificijs ex eo potiſſimùm moleſtus erat, quod, præter negocium electionis Pontificis, multas nouitates circa collationē Epiſcopatuum, beneficiorum pluralitatem, & circa communionem calicis, presbyterorum coniugia, miſſamq; in lingua vulgari (quod non minoris ponderis habebatur) moliretur.

CONFVTATIO

IN tribus primis malignitas patentiſſima eſt, cum, circa electionem Pontificis, iam idem Pius IV. diplomate edito, & eis rationibus, quas recenſet Auctor pag. 584. Lotharingij, hac in re, machinationes præuertiſſet: & cū à Rege mitteretur, credibile non eſſet, cum, in detrimentum regis, ob concordata inter Leonem X. & Franciſcum primum, de Epiſcopatuum, beneficiorumq; collatione agere voluiſſe: & contra beneficiorum pluralitatem, iam ſatis in prima Synodi reductione ſtatutum eſſet: nec veriſimile videretur, Lotharingium contra propria commoda laboraturum eſſe; quando ipſe, ex relatione Polani pag. 579. *alter Pontifex eſſet, & ob pluralitatem beneficiorū, annuo tercentorum millium aureorum cenſu afflueret.* Quarè cum ob hæc tria de Lotharingio vereri non poſſent, ſequitur, eos ex alijs timuiſſe, nempe, ob communionem calicis, connubia Sacerdotum, & diuina in lingua vulgari, quæ Galli petebant. Qui timor iuſtiſſimus erat, cum hæc vllo modo (ex fide Polani pag. 672.) citra labem religionis, mutari non poſſent. Et eò magis, ſi verè Lotharingius, (vt ait Polanus pag. 465.) *nouis opinionibus adhærebat.* Hanc enim eius timoris cauſam fuiſſe dicendum eſt,

non quam malignè auctor, ob alia tria, comminiſcitur.

Quare nemo non videt, Polanum pro arbitrio confingere, vt ex perpetuis etiam ipſius repugnantijs conuincitur, quas in hoc Lotharingij Gallorumque negocio ſubijcit.

Nam, cum dicat pag. 587. (vt iam notauimus) Pontificios ab offenſionibus in Lotharingium cauiſſe; nihilominus pag. 610. non ſolùm ait, Pontificios Tridenti, in acceſſu Gallorum, *conſpirationem aduerſus eos palam feciſſe*; Sed Legatos Pontificem monuiſſe (*ne quam Gallis ſuſpicionem darent*) *vt caueret, ne Tabellarij palam Tridentum ingrederentur*. Cui inſuper Regni Gallici Legationem ad eum ſibi magis conciliãdum, offerri placuiſſe addit. Quibus poſitis, non de Gallis ergo à ſe offenſionibus alienãdis, ſed amicos ſibi potiùs reddendis eo tempore cogitabant.

4. *Pontificiorum in Gallos machinationes.*

HISTORIA.

PAg. 601. Cum de Lotharingij aduentu nuncius afferretur, ad obijcem ponendum, cogitarunt, abuſus Regni Galliæ in medium afferre, operamq; dare, vt de eis abolendis cogitari, Oratorum auribus deferretur; quandoquidem omnes Principes, qui Eccleſiæ reformationẽ vrgent, de proprijs abuſibus peragi nolint. Quare ſi res momenti, quæ in eorum incommodum verti poſſent aggrediantur; tum, & ipſi à rebus Sedi Apoſtolicæ exitioſis deſtitiſſent; tum ſuos Prælatos deſiſtere quoque mandaſſent. Nonnulliſque idcirco inter Romanos, Tridentinoſque epiſtolis vltrò citroque miſſis, cum id expedire iudicatum eſſet, abuſus, qui in Gallia potiſſimum, & partim etiam in alijs ditionibus eſſe prætendebantur, in vnum collecti fuerunt, indeque reformatio Principum ortum habuit, quæ in rerum ſequentium tractatione vberem ſuppeditabit materiam.

At,

At, præter id, Romæ remedium opportunum creditũ eſt, vt Legati auctoritatem, ſuperioritatemq; magis quàm in præterito exercentes, tantam Prælatorum audaciam compeſcerent; quemadmodum, & Tridenti remedium itidem opportunum videbatur, Prælatos Pontifici adhærentes, inter ſe iunctos, benè, ædificatos, ſatisfactoſque habere. Nam, tametſi ſuffragia partis aduerſæ creſcerent, ipſi ſemper numero tamen præpolluiſſent, deliberationumque arbitri extitiſſent, Synodiq; expeditionem, ad eam ſuſpendendam, aut transferendam, ſepoſito quocunque reſpectu, proſequerentur.

Non melius etiam conſuli poſſe ſcripſerunt, perque multos Pontificios Prælatos ſuis Romam Patronis ſcribi curarũt, quàm ſi qua detur occaſio (vt nullo negocio fieri poſſet) qua per aliquem ex principibus requiratur ſuſpenſio, nullatenus negligendo, quæ ſe prior obijceret, ad eamq; rem breuia in materia translationis, ſuſpenſionis, & huiuſmodi alia, quæ ex opportunitate vſui eſſe poſſent, ab Vrbe petebant.

Pontificem etiam ſe Bononiam transferre conſulebãt, quia frequentiores, recentioreſque nuncij reciperentur, & momento temporis, quæ opportuna, & neceſſaria viderẽtur prouideri poſſent; & ex quauis minima etiam occaſione, Concilij in eam Vrbem transferendi, illudue ſuſpendendi iuſtum colorem habuiſſent, ſed, quemadmodum Cardinalem Madruccium eius rei conſcium eſſe noluerunt; ità quicquam Romæ ad Cardinalis Tridentini eius patrui aures deferendum non eſſe monuerunt, quos multis, ac præcipuis de cauſis, omni ope laboraturos eſſe indubitanter credendum erat, nè è Tridento Synodus amoueretur.

CONFVTATIO.

Quorum omnium impoſtura certiſſima eſt. Primum enim ſi, (vt dixit pag. 600.) hæ machinationes non

prius excogitatas fuiſſe, quàm cum nuncius de aduentu Lotharingij aduenit (quod poſt diſceptationem Lainez habitam vigeſima Octobris accidiſſe docet:) & ante diem 30. eiusdem perfectæ fuerunt, vt refert pag. 602. quo pacto hæ machinationes in paucis illis diebus peragi, ac perfici potuerunt, ſi, ad eas ſtatuendas, *plures hinc inde epiſtolas inter Tridentinos, Romanoſque vltro, citroque datas fuiſſe* ſuppoſuit?

Etſi, vt dixit pag. 587. *in Congregatione Cardinalium deliberatum fuerat non alios Cardinales, ac Prælatos mittere* (vt proponebatur:) idque non in alium finem, quàm *ne offenſionis materiam Lotharingio præberent*: Cui inſuper Regni Gallici legationem ad eum ſibi magis conciliandum, offerri placuiſſe addit, non de Gallis ergo à ſe offenſionibus alienandis, ſed amicos ſibi potiùs reddendis, eo tempore cogitabant.

Et ſi ex illa Principum Reformatione ſibi Principes omnes aduerſos, infenſosque reddidiſſent & præcipiendo Legatis, vt *in Prælatos auctoritatem, ſuperioritatemque magis quàm in præterito exercerent*, Prælatos à ſe pariter abalienaſſent; quid magis ridiculum, quam eos nihilominus numero præualere præſumpſiſſe, dum ait, *Tridenti remedium opportunum viſum fuiſſe Prælatos Pontifici adhærentes inter ſe iunctos, benè ædificatos, ſatisfactoſque habere, quòd tametſi ſuffragia partis aduerſæ creſcerent, ipſi tamen ſemper numero præpolluiſſent, deliberationumque arbitri extitiſſent*? Quo enim pacto Principibus, Prælatiſque ſimul æque offenſis præualere vnquam numero potuiſſent, ſi vix ſolos temporalis ſuæ ditionis Prælatos à ſe Pontifex habuiſſet? Quod eò magis ridiculum eſt, quòd velit inſuper Pontificios credidiſſe Prælatos à ſuorum Principum arbitrijs penitus dependiſſe, dicens, *Principum reformationem in eum finem excogitatam fuiſſe, vt, ad eam effugiendam ſuis Prælatis à rebus Sedi Apoſtol. contentioſis deſiſtere iuberent*. Si enim reuera credidiſſent, Prin-

cipes in ſuarum ditionum Prælatos imperium exercere potuiſſe, quid magis inſulſum, quàm, hoc poſito, eos numero prævalſuros eſſe crediſſe, dum Principes offendebant, à quorum arbitrijs Prælatos dependere credebant, cum immò è contra timere debuiſſent, ne Principes exarcebati, ſuis Prælatis præcipiendo, ipſum magis Pontificem oppugnarent, eique potiſſimùm in contentionibus Reſidentiæ, & Inſtitutionis Epiſcoporum, atque auctoritatis Pontificiæ (quæ illo tempore feruebant) negotium faceſſerent.

Præterea (Principibus abalienatis) quid etiam leuius, quàm Cardinales Romæ ad Synodi expeditionem conſuliſſe, vt, ſepoſito quocunq; reſpectu, audacter procederent, quò Synodus *abſolueretur, aut ſuſpenderetur, vel aliò transferretur*, cum de ea abſoluenda, ſuſpẽdenda, aut transferẽda, inuitis Principibus, ne cogitari quidem potuiſſe, pluribus ſupra docuerit pag. 542. 564. 585. ſed potiſſimùm 587. vbi has impoſſibilitates Romæ in eadẽ Congregatione Cardinalium agnitas fuiſſe perhibet? Et hæc Romana ſunt artificia; an tua potius delitamẽta Polane?

Ex quibus itidem aſſumi poteſt quàm ineptè quoque affirmet, Legatos ſcripſiſſe, perq; multos Prælatos Pontificios Romam ſcribi mandaſſe, non melius conſultum fore, quàm ſi occaſio aliqua ſubminiſtretur, qua aliquis ex Principibus ſuſpenſionẽ requirat, & quæ ſeſe primùm offerret arriperent, eaq; de cauſa breuia in materia tranſlationis, ſuſpenſionis, & ſimilia à Pontifice requiſiuiſſe, quæ ex opportunitate vſui eſſe poſſent. Cum enim Cęſar, & Reges Chriſtianiſſimus, & Catholicus id ſoli requirere potuiſſent (quos *Concilium protrahere, & re infecta diſſolui voluiſſe certò credebant*, (vt dixit;) quænam ea conſilia erant? Præſertim quod pag. 564. de Principibus apertiſſimè dixerit, *eos omnes Synodum apertam ſed otioſam, ac deſidem voluiſſe, Cæſarem, vt Germanis gratificaretur eoſque fautores in eligendo filio Regem Romanorum haberet Gallum,*

vt rebus ſuis cum eiſdem, ſuiſque Hugonottis conſuleret: quẽadmodum, & hac eadem pag. 601. dicit de Rege Hiſpaniæ: Et ex eo quin inſuper ſe prodat impoſtura, quod, tametſi ſe occaſio illicò, ex concertatione de præheminentia inter Oratores Hiſpanos, & Gallos obiecíſſet; adeò tamen ab illa arripienda abfuerint Legati, vt immò pro concordia totis viribus laborauerint, vt refert pag. 618. Quæ opportunitas cum ſe iteratò obieciſſet pag. 650. cum Pontifex delectum militum per Duces Saxoniæ, ac Victembergij, Lantgrauiumque Haſſiæ in Germania haberi certior factus eſſet, eam pari modo neglexit. Nam optimum proculdubiò diſſoluẽdæ, ſuſpendendæ, aut transferendæ Synodi colorem habuiſſet. Ex quibus aſſumi pariter potes, quàm malignè Polanus toties, locis ſupra relatis, dixerit, *Pontificem cuicunque diſſoluendæ Synodi occaſioni fomitem daturum fuiſſe*: & quàm impiè ſubdat 611. creditum fuiſſe *Pontificem internè aliquẽ Hugonottorũ progreſsũ in Gallia cupiÿſſe* vel, vt *Proteſtantes in Comitijs Germanicis aliqua ex parte potiores eſſent*, quò Concilium, ſe nullatenus auctore, diſſolueretur, ſeque Bononiam, (vt addit 638.) transferre delibeраſſe, quò *propè eſſet, & abſoluenda, vel transferendæ Synodi occaſiones arripere poſſet*, cum antequam nuncij Romam peruenirent, euaneſcerent, in quibus malignitas apparet, quòd etiam de occultis pronunciet, quæ ſoli Deo nota eſſe poterant, dum ex eis, quę ipſemet narrat, cõtrariũ ex neceſſitate dicẽdum erat.

Et quorſum ea pariter conſilia Pontificis ſe Bononiam transferendi, ſi, Principibus, Prælatiſque infenſis, fruſtrà vbicunq; nihilominus moliturus fuiſſet?

Quibus ineptijs cumulum addit concludẽdo, Legatos (quos has nugas per Prælatos Pontificios, amicis, Patroniſq; ſuis Romam ſignificari mandaſſe retulit) ea nihilominus occulta Cardinali Tridentino eſſe precepiſſe; quaſi oculi, aut reticeri poſſent, quæ per plures pluribus diſſeminabantur in ea Vrbe, quę omniũ gnara nil reticere põt.

5. Alia Epiſcoporum miſſiones, & artificia.

HISTORIA.

PAg. 611. Pontifex remedijs intentus, Epiſcopis, qui nondum Roma diſceſſerant, illicò diſcedere iuſſit, ac etiam Marcum Antonium Bobium Auguſtæ Prætoriæ Epiſcopum, Ducis Sabaudiæ apud ſe Oratorem, illuc ſe transferre voluit, cum è contra Archiepiſcopo Turritano, & Epiſcopo Cæſenæ, eò proficiſci prohibuerit; illi, quòd in Concilio ſub Paulo III. maiori quàm tẽpus exigebat conſtantia, reſidentiam de Iure diuino eſſe aſſeruiſſet: Epiſcopo Cæſenæ, quia Cardinalis Neapolis eo familiariter vteretur, de quo ſibi, ob duorum illius patruorum cædem, &, ob executiones in eum factas, admodum metueret, vereretur que, quòd penès Comitem Mõtebellij patrem Cardinalis, Syngrapha eiuſdem Pontificis manu ſcripta eſſe diceretur, cum Cardinalis in Conclaui eſſet, qua ſummam quandam pecuniæ Neapolitano, ad eius fauorem captandum, pollicebatur. Tametſi autem de Gallis cum primis diffideret, diſſimulandum nihilominus ratus, quadraginta aureorum millia (reſiduum centum millium, quæ promiſerat) in Galliam miſit; Sebaſtianumque Gualterium Epiſcopum Viterbij, vnà cum Ludouico Antinorio Tridentum ſpecie honoris allegauit, quia, cùm in Gallia commorati eſſent, aliqua illis cum eis Prælatis conſuetudo interceſſiſſet, obſequiũque Cardinali exhibuiſſent; ipſiſque ac Lanſacchio epiſtolas humanitatis, fideiq; plenas dedit, à quibus tamen miſſos fuiſſe exiſtimatum fuit, vt Cardinalis mentem introſpicerent, obſeruarentque actiones. Preſertim quia ab Vrbe moniti iam fuerant; Epiſcopum illum ad tantum timorem deponendũ, Pontificem hortatum fuiſſe; quandoquidem Lotharingius difficultates, & impedimenta,

ſua opinione maiora, nacturus eſſet, quorum etiam ſe machinatorem Gualterius exibuiſſet.

COMMENTATIO.

HAs Prælatorum miſſiones commentitias eſſe, iam oſtendimus ſupra in notis ad pag. 564.

Et quorſum nam ea Bobij miſſio? Si enim Pontifex Reformationem nominatim in odium Principum agitabat, quodnam ſubſidium ſibi ex eorum Epiſcopis, & miniſtris polliceri vnquam potuiſſet?

Et quonam pacto conſonat, Pontificem noluiſſe Archiepiſcopum Turritanum illuc accedere, quòd in reſidentia ab opinione De Iure diuino fuiſſet, ſi eodemmet tempore (ex eiuſdem relatione pag. 603.) miſſionem dare noluit Archiepiſcopo Granatenſi, qui opinionis de Iure diuino in reſidentia, & Inſtitutione auctor, ac promotor, propugnatorque acerrimus perpetuò fuit: nec Cardinali Seripandio Legato, qui opinioni de Iure diuino (vt ore Simonetæ dixit eadem pag. 603) pariter adhærebat?

Eoque magis, ſi in illo articulo *maior Prælatorum pars à Pontifice erat*, vt ore Hiſpanorum dixit. Nam nulla ergo timoris occaſio Pontifici ex vnius acceſſione eſſe potuiſſet. Quare nec eodem tempore Epiſcopo Veglanenſi ſe Tridentum conferre prohibuit, quamuis, dum Romæ eſſet (vt paulò ante notauimus) ſe rebus Pontificis aduerſiſſimum propalaſſet.

Et quàm plena erat in Concilio Patrum libertas, ſi Pontifex etiam *ab Epiſcopo Cæſenæ* (hoc eſt à temporalis quoque ſuæ ditionis Epiſcopis, ſibi timere poterat?

Syngraphas etiam ſomniat Polanus, & quæ nullibi tamen apparent confingit, vt patet, quòd non dicat Pontificem ſibi ex eius Syngraphæ conſcientia timuiſſe, ſed quòd *ea vulgò iactabantur*. Nam incerti ergo rumores erant.

rant. Sed ex occultis vanos rumores fingere, famamque incertam ſpargere calumniantium mos eſt, vt alios ſaltē falſo rumore, maculis inſpergant. Quis enim ſanæ mentis credat, vel earum ſyngrapharum auctores, vel eos, quibus ex illis cautum fuiſſe Polanus obtrudere vellet, ea vnquam propalaſſe, quibus ſemet illicò reos conſtituiſſent; vel adeo impudentes fuiſse, vt propriam turpitudinem euulgaſsent?

Et quid opus fuiſset Pōtifici Lotharingij mentem per alios expiſcari, ſi (ex fide Auctoris pag. 600.) idem met Lotharingius, *& qui cum eo erant, & ante diſceſſum è Gallis, & in itinere, ſua vbique conſilia apertiſſimè, more Gallorum, propalauerant?* Nam quorſum artes illæ cum Gallis, quibus proprium eſſe ait 622. *rem apertè agere:* quiq; (vt addit 635.) *nec in rebus etiam ſecretis vllam cautionem adhibent?* Quam malignitatem ex ſe poſtea detegit, ſubdēs 634. *Gualterium rem ea dexteritate apud Gallos geſſiſſe, vt, tametſi Lotharingius ſciret illum ad ſe vti exploratorem, indagatoremque miſſum fuiſſe, eam tamen ſolertiam adhibuit, qua Cardinalis, Oratorumq; confidentiam, citra aliquam ſuæ apud Pontificem & Legatos fidei diminutionem, aſſequeretur.* Quid namq; inſulſius, quàm Gualterium potuiſſe apud Pontificem, Legatoſque ob confidentiam cum Lotharingio, & Oratoribus Gallis periclitari, ſi data opera à Pontifice ipſo reuera miſſus fuiſſet, vt, *ſpecie familiaritatis, & amicitiæ,* eorum intima introſpiceret, quod nonniſi intimè, ac familiariſſimè cum eis agendo, proculdubiò aſſequi potuiſſet? Quarè ſi Gualterius, ob eam familiaritatem, non tamen (vt notat Polanus) in Pontificis, Legatorumq; ſuſpicionem incidit; non ergo miſſus fuerat, vt, ſpecie familiaritatis, & amicitiæ, facilius exploraret; ſed vt reuera (vt dixit) Cardinali ſolùm honorem, Pontificis nomine, deferret. Et; ſi verè Lotharingius ſciuiſſet, Viterbienſem, non ſolùm vti indagatorem, ſed vti etiam machinatorem aduerſus eum, miſſum fuiſſe; an illum

 adeò

adeò familiariter adhibuiſſet, vt ſeſe illi penitus aperiret, & cum ſuis inſuper, ad Pontificem inſtructionibus remitteret, vt ait? Galli (vti ingenui) liberi quidē, & aperti ſunt; ſed non adeo tamen incauti, vt temerè prorſus agant. Quæ dicta ſint ad Hiſtorici malignitatem, etiam ex repugnantijs, prodendam, cum Pontificem, in hac Viterbienſis, & Antinorij miſſione, ab his conſilijs alienum omninò fuiſſe perhibuerit Io. Baptiſta Adrianius in ſua Hiſtoria lib. 17. quem vide.

Et quo pacto etiam quadraginta illa aureorum millia in Galliam, & epiſtolas Lotharingio, atque Oratoribus Gallis, humanitate, ac fide plenas in eum finem, quem ſupponit, dare vnquam potuiſſet Pontifex, ſi, ex tot grauiſſimis in eos offenſionibus (quas auctor ſupponit) nullum prorſus apud eos diſſimulationi locum reliquiſſet?

6. *In eoſdem Gallos Pontificis conſilia.*

HISTORIA.

PAg. 629. Moleſta præcipuè Pontifici erant, quæ Galli meditabantur, præſertim, quia epiſtolas nunquam è Tridento acciperet, in quibus, vel Cardinalem Lotharingium, vel aliquem ex Oratoribus reformationem petere non afferretur, illudque inſuper adderent, ſe ni in eis, quæ requirebant, voti compotes fierent, rei propriæ in ſuis regionibus conſulturos eſse, & etiam circa Annatas, præuentiones, aliaq; ad Romanum Pontificem ſpectantia prouideri obtendere, ſæpisſime dictitarent, Ideoque apertè cum Gallis agere decreuiſse, & illis, qui apud ſe Romæ erant dixit, cum de eis, quæ ad ius Regis propriè pertineant, cum eo tranſigere, & ad amicabilem aliquam compoſitionem venire ſe toties exhibuiſset, videns, miniſtros Regis, in Concilio, eis de rebus, ſemper in Synodo agere velle dictitare, experiri ſtatuiſse, an Rex in aper-

tam

tam ſecum, ea de cauſa, diſsenſionem prorumpere vellet; ſuoque Nuncio in Gallia, de eodem negocio verba facere, per hominem certum mandaſse: Lotharingio verò ſcripſit, materias illas, citrà læſionem, eorum quæ Rex per Auxerrem expreſsè pollicitus eſset, in Synodo proponi non poſse: & pag. 682. Pontificem, rationes omnes initurum, quibus Lotharingium ad ſuas partes traduceret, cum Cardinalis Ferrariæ propediem in Italiam reuerſurus eſset, cum quo Lotharingius, ob multa ad communes nepotes ſpectantia, congreſſurus erat, officijs eidem cum illo agere mandaſſe, quò Concilium Bononiam transferri annueret, eique idcirco Vintimilieſem obuiam miſiſſe, qui illum de Synodi rebus inſtrueret.

CONFVTATIO.

At primùm, quod pertinet ad Regem, cum pag. immediatè præcedenti 601. retulerit (vt iam notauimus) Pontificem, non modò *reformationem Principum in odium nominatim Gallorum, in medium afferri mandaſſe*; Sed id inſuper *ad Oratoris Gallici aures perferri voluiſſe*; an Pontifex de amicabili illa cum Rege compoſitione, eodem et tempore, cogitare poſſet, ex hoc ſolo ſatis, ſuperque colligi poteſt.

Quod verò pertinet ad Lotharingium, quàm ab illo ad ſuas partes traducendo alienus eſſet, ex hucuſque allatis docuimus. Et, præter id, quo pacto illum ſibi conciliare, in eum potiſſimùm finẽ ſtudebat, vt Concilium Bononiam transferri annueret, ſi (ex eius relatione pag. immediatè præcedenti 681.) *Pontificij propemodum publicè dictitabant, rectè Pontificem dicere, Cardinalem illum, caput factionis eſſe, expeditionemque ad Bononiam morari*? & ſi, cum pag. 663. eodem tempore Lotharingius Synodi legationem ambiret, voti compos eſſe non potuit? An enim hæc ratio erat illum ſibi conciliandi, quò Synodum Bono-

no-

noniam transferri annueret?

7. *In Lotharingium offenſiones.*

HISTORIA.

PAg. 685. Cum Pontifex per epiſtolas Lotharingio ſignificaſſet, ſibi placere, res contentioſas omitti, nec de dogmatibus ordinis, deque reſidentia loqui, omnemque veram in reformatione poni, eam epiſtolam Lotharingius ad exordium aliquod faciendum, Simonetæ communicauit, qui rem in reditum Moronij reiecit. Cumque ob id Lotharingius ſe offenſum, quaſi à Pontifice deluſum, agnoſceret, ac præterea monitus, Moronium de libertate Concilij cum Cæſare colloquentem, in ipſum præ cæteris, Oratoreſque Gallos impedimētum reieciſſe, apud omnes, quibuscum congredi contigiſſet, querebatur, dicendo, Concilium omni penitus libertate carere, &, non ſolùm ab Vrbe quæcunque etiam minima decerni expectari, ſed inſuper ſatis dignos Patres, ſeque, & Cardinalem Madruccium non reputari, quibus mandata Pontificis communicarētur, quò poſſent eius voluntati obsecundare, ac mirabile viſu eſſe, cum Legati curſores, de eadem ſæpè ſæpius re, & ex quauis etiam minima cauſa, adeò frequentes expediant; nihilominus quid delibetatum, quodve reſponſum generaliter ſaltem aduenïſſet, penitus ignoretur. Quæ à Pontificijs non ſine multo rubore accipiebantur, cum adeò manifeſta, & publica eſſent, vt nullo modo negari, aut excusari poſſent.

Addens pag. 700. Lotharingio alias offenſiones per Archiepiſcopum Hydruntinum illatas eſſe: Cardinalemque Moronium admonitum ne eos ſimul ad Congregationes vocaret, reſpondiſſe, ſe Archiepiſcopum illum omnibus conſultationibus adhibere in mandatis à Ponti-

tifi-

ſificè habere, eiuſque habendam eſſe rationem, quòd ad 40. ſuffragiorum ſequela ſuffultus eſſet.

CONFVTATIO.

HÆc omnia falſa, & commentitia eſſe, ex ipſomet Auctore conuincitur. Non enim Lotharingius queri vnquam potuiſſet, res in aduentū Moronij reiectas per Simonetam fuiſſe, cum iam ita inter Patres condictum eſſet, vt docet præciſiſſimis verbis referens pag. immediatè antecedenti 684. *Gallis, qui Tridenti erant, ſuperuacaneum viſum fuiſſe apud Patres (iuxta mandata Regis) ante Moronij reditum, inſtare, quòd actiones Conciliares eouſq; differri iam cum omnibus condictum eſſet.* Quo quærelarū Lotharingij fundamento euerſo, patet ex conſequenti, illas quærimonias, & criminationes, quas ore Lotharingij profert, nonniſi eius eſſe commenta, quò proprium venenum, alieno ore euomeret, vt ſolet.

Et, præter id, omninò repugnet, tot curſores per ipſoſmet Legatos, adeò palam, & apertè quotidiè miſſos fuiſſe, vt, non modò negari, & excuſari non poſſet, ſed res ipſæ omnibus inſuper notæ eſſent, ob quas expedirentur, cum ipſemet pag. 610. aduenientibus Gallis, dicat, *Legatos, ad ſuſpiciones euitandas cauendū eſſe Pontifici ſcripſiſſe, ne Tabellarij publicè mitterentur.*

Quæ falſitas, & malignitas etiam apparent in ſuppoſita illa reſponſione Moronij, vt ipſemet perſpectiſſimum facit pag. 718. Vbi, propoſito decreto reſidentiæ, cum approbatum eſſet à Lotharingio, & Madruccio, ait, *Patriarcham Hieroſolymitanum, Archiepiſcopos Verallum, & Hydruntinum ſuam ſententiam dicere noluiſſe; Archiepiſcopumque Bracharenſem ad Legatos conuerſum, eos quodammodo redarguendo interpellaſſe, vt Prælatos ſuam ſententiam dicere ex officio cogerent, eam reprehenſibilem introductionem in Synodo eſſe dicendo, quaſi aut tacere adigerentur, aut nonniſi*

omn

cum ſequacibus loqui ambirent Si enim Hydruntinus ſententiam dicere noluit, quòd *ſequaces* (ex fide auctoris) *non haberet*, vt apertiſſimis verbis teſtimonio Bracharenſis ait; quis ex conſequenti non videat eorum quadraginta Prælatorum ſequelam illi tributam, nonniſi Polani eſſe commentum?

Et qua etiam veritate ſubdit, Lotharingium (his ſepoſitis offenſionibus) ob priuatas; ſuas rationes, Pontifici arctius adhærere, eique ſatisfacere decreuiſſe, ſi nihilominus Concilium ſupra Pontificem eſſe acerrimè tuebatur, & ex alijs, quæ alibi notauimus, contrarium ſe omninò Pontifici comprobauit?

8. *Ad Synodum abſoluendam, cum Lotharingio Pontificis aſtus.*

HISTORIA.

PAg. 750. Præcipua Romæ inter Pontificem, & Lotharingium negociatio fuit de Synodo abſoluenda; quod ſummi ponderis, ſed maximæ difficultatis à Pontifice habebatur: de quo ſumma inter ipſos fiducia, cum Cardinalis rerum ſuarum rationes eodem collimare Pōtifici detexiſſet, & quia, poſt ſuorum fratrum obitum, non aliter religionem in Gallia, ſuæque familiæ dignitatem ſuſtineri poſſe, liquidò agnouerit, quàm ſi arctiſſimis cū Sede Apoſtolica vinculis coniungantur. Pontifex Cardinales, ex illius voto, creare Lotharingio promiſit, eumq; ſibi ſucceſſorem in Pontificatu deſignare, non obſcurè ſignificauit, quibus, vt maior fides eſſet, eius Cardinalis amplitudinem ad ſcopum ſibi magnum aliquod molienti, propoſitum, facere aperiebat, omnes ſuos ſermones in eo cum omnibus concludendo; Concilium claudendū, pecuniaſque parandas eſſe, & Dei poſtmodum voluntas fiet: Cumq; poſthæc in grauiſſimum vitæ periculum incidiſſet,

diſſet, ait 785. Cardinalem Borromęum Legatis, Lotharingioque ſcripſiſſe, in eiſque literis pauca verba manu Pontificis ſcripta fuiſſe, quibus Lotharingio promiſſionis ſe memorem eſſe ſignificabat.

CONFVTATIO

COnſuetæ impoſtoris nugæ. Quo enim pacto Pius ipſi Lotharingio dicere potuiſſet, ſe illum ſibi ſucceſſorem in Pontificatu deſignaſſe, ſi, cum idem Lotharingius tentaſſet, paulò antè, aliquam Tranſmontanis ad Pontificatum viam aperire, iam idem Pius (ex relatione Polani 584.) *omnes Principes Italos, ad præueniendum periculum, admonuerat, oſtendendo quanta id Nationis diminutione fieret, ſi accidiſſet: ac per ſuum Nuncium Regi Catholico machinationes Gallorum ſignificari mandauerat* (vt addit) *quas in eum finem tendere dicebat, vt Pontificem haberent, cuius ope Neapolim, Mediolanumque (in quibus ius prætendebant) occuparent?* Et ſi, *ne quicquam ex parte ſua omitteret, ad fundamentorum partem euertendam, ſuper quibus Cardinalis ille ædificare poterat, bullam quin etiam in hac materia vulgauerat*, quam auctor ibidem recenſet? quid nugacius? quid leuius? quid inſultius?

Et Polani leuitas eò ſeſe magis aperit, cum ingentes eas Pontificis ſponſiones in eum finem factas fuiſſe ſupponat, vt per eum abſolutionem Synodi vrgeret. Non enim Pontifici opus erat, eò tempore, his Lotharingium machinationibus impellere, ſi iam Lotharingius *eodem rerum ſuarum neceſſitatem collimare* Sãctitati eius aperuera t, vt dixit.

Quarè, cum in hoc etiam Lotharingij, Gallorumq; negocio nihil ſit, quod non Polanus falſitate, calumnijs, impoſturiſque infecerit, ex his etiam plenè conuincitur, eum ſuam hiſtoriam ex ſola malignitatis ſuggeſtione pro arbitrio confinxiſſe.

De Reformatione.

SVMMARIVM.

1 *Erga Synodum, ac pro reformatione, Cæſaris ſtudium.*

2 *Eiuſdem ad Legatos, ac Põtificem, ea de re, querimoniæ.*

3 *Ad reformationem impediendam, Pontifex de Synodo diſſoluenda, aut ſuſpendenda agit.*

4 *In ea diſſoluenda, aut ſuſpendenda Cæſaris, Principumque conſenſum requirendum fuiſſe.*

5 *Cuncta prius Romæ conſulebantur, omnibus proponere liberum non erat; Prælatorumque prenſationes.*

6 *Abuſibus Romę originem, fomitemque eſſe, omnes communiter opinari.*

7 *Oratoribus Gallis verba ſolùm inania data fuiſſe.*

8 *Ad reformationem impediendam Pontifex Cardinalẽ Moronium expreſſum ad Cæſarem allegat.*

9 *Et ne Principes ſuas petitiones in Synodo exhiberent, eas ſibi dari inſtat.*

10 *Chriſtianiſſimus Reformationem, per Biragum ſuoſque Oratores vrget.*

11 *Galli, quòd Italis numero preualerent, nullam amplius Concilij exiſtimationem habent.*

12 *Ne dogmata, abſentibus Proteſtantibus agitentur, vnà cum Cæſareis inſtant.*

13 *Concilium nulli rei contra vtilitatem, auctoritatemque Romanam aures prebuiſſe.*

14 *Propoſitionum arbitrum fuiſſe Pontificem.*

15 *Nec minus deliberationum, ob multos penſione conductos, alioſque deuotos.*

16 *Nec Patres ſe in reformatione Curia ingerere voluiſſe.*

17 *Hiſpanos ob ſui Regis correctionem, in reformatione abſorpuiſſe.*

18 *De Eccleſiaſtica diſciplina reformanda peragi, Oratores obti-*

obtinere non potuiſſe.

19 *Dogmata vſque ad ſuorum Prælatorum aduentũ Galli differri inſtant.*

20 *Pontifex quadraginta aureorum millia, ad Regem ſibi conciliandum, liberè dimitti mandat.*

Circa Reformationem, Pontifex, non ſolùm alienus ab ea, ſed inſuper oppugnator à Polano deſcribitur; cuius hic ea de re mendacia enucleabimus.

HISTORIA.

AIt primùm pag. 659. Cardinalẽ Lotharingium Tridentum penultima Februarij reuerſum, cum officij gratia Legatos adijſſet, oſtendiſſe, bonam Cæſari mẽtem, feruentemque erga res Synodi zelum eſſe, & aliquem ex ea fructum percipi deſiderare, cui etiam, ſi res poſtulaſſet, præſens adfuiſſet, Romamque inſuper adijſſet, Pontificem deprecaturus, vt Chriſtianitati miſeratus, reformationem fieri annueret, citra ſuæ tamen auctoritatis diminutionem, quam ſummopere veneretur, cum ea in medium afferri nullatenus laturus ſit, quæ ad rem Sanctitatis ſuæ, Romanæque Curiæ pertineant. Sed, in priuatis congreſibus cum alijs addebat, Concilium, ſi qua decuiſſet prudentia pertractaretur, celerem, facilemque exitum habiturum, in eoq; Cæſarem eſſe, vt reformatio omninò, atq; accerrimè fiat, cui, ſi Pontifex obijcem ponere non deſtitiſſet, vt factum illucuſq; erat magnum aliquod inde ſcandalum oriretur, &c.

Et 664. Epiſtolas Cæſaris ad Legatos, & Pontificem, querimonijs ea de cauſa plenas recenſet, in quibus dicebat, ſe deſiderium, quo flagrabat, progreſſum aliquem proficuum in Concilio videndi ſignificaſſe Legatis, adcumque finem nonnulla amoliri impedimenta neceſſe

eſſe, de quibus cum Pontifici ſcripſiſſet, ipſos precari quoque voluiſſe, vt, & rebus ipſis in Synodo, & precibus cum Pontifice agerent, quò rei proſecutioni in Dei gloriam, Chriſtianitatiſque vtilitatem, incumberetur. Et in epiſtola ad Pontificem dixiſſe, ſe vt Aduocatum Eccleſiæ, grauiſſimis negocijs cum Electoribus, alijsque Principibus, ordinibusque Germaniæ expeditis, nil accuratiùs, quā res Cōcilij promouere curaſſe, qua de cauſa etiam ſe Oenipontū contuliſſet, vbi, nō ſine magno animi ſui dolore accepiſſet, res non ex eius ſpe, nec ex publicæ tranquillitatis neceſſitate procedere, timereq; ſe, ni remedium adhibeatur, ne Synodus cum vniuerſali ſcandalo, eorumque riſu abſoluatur, qui ab obedientia Romanæ Eccleſiæ deſciuerint, ac maiori etiam, ad ſuas opiniones peruicaciùs retinēdas, incitamēto: ſeſſiones à multò tempore celebratas non eſſe, & dum Principes, in conciliandis aduerſarijs, qui opinionibus diſcrepant, laborabant, Patres ad contentiones ab eorum dignitate alienas proceſſiſſe: famæ vocibus circumferri, Sanctitatem ſuam, ex implicato forſitan rerum præſentium ſtatu permotam, de Synodo diſſoluenda, aut ſuſpēdenda agere; ſed ſe contrà cenſere. Nam nunquam Synodum cæptam fuiſſe præſtaret, quàm eam cum totius Orbis ſcandalo, ac Sanctitatis ſuæ, totiusq; Eccleſiaſtici ordinis vilipendio, illiusque, ac futurorum Conciliorum generalium pręiudicio, atq; exiguarū Chriſtiani populi reliquiarū iactura, imperfectam, & illa apud populos opinione relicta dimitti, vt non alius diſſolutionis, aut ſuſpenſionis ſcopus fuiſſet, quàm reformationis impediendæ ſtudium. Sanctitatem ſuam, in Synodo indicenda, ipſius, aliorumque Regum, Principumque conſenſionem requiſiuiſſe, quod, ſuorum prædeceſſorum exemplis inſiſtendo, fecerit, qui id pluribus de cauſis neceſſarium duxerint, citra quorum aſſenſum, eam etiam diſſolui, aut ſuſpendi non poſſe conſequens ſit; à quo conſilio, vtpotè proboſo, ac dam-

damnoſo, eum aures auertere hortabatur, cum Concilia Nationalia inde conſecutura eſſent, à quibus sēper Sanctitas ſua, vti Eccleſiæ vnitati contrarijs, abhorruerit: & quemadmodum ea per Principes, ad Pontificiam auctoritatem conſeruandam, impedita fuerunt; ita diutius negari, aut impediri non poſſent, eumq; ad opem libertati Concilij ferendam, hortabatur, quæ ob tria præcipuè impediebatur. Primùm, quia cuncta prius Romæ conſulerentur; Secundo, quia proponere liberum non eſſet, cum Legati ſoli hanc ſibi libertatem, quę communis omnibus eſſe debebat, aſſumpſerint; Tertio, ob prenſationes nonnullorum Prælatorum, quibus Romanæ Curiæ amplitudo vtilis eſſet. Cumq; reformatio Eccleſiæ neceſſaria eſſet, & abuſibus Romæ originem, fomitemq; eſſe omnes communiter opinentur, neceſſe eſset, reformationē, quò omnibus ſatisfiat, non in ea Vrbe, ſed in Concilio fieri; ideoq; inſtabat, Sanctitatē ſuam petitiones per eius Oratores, alioſq; Principes exhibitas proponi annuere.

Et *669.* Oratores Gallos indoluiſſe ait, ſe, cum per vndecim iam menſes poſtquam Tridentum acceſſiſſent, deſolationes Galliæ, Chriſtianitatisq; pericula, ob differētias in religione. quotidie expoſuiſſent, ac nil magis neceſsarium: peculiareq; eſſe remedium dixiſsent, quàm rectam abſolutamq, morum reformationem, cum aliqua legum poſitiuarum moderatione, nonniſi verba inania, effectu carentia recepiſse, reformationem pro viribus euitari, è Prælatis, ac Theologis in eo pleroſq; acriùs perſiſtere, vt nil neceſsitati temporis detur; deprecantes animaduerti, quotnam viri probi, antequam quicquam ad publicam vtilitatem conferre valeant, è viuis excedant, vt Cardinalium Mantuæ, ac Scripandij docent exēpla: ideòq; ad exonerandas proprias conſciētias, aliquid ipſi efficiant. Quæ etiam additis Conciliorum Nationalium minis, iterum Lotharingij ore profert pag. *674.*, & *681.*, vt iam notauimus.

CON-

CONFVTATIO

SEd in eo, quod ad has reformationis petitiones, & Principum, Oratorumque querelas pertinet, Auctor apertiſſimè docet, Cæſarem, & Chriſtianiſſimum; tum per ſe; tum per ſuos Oratores, æquè Romæ, ac Tridenti, totis viribus laboraſſe, vt capita reformationis per eos exhibitæ, proponerētur, quòd, Calicis vſu, Sacerdotū Connubijs, lingua vulgari in diuinis, aliorūmq; preceptorum ac rituum Eccleſiæ moderationibus impetratis, ſibi perſuaſiſſent, populos, qui hæc, religione motos, enixè petere oſtentabant, eis acceptis, ad priſtinam religionem, & antiquam per conſequens obedientiam, redituros eſſe. Cumq; ſcirent, Pontificem Patreſq; Tridentinos ab huiuſmodi conceſſionibus alienos eſſe, quòd inde (vt Auctor docet) religionis catholicæ labes, totiuſque Eccleſiæ deformatio, ex neceſſitate conſecutura eſſet; ad ea quoquomodo extorquenda, tot alia reformationis capita, præcipuè ad Romanam Curiam ſpectantia, vnà ſimul cum eis dederunt, quæ nullum alium ſcopum haberent (vt refert 503. 638. & alibi) quàm *Pontificem Concilio ſubijcere, Datariam, Rotam, ſignaturas, totamque in ſummam auctoritatem Apoſtolicam conuellere; Romanamq; Curiam ad nihilum omninò redigere*, quò Pontifex, ad propria euitāda pericula, ſe conceſſionibus illis facilem præberet, cùm de alijs nullatenus, niſi per ſpeciem, & ad eum effectum tantummodò ſolicitos ſe ſimularent.

Quæ omnia patent ex Authore, cum pag. 638. apertiſſimis verbis dixerit, Cardinalem Lotharingium Pontifici, per Epiſcopum Viterbienſem, ſignificari mandaſſe, *Principes multa petere, vt, quæ maximè premunt, impetrent, quæ haud multum etiam Sedis Apoſtolicæ rationes reſpiciant veluti Calicis communionem, linguam vulgarem in Diuinis, Sacerdotumq; Connubia, in quibus quando ſatis eis per Pontificem*

tificem fiat, breuem ipſe, expeditamq; Synodi expediendæ viam nacturus eſſet: & 646. eundem Lotharingium pluries, pluribuſque Prelatis dixiſſe, Cæſarem, Regeſque Romanorum, & Galliæ, nouas perpetuò reformationis petitiones daturos eſſe, quoadusque Calicis conceſſionem impetrent, licèt Synodus, etiam per biennium protrahenda eſſet, quos, ea facultate accepta, non ſolum nullo negocio quieturos eſſe affirmabat, ſed inſuper addebat, 672. *petitiones illas, ſi ſatis eis Principibus fieret, adeòut propoſitiones reformationis per eos exhibitę proponerentur, & reformatio, citrà diminutionem auctoritatis Pontificiæ, ſtatueretur, illicò ceſſare feciſſent, ac Pontifici, ſe è Reformationis negocio eximere facilè eſſet, ſi quænam capita agitari nollet, quò cæterorum expeditioni inſiſti poſſet, diſertis verbis aperiret, contentioneſque ceſſarent, quæ cauſam dilationi præbeant; & pag. 735. tametſi Galli res adeò arduas proponerent, nihilominus omnibus indifferenter, ac ſtudiosè in eum finem dicebant, vt euulgaretur, ſe haud admodum, niſi in eis inſtituros eſſe, quę ad ius, & materias ſeculares ſui Regni pertinerent.* Quare Pontificem dicentem inducit 667. *Cęſarem, & Gallum animum Concilio, nonniſi quatenus è re ſuarum ditionum eſſet, adieciſſe, ac, præter illa, quibus ſatis ſuis populis facerent, nil aliud à Concilio voluiſſe, eiſq; denegatis, Concilium intercepturi eſſent, ne ſuos populos à ſpe deiÿcerent.* Vt Auctor idem quoque teſtatur dicens 659. *reuocandum in dubium non eſſe, quin Cardinalis Lotharingius de Conciliÿ rebus cum Cæſare egiſſet, eumque de incommodis occurentibus inſtrueret, ſuamq; ſententiam circa remedia aperiret, quę Romanæ Curię, & Prelatis Italis Tridenti opponenda eſſent, ad obtinendam in Concilio communionem Calicis, matrimonium Presbyterorum, vulgarem linguam in diuinis, aliorumque preceptorum de iure poſitiuo, relaxationem, reformationem in capite, & in membris, & efficiendum, vt decreta Conciliÿ ſint indiſpenſabilia, & quæ ratione, ni id obtineri poſſet, ſpecioſa occaſio, proprias iuſtificandi actiones ſumi poſſet, & cauſam obtendendi per ſeipſos ſuorum populorum neceſſita-*

Digitized by Google

ſitatibus prouidendi, aliquod Concilium Nationale celebrando, & agendo, vt Germani, & Galli in rebus religionis conuenirent.

Cumq; in his Principes voti compotes eſſe non poſſent, hinc illæ lachrimæ, hinc tot queſtus, totque in Pōtificem, Prælatoſq; Italos criminationes, quòd reformationem impedirent, eique incumbere nollent: hinc contentiones, & motus, quibus Synodi progreſſus, & abſolutio impediebantur, vt idem Polanus perhibet.

At, quàm piè, quàm ſanctè, ac prudenter; tum Pontifex; tum Synodi Patres eis petitionibus obſtiterint, Auctor ipſe luculentisſimè aperit, cum eiusdem Pontificis defenſionem aſsumens, eiuſque ea in re, conſtantiam, prudentiamque laudans, hæc præciſa verba, proprio nomine, profert pag. 672. *Pontifex, propoſitionibus ſibi per omnes Oratores factis, cum eis, quæ per Cardinalem Lotharingiū dici acceperat collatis, eò magis propoſitionibus reformationis per Gallos exhibitis aſſentiendum nō eſſe in ſeipſo conſtituit.* Subditq; *& quidem, non tàm magni ingenij vir, maximèq; in negocijs verſatus, vt Pontifex erat, ſed quilibet etiā vel mediocri ſapientia præditus, laqueum detexiſſet, ad ſe artificioſè (ni præcauiſſet) irretiendum contextum. Petēdo enim ab eo, vt declararet, quænam illi ex eis propoſitionibus non placerent, de cæteris deliberari ſineret, nil aliud obtendi perpendebat, quàm, vt, harum deliberatione conceſſa, cætera poſtmodum eidem pernicioſa introducerentur. Quis enim vereri vnquam potuiſſet, quin primas obtinuiſſe, non terminus, ſed gradus ad cęteras futurus fuiſſet? Et, preceptis Eccleſiæ ad ritus ſpectantibus, veluti cōmunione Calicis, cœlibatu Sacerdotū, vſu latinæ linguæ, quæ primo aſpectu, auctoritati Pontificiæ derogare non poſſe videntur; vel in minimo mutatis, non illicò Romanæ Eccleſiæ fundamenta penitus euerterentur? Nonnulla enim eſſe, quæ citra auctoritatis diminutionem, primo intuitu, admitti poſſe videantur; ſed prudentis eſſe, non minus terminos, quàm principia rerum animaduertere. Quibus*

rationi-

rationibus perſuaſus, non primis hiſce principijs cedendum eſſe,& alia remedia nō deeſſe cogitans, ad primas cogitationes redijt; nempè, Regem Hiſpaniæ ad petitiones factas proſequendas, nec vtilitate, nec proprio affectu duci: Cæſarem,& Gallos in eo totos eſſe, quòd, hac ratione, ſatis ſuis ſubditis facere, diſcordiaſque ciuiles ſedari poſſe ſperarent. Quibus ſi perſuaſum eſſet, hæreticos reformationem vrgere, vt, eo prætextu, à communione Eccleſiæ ſegregati viuant, nec ſe reditui attamē paſſuros eſſe, licèt etiam perficiatur, perpendit, Principes, ea opinione imbutos; tum ab illis petitionibus ceſſaturos; tum tranquillæ concluſioni Concilij aſſenſuros eſſe: ſeque totum ideo ad difficultates, hac ratione, ſuperandas conuertit, &c. Cardinalemque Moronium, anteqnam exordium rebus conciliaribus fieret, ea de re, certum ad Cæſarem allegare ſtatuit, &c.

Quibus poſitis, quemadmodum patet, Cæſarem, & Gallos, ea vrgendo (vt ſatis ſuis populis facerent) quæ, citrà Catholicæ religionis perniciem, concedi non poterant, Synodi proſecutioni impedimento fuiſſe, (vt auctor verbis apertiſſimis perhibet locis ſupra notatis;) ſic, Pontificem è contrà, propriæ rei rationibus, cæteris alijs omnibus poſtpoſitis, authoritatem, remque propriam in contentionem potiùs vocari, certiſque ea periculis obijcere voluiſſe, quàm, quæ Religioni perniciem allatura eſſent, admittere, vexationibusque, ac moleſtijs illis ſubiacere ſuſtinuiſſe, à quibus, ſola earum rerum conceſſione, liber illicò futurus fuiſſet. Et, cum Synodi proſecutio, ac terminatio ob eas difficultates impedirentur: Et inſuper Rex Catholicus, per ſuos Prælatos conceſſiones illas oppugnaret, vt perhibet 670. (quo vtique aduerſante, ob magnum ſuorum Epiſcoporum numerum, conceſſio illa nunquam fieri potuiſſet,) liquidò patet, Sanctitatem ſuam, prudenti eo conſilio, difficultates explicare, & Synodi proſecutionem per conſequens, quantum in ſe erat, promouère non deſtitiſſe.

Ex quibus nemo non videt, quàm malignè Auctor aliā

faciem; tum Cæſari; tum Pontifici, ex prænotatis eiuſdem Cæſaris ad Legatos, & Pontificem epiſtolis, affingere ſtudeat: & quam multa, in eiſdem epiſtolis, calumnioſa, & falſa admiſceat.

Primùm enim, ſi Cæſar, in ſumma, de ſola rituum, præceptorumq; Eccleſiæ moderatione ſolicitus erat, moram verò, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ reformationem per ſolam ſpeciem petebat, vt proprio, ac Lotharingij teſtimonio probauit paginis ſupra relatis 638. 646. & 667. repugnat etiam, eundem Cæſarem, in dictis epiſtolis ad Pontificem; & Legatos, *nonniſi vti, & Chriſtiani populi ſeruitium* ex Concilio ſibi propoſuiſſe, adeo iactanter profiteri potuiſſe; cum ex fide Polani, moderatio illa citra Eccleſiæ perniciem, concedi non poſſet. Quam ideò melius dixiſſet ò contra non potuiſſe *abſq; totius Orbis ſcandalo, hæreticorumque riſu, ac certiſſima Catholicę Religionis iactura*, concedi.

Secundo. Et, ſi Cæſar, ad dictam moderationem extorquendam ſuis petitionibus auctoritati Pontificis negocium faciebat; adeò, vt ex dictis petitionibus Synodi progreſſus impediretur; an meritò in dictis epiſtolis, in aliorum crimen vertere potuiſſet, *ſi Seſſiones iamdiu celebratæ non eſſent*?

Tertio. Nec dicere potuiſſet, Pontificem, illo tempore, de Synodo diſſoluenda, aut ſuſpendenda cogitaſſe: tum quia poſt hæc Polanus (vt alibi ſupra notauimus,) aſſeuerantiſſimè perhibuerit, *nullam aliam illucuſque deliberationem fuiſſe Pontifici, quàm Synodi abſoluendæ*; tum quia Pontifex eodem tempore, ad remouendas difficultates, quæ Synodi progreſſum, concluſionemque impediebant, *Cardinalem Moronium expreſſum ad Cæſarem allegaſſe*, dicat.

Quarto. Pium verò Quartum, in indicendo Concilio, Cæſaris, Regum, Principumque aſſenſum requiſiuiſſe, dicere non potuit, cum ipſemet retulerit pag. 421. Pium

de

de deliberatione ſolùm per ſe facta celebrandi Concilij, Principes certos feciſſe, eamque Cæſari, alijſque Regibus, ac Principibus communicaſſe. Vt eundem Cæſarem reſpondiſſe, notauit pag.666. Nec dicere poterat, id Pium, ſuorum prædeceſſorum veſtigijs inſiſtendo, feciſſe, cum pag. 58. 72. 90. 98. & 247. apertiſſimè dixerit, Paulum, & Iulium Tertios, qui primi indixerunt Concilium, *id ſpontè, ac proprio motu feciſſe.* Et, ſi Pius Principum conſenſum in indicendo, nec etiam in diſſoluendo Concilio, requirere debuiſſet.

Quinto. Et qua fronte, ore Cæſaris inquit, cuncta Romæ conſuli conſueuiſſe, cum (præter alia, quæ alibi diximus) ſemet ſtatim de mendacio redarguat, dicens illicò pag.662. *Romæ Legatis crimini datum fuiſſe, quòd articulum matrimonij presbyterorum agitari ſiuiſſent.* Nam, qua veritate ergo cuncta Romæ consulebantur, ſi articulus iſte, in quo de ſumma rerum pro Romana Curia actū fuiſſe obtendit, inſcio Pontifice, agitatus fuit? Quemadmodum ſibi etiam contradicit, dum proponendi facultatem omnibus communem eſſe debere, ac per Legatos vſurpatam fuiſſe obijcit, cum eam *ſolis maioribus, ac dignioribus*, ex vſu perpetuò in Eccleſia ſeruato, competere docuerit, locis alibi ſupra notatis. Et circa prenſationes, Legatos adeò ab eis alienos fuiſſe, rebus ipſis patefecerit, vt etiam in ſummi ponderis articulis Reſidentiæ, & Inſtitutionis Epiſcoporum (in quibus de ſumma rerum pro Pontifice, ac Romana Curia actum fuiſſe parimodo obtendit, quid eorum, aut mente Pontificis eſſet, nec ipſis quinetiam, quos *deuotos, rebuſque Romanis obſtrictiores* appellat, aperuerint, vt ex eodem auctore docuimus, vbi de Reſidentia, atq; Inſtitutione egimus.

Sexto. Dum verò ait, omnes communiter opinari, Romę abuſibus originem, fomitemque eſſe, oblitus eſt, ſe dixiſſe pag. 17. *ab hominibus pijs, bonæque voluntatis conſideratum eſſe, nō aliam nouitatibus originem fuiſſe quàm ex abu-*

ſibus à tempore ac negligentia paſtorum introductis.

Septimo. Et quid magis repugnans, quàm Oratores Gallos pag. ſupra notata *669.* de Legatis queſtos fuiſſe, dicendo, ſe per vndecim integros menſes, nil aliud ab eis, præter inania verba, effectu carentia, recepiſſe, quos etiam redarguerint, quòd Reformationem pro viribus effugiſſent; & eoſdem Legatos, de quibus querebantur, vt *viros probos* eodemmet tempore publicè laudaſſe, vt de Cardinalibus *Mantuano, ac ſeripandio* nominatim feciſſe ait eadem pag. *669.*

Ottauo. Ait, Cæſarẽ, & Gallos, ob id totos in reformatione fuiſſe, quòd hac ratione ſperarẽt ſatis ſuis ſubditis facere, diſcordiaſque ciuiles ſedari poſſe. Sed, ſi eis perſuaſum eſſet, hæreticos reformationem vrgere, vt eo prætextu, ab Eccleſiæ communione ſeparati viuant; nec ſe tamen reduci paſſuros eſſe etiam ſi fieret ab eis petitionibus ceſſaſſent, ac tranquillæ Synodi concluſioni annuerent; Et Pontificem hæc cogitando, ad difficultates hac ratione ſuperandas conuerſum, ea de re Moronium expreſſum ad Cæſarem allegaſſe. Quæ non conſonant cum eis, quæ addit. Quo namque pacto hæc Pontifex cogitabat; ſi, recenſendo poſtea pag. 677. quæ Moronius agenda cum Cæſare, & ſeorſim, & in mandatis habebat, non modo ea de re, ne quidem verbum facit, ſed immò è conteſtatur, Moronium, inter alia, *ſpem Cæſari facere: in mandatis à Pontifice habuiſſe, ſe quæcunque pro ſuis populis poſtulaſſet, conceſſurum eſſe.*

Quæ falſitates, contradictiones, & repugnantiæ cum vbique legantur, vbi de hac reformationis materia agitur, earum præcipuas hic adnotabimus.

Nono. Ait pag. 681. Pontificem in Congregationibus habitis cum Oratoribus apud ſe reſidentibus, Reformationem, quam eorum Principes voluiſſent, per eos ſibi aperiri poſtulaſſe, quò eas Concilio dare omitteret, quòd opportunius ſibi foret (difficultatibus inſuperabilibus in

re

ſe qualibet oſtendendo) fluctuantem reformationis æſtũ ſedare. Quæ ſunt Polani figmenta. Cum hęc enim reformationis materia iam, eo tempore, *per Moronium cum Cæſare ageretur*; ad quem ideo expreſſum per Pontificem miſſum fuiſſe dixit; & Pontifex (vt ſubdit 682.) *negociationis per Moronium agitata concluſionem impatienter expectaret*; quo nam pacto, ante illius negociationis exitum, nouis hiſce conſilijs locus eſſe potuiſſet?

Decimo. Ait pag. 683. Regem Galliæ, ad reformationem accelerandam, Præſidentem Biragum Tridentũ mittere decreuiſſe. Interimq; per ſuos Oratores, qui iam Tridenti erant, Patribus ex opportunitatibus nunciari mandaſſe; ſe, cum ob calamitates, & miſerias, quas diſcrepantia opinionum in religione, non ſine apparenti labe, maiorique ſtatus periculo in ſuo Regno ſuſcitauit, acri adhuc, intimoque ſenſu afficiatur, ſe potius quàm eò calamitatum iterum adducatur, conſtituiſſe, ni Concilium generale ſuas partes per ſanctam, ſeriamque reformationem exequatur, poſtquàm Deo, & hominibus ſatisfeciſſet, tot perpetuis officijs apud Patres, & Pontificem agẽdo, vt communi malo remedium à Concilio generali acciperet, Nationale cogere: &, ad optatum finem facilius conſequendum, Doiſellium, ad Regem Catholicum, & Alegrium ad Pontificem allegaſſe, ac precepiſſe Birago; vt poſtquam cum Concilij Patribus egiſſet, Cæſarẽ adiret, periculum facturus, an, horum Principum ope, tanti boni compos fieri poſſet. Quæ non conſonant, cum eadem met pag. ſubdat, Regem, eodem tempore, per Doiſellium exponi mandaſſe, *cum Synodus pro Germanis, Anglis, Scotbis, & parte Gallorum, alijſque Nationibus celebrãda eſſet, quibus Tridentinæ nunquam adhærere, illamue recipere ſtatutum eſſet, fruſtrà eo loco detineri*. Repugnat enim Regem adeo efflictim pro reformatione Tridenti faciẽda laboraſſe, ſi ex alia parte ſciebat, Hæreticos *eam à Tridentina nunquam recipere ſtatuiſſe*.

XI. Vbi

XI. Vbi etiam malignitas apparet, ſubdens eadem pag. 684. Gallos apud ſe, vti compertum ſtatuentes, non poſſe ſe quicquam ex Concilio in rem ſuam conſequi, dũ Itali numero ſuperarent, ſpem omnem obijcere, nec vllam amplius Concilij exiſtimationem habere cæpiſſe, ſi Tridenti maneret, ſtipendia idcircò Theologis, à rege miſſis ademiſſe. Si enim Regi certum erat, Hæreticos Tridentino nunquam adhærere, aut illud recipere ſtatuiſſe, & fruſtra eo loco detineri, ergo ob eã cauſam ſuos Theologos reuocaſſe dicendum eſſe videtur, non quia *Itali numero prævalerent*.

XII. Et, ſi Germanis, Anglis, Scothis, & Gallis Tridentino nunquam adhærere ſtatutum erat, non poterant nec etiam Oratores Galli, & Cæſarei petere (vt dixit pag. 495.) ne dogmata, abſentibus Proteſtantibus, agitarentur, *antequam certa eorum contumacia eſſet*, & ideo, vt de ſola reformatione ageretur inſtare: præſertim, cum ipſimet Oratores poſtea dixerint, *hæreticos contumaces à ſua opinione recedere nolle*: nec minus aſſerere, Reginam Angliæ ad Tridentinum miſſuram, Proteſtanteſque idem quoque facturos eſſe.

XIII. Plura poſtea malignè per Oratores Gallos exprobrat, dicendo pag. 527. Concilium aures nulli rei præbere voluiſſe, quæ Romanæ Curiæ vtilitati, atque auctoritati repugnaret; quandoquidem pag. 536. *multa illucuſque maximi in eam detrimenti propoſita fuiſſe* Pontificis teſtimonio aſtruat.

XIV. Obijcit, Pontificem propoſitionum arbitrũ fuiſſe, ex quo nil, niſi per Legatos proponi poſſe, à principio ſtatutum, ac ſucceſſiuè obſeruatum eſſet; cum eoſdem Oratores in contrarium præciſis verbis perhibuiſſe referat vt alibi ſupra notauimus, *non modò cuicunque licuiſſe de capitibus propoſitis diſſerere, ſuamque aperire ſententiam, ſed alia inſuper, ſi opus eſſet, proponere*: & quia per Legatos ea propoſita fuiſſe repugnat, quæ *multa illucuſque maximi*

in

in Romanam Curiam detrimenti propoſita fuiſſe dixit.

XV. Obijcit, Pontificem etiam deliberationũ, ob multos penſione conductos, alioſque deuotos, arbitrum extitiſſe; quando nullos penitus mercede conductos, aut alios ſequaces illi fuiſſe, pluribus, ex eodemmet auctore, probauerimus in ſecundo capite primi libri.

XVI. Obijcit, non fuiſſe Pontificem, Concilium ſe in reformatione Curiæ ingerere, totumq; illud negocium ad ſe reijci voluiſſe. Nimirum, quia æquum non ſit, eos qui ex auctoritate Apoſtolica munia exercent in Curia, niſi per Pontificem reformari à quo ſolo auctoritatem accipiunt; quemadmodum probauit Lainez in ſua diſſertatione pag. 702. Quod Pontificem, multis editis ſanctionibus, feciſſe pluries auctor, locis alibi notatis, commemorat.

XVII. Obijcit, Hiſpanos, qui ſe in reformatione zelãtes oſtendebant, ſui Regis correctione perculſos, obtorpuiſſe; cum pag. 535. nonnullis Epiſcopis pro concordia agentibus, retulerit, *à multis fidem habuiſſe, ſe ceſſantibus Hiſpanis, quieturos eſſe, ſed cum eiſdem Hiſpanis proficere impoſſibile fuiſſe*. Immò addat, *id in cauſa fuiſſe, ut inter ſe arctius cohærentes, inuicem conſpirauerint, Regiq; reſponſum dederint: & cũ, nec ob Regis epiſtolam, nec officijs acquieuiſſent, nouamq; potius declarationem feciſſent, eos inſuperabiles, eſſe pro comperto habendum eſſe*.

XVIII. Obijcit, Omnium Principũ Oratores, qui Tridenti erant, nullis petitionibus aſſequi potuiſſe, vt de Eccleſiaſtica diſciplina reformanda ageretur. Quod quã malignè, iam oſtendimus in primo capite ſecundæ libri, vbi Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformationem perpetuo in ſingulis ſeſſionibus, vnà ſimul cum dogmatibus reſpondentibus, agitatam fuiſſe, ex Auctore docuimus; ſed damlitiosè æquiuocat ab hac reformatione, *à relaxatione rituum, preceptorumque Eccleſiæ*, de qua ſola, Oratores illi ſoliciti erant, vt probauimus.

XIX.

XIX. Et, cum Oratores Galli, & Romæ, & Tridenti, dogmata vſque ad ſuorum Prælatorum aduentum differri poſtulantes, reiecti fuiſſet, repugnat, eos conqueſtos eſſe, vt ſubdit, eadem pag. 553. illucuſque in Concilio tractationes infructuoſas de dogmatibus agitatas eſſe, quæ, nec in rem hæreticorum eſſent, qui pertinaces ab opinione ſua recedere nolunt, nec pariter catholicorum, quibus ea nulli vſui eſſent, & de reformatione, nonniſi leuiſſima, nulliuſque momenti agitata fuiſſe, reſque ſolidas reformationis euitari; quando (vt iam ex auctore notauimus) ipſimet Oratores Galli nonniſi nominatim *de leuibus duntaxat* pertractari inſtitiſſent; &, cum res reformationis ſolidas, dogmatum verò non neceſſarias dicerent, tamen dogmata (hoc eſt *leuiora, & infructuoſa*, vt dicebant) in ſuorum Prælatorum aduentum reijci, nimis ridiculè inſtarent.

XX. Nec conſonat, Pontificem pag. 638. vt ex parte Galliæ aliquo modo à re diuerteret, mandaſſe quadraginta millia aureorum Regi liberè per Cardinalem Ferrariæ dimitti, ob ea, quæ de hoc alibi ſupra diximus.

Ex quibus, cum facilè appareat, qua ratione Legati capita reformationis per Cæſareos, Gallos, alioſq; exhibita; in quibus in primis *moderationem rituum, præceptorumque Eccleſiæ* petebant, proponere diſtulerint pag. 499. 515. & alibi, ad ea nunc elucidanda procedemus, quæ circa alia, in hiſtoria dicuntur.

Alia aduerſus Pontificem, & Concilium.

1. *Oratorum orationes ſolis auribus excipiebantur.*

HISTORIA.

PAg. 513. Galli hanc orationem (Oratoris Ducis Bauariæ) audientes, ſumma voluptate afficiebantur, quòd

quòd in commemorando Prælatis, quæ eis neceſſariò cõmemoranda erant, ſoli non eſſent. Sed reſponſum audientes, maxima in eis excitata eſt æmulatio, cum iſtis admodum gratioſè, ſibi verò nimis acriter reſponſum eſſet. Verùm immeritò querebantur. Quamuis enim Bauarus Clerum acrius in genere momordiſſet; tamen de Concilij Patribus loquendo, modeſtiæ terminos non exceſſit, cum Oratio Gallorum tota in auditores ferretur; demum concludens, orationem vtramq; parem exitum habuiſſe, quòd ambæ ſolis auribus exciperentur.

CONFVTATIO.

SEd primùm, ſi Bauarus Clerum in genere accuſaſſet, vtiq; & Tridentinos pariter momordiſſet, qui de Clero itidem erant.

At Bauarus, non de Clericis omnibus generaliter, ſed de ſolis Bauaris verba fecit, vt liquet ex oratione, quam pag. 512. recenſet. Quorum viuendi licentiam nimium forſitan verbis exagerauit, vt Patres ad coniugium Sacerdotibus concedendum æquiores redderet, quod in illa oratione, nomine Ducis, petebat.

Et, cum orationes illæ nonniſi relaxationem præceptorum, rituumque Eccleſiæ ſuadere obtenderent, iuremeritò etiam ſolis auribus exceptæ fuerant; cum Author idem pag. 672. perhibeat, ***quamlibet horum, vel in minimo etiam mutationem, omnium, illicò Eccleſiæ Romanæ fundamentorum euerſionem allaturam eſſe.*** Siquidem in eo quod ad reformationem Cleri, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ pertinet, abundè ſatisfactum fuiſſe patet ex decretis Synodi.

2. Oratorum Gallorum petitiones reiectæ, eorumque ob repulſam querelæ.

HISTORIA.

PAg. 536. Cum Legati, ob eas rationes, quas recenſet, petitiones Oratorum Gallorum reiecisſent, qui ſuos Prælatos expectari, & interim de reformatione agi inſtiterant, ac reſpondiſſent, diem ſeſſionis, (vt item petierant) ſine Patribus differre in eorum poteſtate non eſſe, ſubdit, Gallos, hoc perpenſo petijſſe, vt ergo eis ſuam propoſitionem in Congregatione per ſeipſos exponere permitteretur, Legatoſque explicaſſe, ipſis, alijſque Oratoribus alias dictum eſſe, non poſſe eos, niſi cum ipſiſmet Legatis negociari, &, iam ante in hac eadem Synodo deliberatum, ſtatutumque fuiſſe, non licere Oratoribus publicè in Congregatione loqui, niſi ipſa die, qua reciperentur, ſuaque exhibuerint mandata; Galloſq; ideo apud Patres, ſed præſertim Hiſpanos, multis verbis queſtos eſſe, dicendo, admodum abſurdum eſſe, legationes ad Synodum mitti, cui mandata exhibeant, & cum Legatis tantùm, perindè ac ſi ad eos allegarentur, non autem cum Synodo agi licere; cum ipſi Legati, quatenus Pontifex, à quo mittuntur, vnus è Principibus eſt, nil aliud ſint, quàm Oratores, & quatenus Epiſcopus, & inter Epiſcopos primus, nullam aliam, quàm vnius abſētis perſonam repreſentent; Et nonniſi vt tales in antiquis Concilijs habitos, receptoſque fuiſſe, vt ex Niceni, Epheſini, Calcedonenſis, de Trullo, & Niceni etiam ſecundi exemplis patere dixerunt, & ſciſſuras inter Pontificem, ac Baſileēſe inde fuiſſe, quia Legati Romani antiquum, ac laudabile hoc inſtitutum immutare adniſi fuiſſent. Addentes, grauiſſimæ in Concilium ſeruitutis ſpeciē eſſe, illud nec etiam audire poſſe, iniurioſumque Principibus non dari, cum ijs rem agitare, per quos ſuarum ditionum negocia

peragenda ſint: exhibendum illud eſſe decretum, quod, cum aſſeratur, nullibi tamen appareat, & Auctores propalandi. Si enim ab eius temporis Legatis emanauit, nimium eos auctoritatis ſuæ limites exceſſiſſe; Sin verò à Synodo, quomodo, & quando id fecerit perſpiciendum, cum id, quod in huius poſtremæ conuocationis exordio factum fuit, intolerabile eſſet; nempè Legatos cum paucis illis tantummodò Prælatis Italis, qui ab Vrbe acceſſerant, decretum fecerint, illudque poſteà rigidè exequi voluerint, quòd nil, niſi ore Legatorum proponi poſſit; adeò vt, & Principibus, & Prælatis omnibus aditus ad reformationem, quæ è re diuina ſit, proponendam penitus claudatur; eiuſque loco, ad populos inutili expectatione detinendos, doctrina, cum Proteſtantibus controuerſa, eis abſentibus, expendatur: idq; nullò Catholicorum beneficio, qui de eis non dubitant, & Proteſtantium abalienatione, qui abſentes damnentur: querimonijſque Gallorum fomitem ex nuncio per Oratorẽ Gallum apud Pontificem miſſo, additum eſſe, cui cum Rege mandante, pariter inſtitiſſet, ſuos Epiſcopos ad exitum vſque Septembris expectari, rem ad Legatos Pontifex reieciſſet; perpetuáque memoria dignum dicebat Lanſacchius, Pontificem rem ad Legatos referre, Legatis abſque Concilio non licere, Concilium audire non poſſe, & Rex, & totus Mundus deludebantur.

Subdens 541. Legatos, cum Galli iterum ſeſſionem differri inſtitiſſent, renuiſſe, quòd accepiſſent, Cardinalem Lotharingium Epiſcopoſq; Gallos indubitanter acceſſuros eſſe, deque ſuperioritate Concilij, ac Pontificis animo agitare, veritoſque eſſe, ne Synodus nouis difficultatibus protraheretur, neue aliquid exitioſum decerneretur; Et, cum Oratores Galli repulſam paſſi, de alijs ſe remedijs cogitaturos eſſe minitarentur, adeò vt Synodum diſſoluendam eſſe palam affirmaretur, Pontificios veritos, ne quid in Concilio molirentur, id cum voluptate accepiſſe.

CONFVTATIO.

Qvæ, de more, contradictionibus, & falſitatibus ſcatent. Primùm enim in omnibus Concilijs; *tum praeſidentes fuiſſe, qui actionem moderarentur, reſque proponerent; tum munus illud dignioribus ſemper ac maioribus delatum fuiſſe*, iam alibi ex Auctore docuimus. Quare Tridenti proponendi munus Legatis Apoſtolicis, vtpotè indubitanter maioribus, ac dignioribus, ex conſuetudine in Eccleſia perpetuò ſeruata deferēdum fuit, Oratores verò ſeculares, ex fide Auctoris pag. 689. in antiquis Concilijs, nec etiam ad Congregationes admittebantur: & debent ſolùm populorum, Regnorumque neceſſitates exponere, vt dixit idemmet Rex Chriſtianiſſimus pag. 569. Quod Tridenti cuique mediantibus Legatis, liberum erat, vt aperit auctor, dum refert ead: pag. 569. Legatos, tàm Oratoribus Cæſareis, quàm Gallis communiter reſpondiſſe, *ſe à ratione ſemper in Synodo conſueta non diſceſſuros eſſe, vbi cuilibet cuiuſcunque conditionis liceat, quæ neceſſaria, vtilia, & congrua cenſeant, eiſdem Legatis ſuggerere*. Nam Oratores, ità verè Tridenti ſeruatum fuiſſe probarunt, quod, non ſolùm huic Legatorum aſſertioni nil omninò replicauerint, ſed iidemmet Oratores Galli, quos hic querentes inducit, vnà cum Cardinali Lotharingio, & Oratoribus Luſitanis (ex fide auctoris pag. 733.) publicè perhibuerint, *cuique liberum fuiſſe de capitibus propoſitis diſſerere, ſuamque aperire ſententiam, & alia inſuper, ſi opus eſſet, proponere*.

Quibus poſitis, ex neceſſitate conſequitur, nullum omninò fundamentum Oratorum Gallorum petitionibus, querelisque fuiſſe, quòd eis per ſeipſos in Congregationibus proponere non permitteretur, cum id munus tantummodò Præſidentium eſſet, non Oratorum.

Nec

Nec etiam Regis nomine conqueri potuiſſent dicta pag. 569. quòd Tridenti aliquid de antiqua Conciliorũ libertate, imminutum eſſet, in quibus, & Regibus, & Principibus, eorumq; Oratoribus ſuorum Regnorum neceſſitates exponere ſemper licuerit. Et hæc ideo eſſe Polani figmenta aliorum ore prolata.

Et, cum Rex idem Chriſtianiſſimus ſcripſiſſet, Oratores debere populorum, regnorumque neceſſitates exponere, repugnat etiam, eoſdem Oratores dixiſſe (vt ſubdit) ſe ad hoc à ſuo Rege miſſos fuiſſe, vt quę ad rem pertinent peragi operam darent; cum hoc non ſit populorum, Regnorumq; neceſſitates exponere, ſed Actionem dirigere, quod non eſt Oratorum munus, ſed Præſidentium.

Multo magis repugnat, eoſdem Oratores, viros eruditiſſimos, dixiſſe, *Legatos Pontificis nil aliud in Concilio eſſe, quàm vnius ex Principibus Oratores*; quandoquidem indubitatum inter Catholicos ſit, Pontificem Legatos, non vt Principem, ſed vt Chriſti Vicariũ ad Concilium mittere: nec vt Epiſcopum tantùm, ſed vt Eccleſiæ Paſtorẽ, ad quem ſolùm pertinet *paſcere oues Chriſti, fratreſq; confirmare, ac pręſidere Concilijs*. In quibus eos ſemper re ipſa præſediſſe, nec idem Auctor, licèt Pontificibus infenſiſſimus, negare potuit, dum *Pontifices perpetuò, tùm per ſe, tùm per ſuos Legatos, Concilijs omnibus præſediſſe* dixit, locis alibi infra relatis; & patet etiam ex ipſis Conciliorum actibus, quos Gallos, ad ſuam probandam ſententiam, attuliſſe, ſupponit: quorum hic documenta, breuitatis cauſa, non recenſemus, cum vbique omnibus obuia ſint, nec deſint, qui ex profeſſo hac de re fuſiſſimè diſſeruerint, & præſertim, inter cæteros, Eminentiſſimus Bellarminus, ad quem reijcimus lectorem.

Cumq; Legati eiſdem Oratoribus Gallis reſpõdiſſent, Prælatos Gallos *per ſex ferè menſes ante aperitionem Synodi Tridenti, expectatos fuiſſe*; quo pacto dici potuiſſet, *detre-*

ſum

tum illud ſtatim à paucis Italis factum fuiſſe?

Et, cum exploratiſſimum eſſet (ex fide Quinqueeccleſienſis Oratoris Cæſaris pag. 554.) *hæreticos obſtinatos in ſua opinione pertinaciter perſeuerare decreuiſſe: & de ſola reformatione peragi, alij Principum Oratores renuerent*, ob ea, quæ ſubdit 555; obijci etiam non poterat; *Legatos de ſola reformatione agi noluiſſe; vel dogmata fieret, abſentibus Proteſtantibus, per eos agitata fuiſſe*.

Dicendo itidem, Legatos noluiſſe ſeſſionem differri (vt Galli petebant) quòd accepiſſent, Cardinalem Lotharingium cum Epiſcopis Gallis, indubitanter acceſſurum eſſe; veritoſque fuiſſe, ne aliquid exitioſum per Synodum decerneretur, magis, magiſque ſemet detegit. Si enim Italos omnes à ſe habuiſſent, tot alios ſtipendio conduxiſſent, alij ſupra 30, ſe pro Pontificis defenſione obſtrinxiſſent, quorum ſyngrapham Lancianenſem eidẽ Pontifici detuliſſe dixit: tot alios ad ſuas partes per Mutinenſem, Brixienſem, & alios traduxiſſent, alioſq; multos pluries in ſuorum ſubſidium Pontifex reuera miſiſſet, quos ſupra recenſuit; an ob paucorum Gallorum acceſſum adeo trepidaſſent?

3. In materijs fidei per factiones procedebatur.

HISTORIA.

PAg. 539. Quod pertinet ad ſacrificium miſſæ, in Cõgregationibus habitis vſque ad decimam octauam menſis, ſententiæ omnium in contendendo de oblatione Chriſti in Cœna tendebant, & Pater Salmeron Auctor præcipuus ad affirmatiuam perſuadendam erat, in propriaſque domos, qui aliter ſentirent, conueniendo, & præſertim, qui ſententiam adhuc non dixiſſent, ſuadendo, vt ſaltem tacerent, aut remiſſius agerent, ad eamq; rem nomen Cardinalis præcipuè Varmienſis interponebat,

bat, aliquando etiam Scripandio addito, alioſque Legatos, ſuppreſſo tamen nomine, deſignando, quas prenſationes adeò moleſtè fecit, vt Epiſcopi Clodienſis, ac Veglanenſis in Congregatione die 18. habita quererentur acriterq; iſte pro negatiua perſtiterit, & poſt lōgam diſſertationem Salmeronem obliquè perſtrinxerit, dicendo, prenſationes, in materia reformationis, quæ circa res humanas verſetur, tolerari poſſe; ſed in rebus fidei per factiones procedere, prauam introductionem eſſe.

CONFVTATIO.

VVlt Legatos tacitè accuſare, quòd in rebus fidei per factiones procederent. Sed malignitas impoſtoris ſeſe prodit, quòd illicò ſubdat, *tot è Patribus ex eius Epiſcopi verbis commotos fuiſſe, vt opinio ferè communis fuerit, vt de ſacrificio propitiatorio in Cæna per Chriſtum oblato nullatenus verba fierent.* Si enim Salmeron permiſſione, conniuentia, aut mandato Legatorum prenſationes illas, ad alios in eam opinionem pertrahendos feciſſet, nonne multo magis illos à ſe habere ſtuduiſſent, quos *deuotos conductitios*, *atque à Pontifice dependentes* vocat? Neminem enim à ſe habuiſſe patet, ſi opinio illa *ferè communis* fuit.

4. Concilij abſolutioni Pontifex inhiat.

HISTORIA.

PAg. 578. Pontifex Regis Galliæ inſtructione perſpecta, cum nil ingratius illi accidere poſſet, quàm Synodum differri, quòd, quę reliqua eſſent, in ſequenti Seſſione, celebranda 12. Nouembris definienda eſſe crederet, & Synodum (ſi quid remanſiſſet) in eius anni exitu, ad ſummum, concludendam, ſuſpendendam, aut diſſoluenda m eſſe.

CON-

CONFVTATIO.

Pontificem in illa expectatione eſſe non potuiſſe liquidò patet ex Authore, cum pag. 587. referens, quæ Romæ *in Congregatione agebantur* præciſis verbis dicat, *propoſitionem abſoluendæ Synodi maioris momenti exiſtimatam à Congregatione fuiſſe, non quia id faciendi neceſſitatem, vt euidentem non haberent; ſed quia non perſpicerent, quanam ratione id conſequi poſſent. Cum tot enim materiæ ſupereſſent, quæ diſcuti debeant, Prælati ad breuitatem in loquendo, & ad concordiam in agendo reduci non poſſent, quæ ad celerem expeditionem neceſſaria ſint, de Synodo, niſi longo tẽporis ſpatio, abſoluenda cogitari non poterat: eam, abſq; Principum conſenſu ſuſpendere periculo, & ſcandalo, non vacabat: præſertim quia Legati multis ante diebus monuiſſent, Oratorem Ferrerium, & Quinqueccleſienſem dixiſſe, ſe, ſi Synodus ſuſpendatur, Tridento non diſceſſuros eſſe, nec Prælatis adhærentibus, niſi præuia Principum iuſſione, miſſionem daturos, Principum verò mandata requirere, nonniſi multo temporis diſpendio fieri poſſe, cum nemo ex eis, niſi alterius voluntate prius explorata, reſponſurus eſſet.* Quarè non congruunt, quæ illos Oratori Gallo, qui res differri petebat, reſpondiſſe ſubdit.

5. Ob ſuſpicionem ex Cæſare, Pontificis cogitationes.

HISTORIA.

Pag. 633. Per eos dies, cum Cæſar Oeniípontem ſe acceſſurum vulgaſſet, & Pontifex ſuſpicione plenus, eum, non ſine ingentibus deſtinatis, nec ſine certa rei perficiendæ ſpe, illuc acceſſurum, certamque ideo cum Gallis, & Hiſpanis communicationem habere crederet, de

de qua, cum nil exploraret, nonniſi contra ſe moliri autumare poterat, ſe quoque Bononiam transferre, octo, aut decem Cardinales Tridentum mittere, ſeq; arctius Principibus Italis iungere, Prælatos beneuolos ſibi in Synodo magis, magiſque confirmare animo agitabat, donec aliquam eius diſſoluendæ, aut ſuſpendendæ occaſionem nanciſceretur: vtque Tridenti ſuæ reformandæ Curiæ tractationem impediret; multum operis in hoc eis diebus inſumpſit, & Auditorium Rotæ, ſignaturam Iuſtitiæ, aliaque Romanæ Curiæ Tribunalia, & numera in meliorem formam redegit; licèt adeo abfuerit ex his conſuetas extorſiones ceſſaſſe; vt ex harum immò nouarum ordinationum tranſgreſſionibus, quæ etiam ex veteribus in viridi aliqua obſeruantia eſſent, violare didicerint.

CONFVTATIO

QVæ omnia ex iam ſupra notatis reijciuntur: Et, prętereа, quo pacto de ſe Principibus, ob res Tridentinas iungendo cogitare poterat, ſi, eodem tempore reformationem Principum, in eorum odium, fieri preceperat?

Et quo pacto etiam Prælatos beneuolos ſibi magis cõciliare ſtudebat, ſi eodem tempore, vt refert 740. *Inquiſitionem Mediolani Hiſpanto more inſtitui annuit*, ex quo omnes Inſubres, & etiam Neapolitanos (qui idem ſibi metuebant, & à quibus propemodum ſolis, vtpotè in Concilio frequentiſſimis, ſibi opem polliceri poterat) à ſe penitus abalienaſſe recenſet?

Et qua veritate Pontifex diſſoluendæ, aut alio transferendæ Synodi inhiabat occaſioni, ſi eas, quas paulò ante retulimus in notis ad pag. 600. licèt optimas, omninò neglexit?

Et qua itidem veritate Synodi diſſolutionem, in eum finem moliebatur, *vt reformationem Curiæ effugeret*, ſi re-

formationem illam, reuera eodemmet tempore faciebat? Quam ſi carpit, quid mirum, cum in Romanam Curiam ex profeſſo calamum exacuiſſe profitetur, vt in ipſa etiã fronte libri nominatim expreſſit?

6. Articuli in conſultatione Cæſaris ſecretò excogitati deteguntur: eaque de re, ac de Reformatione Pontificis conſilia.

HISTORIA.

PAg. 654. Die 20. Februarij Frater Ioannes Ramirez circa articulos ſuam ſententiam dixit, &c. ſubditq; hoc tempore, Commendonus ab Imperatore redijt, qui præter ea, quæ ſcripſerat, reuerſus inſuper, inter cætera, retulit, Cæſarem de ſuis poſtulatis, alijſq; ad Concilium ſpectantibus, Theologorum conſultationem adhibere, & quamuis ipſe, & Nuncius Delphinus ſedulò operam dediſſent, non tamen, quæ ea peculiariter eſſent explorare potuiſse.

Et tamen paulo poſt ad notitiam venerunt. Nam Ieſuita Caniſius ad Generalem Lainez ſcripſit, Cæſarem malè erga res Concilij armatum eſſe, & multa conſultationi ſubieciſſe, vt certus ſit, quanam ratione ſibi agendum eſſet, ſi Pontifex in abnuenda propoſitione reformationis perſeueret, vel rem ſolis verbis facto contrarijs protrahat, inter quæ illud diſquirebatur, quænam Imperialis auctoritas in Concilio ſit, in eaque consultatione Fridericum Staffilum, Reginæ Bohæmiæ Confeſſarium, primum locum tenere, requiſiuitque Caniſius aliquem è ſocietate ad ſe mitti, quem in eam conſultationẽ intruderet, quo indagatore, tractationes omnes detegerẽtur, &, re cum Cardinali Simoneta agitata, Patrem N. Natalem mittere decreuiſſe, à quo res integrè detectæ fuerint, articulos verò in conſultatione poſitos decem, & ſep-

ſeptem fuiſſe, nempè

I. An Concilium generale, fauore Principum legitimè congregatum, ordinem in progreſſu mutare poſſet, quem Pontifex in materijs pertractandis obſeruandum decreuit; an rationem aliam inſtituere.

II. An expediat Eccleſiæ res per Concilium, pro vt à Pontifice, ac Romana Curia dirigitur, peragi, ac decerni; adeò vt aliter fieri nequeat, aut debeat.

III. An, ſi Pontifex Concilij tempore obijſſet, electio ad Synodi Patres pertineat.

IIII. Quænam, Sede Romana vacante, & aperta Synodo, ſit Cæſaris poteſtas.

V. Si, cum de rebus ad Reipublicæ Chriſtianæ pacē, & tranquillitatem ſpectantibus agatur, Oratores Principum vocem deciſiuam in Concilio habere debeant, licèt, cum de fidei dogmatibus agatur, eam non habeant.

VI. An Principes ſuos Oratores, ac Prælatos, irrequiſitis Legatis, è Concilio reuocare poſſint.

VII. An Pontifex, Principibus Chriſtianis, ſed præſertim Cæſare, irrequiſitis, Concilium diſſoluere, aut ſuſpendere poſſit.

VIII. An opportunum ſit Principes operam dare, vt res magis neceſſariæ, & expedientes agitentur.

IX. An Oratores Principum ea per ſeipſos Patribus exponere poſſint, quæ à Principibus exponēda habuerint.

X. An ratio iniri poſſit, qua Patres, tàm Pontificis, quàm Principum nomine miſſi, ſua ſuffragia liberè in Concilio reddant.

XI. Quid fieri poſſit, adhòc vt Pontifex, & Romana Curia non ſe immiſceant, ea precipiendo, quæ per Synodum ſint agenda.

XII. Et, ne fraus, aut violentia, vel extorſio in Patrum ſententijs pronunciandis, adhibeatur.

XIII. An aliquid de dogmatibus, & ad reformandam Eccleſiam tractari poſſit, quod per Peritos prius non diſcutiatur.

XIIII. Quod nam remedium adhiberi poſſit, ſi Prælati Itali, in obſtinatione perſiſtentes, res decerni non patiantur.

XV. Quod remedium excogitandum ſit, ne Prælati Itali, cum de auctoritate Pontificis verba fieri contingat, coitiones ineant.

XVI. Qua ratione, ad aliquam capiendam in articulo reſidentiæ determinationem, prenſationes remoueri poſſent.

XVII. An è dignitate eſſet, Maieſtatem Cæſaream Concilio præſentem adeſſe.

At Romæ longa, & ſeria conſultatio adhibita fuit, an propoſitio petitionum Gallorum permittenda eſſet, &, non tam ipſarum momentum, quàm, quæ inde conſecutura eſſent, in conſiderationem venirent. Siquidem ea, quæ in oratione à Ferrerio dicta erant perpendentes, nēpè, petitiones exhibitas leuiores eſſe; & grauiora per eos poſtulanda remanere, indè conijciebant, Gallos, cum ea impetrandi gratia non poſtulaſſent, id ſibi propoſuiſſe, vt ea ratione ad alia, quæ animo agitarent, proponenda, ſibimet viam aperirent, & leuioribus, vt dicebant, propoſitis, nil eis in poſterum denegari poſſet. His alijſque de cauſis, eas nullatenus proponi, nec apertè reijci, ſed tēpus illis proponendis interponi ad Legatos ſcribendum eſſe placuit, & qua id arte per eos executioni mandandum eſſet, monita inſuper addiderunt, eodemque tempore reſponſum ad ea poſtulata ex Vrbe, incerto Auctore, manauit; quæ illicò Tridenti, & in aula Cæſaris euulgata fuerunt. Quo remedio ſatis aduerſus Gallorum petitiones prouiſum Romæ creditum fuit: ſed magis angebatur Pontifex, quòd in aula Cæſaris res adeo ſibi exitioſas conſuli inſtitutum eſſet, ob ea, quæ ſubdit: & deliberationes, quæ in eis conſultationibus fierent obliquè interim impedire adniti cenſuit Cardinalem Mantuæ ad eam Maieſtatem allegando, &c. qui ſe apud Pontificem

excu-

excuſauerit, ad eumque epiſtolam propria manu ſcripſerit dicendo, non ea fronte ſe eſſe, qui Congregationi amplius verba ſolùm daturus intereſſe velit, vt iã per totum biennium egiſſet, cum omnes Principum Miniſtri credant, Sanctitatem ſuam ad eam verè propenſam non eſſe, tametſi de reformatione multa polliceatur, quando nil per eum tamen executioni demandari videant. Si namque pollicitationibus reſponderet, non potuiſſent Legati, non ſatis tot Principum petitionibus facere. Addens, non mirum cuiquam eſſe debere, hunc Cardinalem, Principem admodum per tot annos in magnis rebus gerendis verſatum, ſummaq; humanitate præditum, eòuſque proceſſiſſe, cum hominibus morti proximis, ob intrinſecam quandam motionem, ipſis quoque ignotam, proprium ſit rerum humanarum tædio affici, humanitatiſque poſthabere officia: ad quam extremitatem adeo propinquus erat, vt ei ſoli ſex vitæ dies, poſt has literas ſuperfuerint. Nam (vt ſubdit) ſecunda Martij obijt. Quare hæ literæ videſima quarta, aut quinta, ad ſummum februarij, datas fuiſſe ſupponit.

CONFVTATIO.

QVibus per Auctorem poſitis, adeò horum omnium impoſtura certa eſt, vt irrefragabilis omninò ſit. Si enim, quando ab Aula Cæſaris Commendonus Tridentum redijt (quod circa vigeſimam Februarij accidiſſe eadem pag. 654. recenſet) adhuc explorata nõ erant, quæ Cæſar ſecreto per ſuos Theologos diſquirere faciebat, nec niſi opera Patris Natalis Ieſuitæ ad lucem venerunt, qui illuc poſt Commendonis reditum miſſus dicitur; quonam pacto potuiſſet Pontifex ante diem 24. eiuſdem ea noſcere, & Cardinali Mantuæ idcirco per literas mandare, vt, ad ea impedienda, ſeſe ad Cæſarem conferret? Cum 24. enim februarij. Cardinalem Mantuæ de

ea de re Pontifici reſpondiſſe ſupponat; proculdubiò tot negociationes, & miſſiones, in ſolo quatuor, aut quinq; dierum ſpatio fieri non potuerunt.

Immò, ſi reuera poſt reditum Commendonij (quem circa vigeſimam Februarij rediјſſe perhibet) Caniſius ab aula Cæſaris Patrem Lainez, de aliquo illuc mittendo interpellaſset: Lainez Patrem Natalem eò miſiſset. Natalis in Congregatione introducendus fuiſset: dein articulos, in ea Cõgregatione agitatos, explorare debuiſset: articuli poſtea Tridentum ad Lainez, & è Tridento Romam ad Pontificem miſſi eſsent, qui ea mandata ad Mantuanum idcirco dediſset; quis non videat tot negociationes, viuente Cardinali Mantuæ, fieri nullatenus potuiſse, quem die ſecunda Martij obijſse narrat, cum tot agitationes, ob diſtantiam locorum, ex neceſſitate multarum hebdommodarum ſpatium requirerent? Quibus poſitis, ex neceſſitate etiam conſequitur, epiſtolas, per quas ait Mantuanum ad Pontificem reſpondiſſe, vtpotè datas poſt quatuor dies à reditu Commendonij, cõmentitias eſſe: ac proinde impudentiſſimum figmentum, non in alium finem excogitatum à Polano fuiſſe, quàm vt in religioſiſſimos Patres procaci nimis ore debaccharetur?

Quod ad articulos verò pertinet, quos in aula Cæſaris conſultationi ſubiectos fuiſſe ait, omnes in id ſolùm tendebant, vt reformatio preceptorum Eccleſiæ, quam Cæſar, & Galli in ſuis petitionibus poſtulabant, in Concilio proponi poſſet. Nam, cum citra Eccleſiæ perniciem permitti non poſſet (vt paulò antè ex Auctore probauimus) ad obijcem Pontificis, aliorumque in Concilio ſuperandum, illos articulos conſultationi ſubiecerant. Quos articulos ſummis tantummodo digitis attingemus, cum eis verbis à Cæſare conceptos fuiſſe credibile non videatur.

Siquidem primus, ſecundus, & vndecimus erronei ſunt, cùm ordo circa materias agitandas, & decreta à ſo-
lis

lis Patribus, Pontifice etiam inſcio, integrè, atque omninò liberè emanauerint, vt patefecimus in capite primo ſecundi libri.

Nec articuli tertij conſultationi locus eſſe potuerit, cum iam Pontifex, ea de re, ſuò diplomate ſtatuiſſet, vt pag. *638*.

Nec pariter quinti; quòd Oratores Principum nullam vnquam in Concilijs vocem habuerint, ſi credimus Auctori pag. *689*.

Nec etiam ſexti; quandoquidem Prælati, nonniſi ſuo Capiti obedire teneantur.

Nec ſeptimi; cum Pontificis arbitrium à nemine prorſus dependeat, vt patuit in duabus præcedentibus reductionibus ſynodi Tridentinæ.

Nec octaui; quòd ad ſolum Pontificē hæc pertineant, qui ſolus præſidet Concilijs; & pro rebus *magis neceſſarijs, & expedientibus* nonniſi eam relaxationem intelligerent, vt iam vidimus.

Nec noni; ex quo exponere omnibus liberum fuerit, de quo habemus fidem Oratorum Chriſtianiſſimi, ac Luſitani à Cæſareis comprobatam ex recenſione Polani pag. *733*. non autem proponere in Congregationibus, quòd nullo vnquam tempore permiſſum Oratoribus fuiſſe, idē perhibuit loco ſupra notato.

Et decimi diſquiſitio ſuperuacanea eſſet in eo Concilio, vbi (vt peculiari diſſertatione probauimus in ſecundo capite ſecundi libri) non modò Patribus, ſed ipſis quin etiam Doctoribus, ac Theologis, id adeò ſemper arbitrarium fuerit, vt nec à propoſitionibus quidē in Pontificem ipſum, abſtinerent.

Vt itidem duodecimi, & decimi ſexti, cum, quod pertinet ad Pontificios, Legati adeo à prenſationibus abſtinerent, vt, nec etiam ijs, quos *Pontifici deuotos rebuſque Romanis obſtrictiores* fuiſſe ſupponit, quid e re, aut mente Pontificis eſſet, vel etiam in ſupremi ponderis rebus,

ſed

ſed nominatim in reſidentiæ, & Inſtitutionis articulis aperuerint, vt in eis docuimus.

Et circa decimum tertium, id potius laudabile, ac neceſſarium eſſet.

Et decimum quartum, & quintum omninò falſi, cum, nonniſi pro veritate eſſent, vt docuimus in notis ad pag. 640.

In quo negocio, eò certius leuitas, & malignitas Polani ſe produnt, quòd Pontificem, ad eas deliberationes impediendas, *Cardinali Mantuæ* ſeſe illuc transferre mandaſſe concludat, qui, non modò eo tempore in viuis eſſe nō poterat, vt probauimus; ſed in articulo potiſſimùm *reſidentiæ* (quem in decimo ſexto capite conſultationis Cæſareæ agitatum fuiſſe inquit) ab opinione Iuris diuini ſtetiſſe, in omnibuſque plus Cæſari, quam Pontifici adhæſiſſe, idem auctor retulit locis alibi ſupra notatis, & auctoritate Ioannis Baptiſtæ Adrianij, docuimus.

Mandata verò, quæ per Pontificem, circa petitiones Gallorum, data dicuntur, non caret ſuſpicione falſitatis, cum, Pontificem iam in contrarium mandaſſe retulerit pag. 639. *vt reformatio Gallorum, tàm circa mores, & doctrinam, quàm circa ritus, ac rem beneficiariam, proponeretur*; tametſi rem in longum protrahi, & à minus exitioſis exordiri mandaſſe dicat. Ex qua mandatorum inter ſe repugnantia, non ſolùm falſitas perſpectiſſima eſt; ſed indubitanter aſſumi poteſt, Pontificem, in rebus ad ritus tantummodò ſpectantibus, difficilem ſe præbuiſſe; idque eis de cauſis, quas recenſuimus in tractatione de reformatione.

7. Articulum matrimonij preſbyterorum agitatum fuiſſe, Legatis crimini datur.

HISTORIA.

PAg. *662*. Legatis crimini datum fuit, eos articulum matrimonij Presbyterorum vti periculoſum, agitari ſiuiſſe, quòd certum eſſet, ex illa introductione fore, vt omnes affectum, beneuolentiamque in Vxores, & filios, atq; in familiam, patriamque per conſequens conuerſuri ſint, atque arcta illa ordinis Clericalis cum Sede Apoſtolica coniunctio ceſſaret, idemq; eſſet connubia preſbyteris concedere, atq; Eccleſiaſticam Hierarchiam deſtruere, Pontificatumq; ſolius Romanæ Curiæ limitibus circumſcribere. Quod ea de re à ſe factum excuſabant Legati, vt rem gratam Epiſcopo Quinqueeccleſienſi facerent, qui id, non ſolùm Ducis Bauariæ, ſed Cæſaris inſuper nomine petijſſet, &, vt etiam Cæſareos in reformatione, non admodum vrgenda (quod ſit maioris momenti) faciliores redderent, illi annuere coacti fuiſſent.

CONFVTATIO.

EX hoc manifeſtè conuincitur (vt alibi etiam notauimus) non verè dixiſſe Polanum, Legatos nil niſi *Pontifice præſcribente* propoſuiſſe, vel *cuncta Romæ prius conſultationi ſupponi conſueuiſſe*, vt Auctor pluries dixit, & replicat poſtea pàg. *664*. Quod eò magis perpendendum videtur, quòd articulum illum tanti pro re Romana momenti fuiſſe ſupponat. Si enim, Pontifice mandante, propoſuiſſent articulum, an Romæ repræhēdi potuiſſent? Et, cum nulla vnquam reformatio, licèt etiam diſtrictiſſima, Hierarchiam Eccleſiaſticam, Pontificatumq; deſtruere potuiſſet, vt ex præsbyterorum matrimonio conſecuturum fuiſſe contendit; quid magis ridiculum, quàm

id Legatos feciſſe, vt in reformatione Cæſareos æquiores haberent?

Cumq; exfacto Polanus in ſua narratione comprobet, Epiſcopos, qui Tridenti erant, tametſi non vxoratos, nihilominus omnes ad vnum, nemine prorſus excepto, in rebus, quas è re, & voto Pontificis fuiſſe ſuppoſuit, ei perpetuò aduerſos fuiſse; adeò vt, nec etiam Pontificiæ ditionis Prælatos excipiat: &, non Pontifici, ſed ſuis magis Principibus obſecutos eſse, auctoritatemq; Pontificiam, ipſumque immò Pontificem acerrimè oppugnaſse doceat, vt in reſidentiæ, & Inſtitutionis Epiſcoporum, auctoritatiſque Pontificię contentionibus præcipuè vidimus; vbi nam, quæſo, arctiſſima illa inter ordinem Clericalem, Romanoſque Pontifices coniunctio erat? Et, nōne eos in Prouinciarum ſuarum vtilitatibus, licèt etiam cum rei Pontificiæ detrimento, procurandis, totos inſuper fuiſſe deſcribit?

Et, quænam etiam erat Legatorum pro re Romana induſtria, ſi articulum adeò, ex ſuppoſitione Polani, periculoſum proponentes, neminem officijs præoccuparunt, vt docet, quòd *opinionem magis communem pro conceſſione matrimonij fuiſſe* ſubdat? Et hæc ſunt Romanæ Curiæ arcana, an tua potius deliramenta Polane?

8. *Ad Synodum expediendam, apud Regem Catholicum artificia.*

HISTORIA.

PAg. *667*. Cum res Pontificis, cum rebus Cæſaris, & Galli conuenire non poſſent, ob ea, quæ ſubdit, & Regi Catholico ſecum iungi conducibile eſſet, decreuit, cum idcircò aſſiduis officijs ſolicitare, atque omnia ad libitum conſequendi ſpem illi facere: Aloyſiumque de Auila Romam opportunè aduentaſſe, vt prorogationem

ſub-

ſubſidij ex Clero, Regi conceſſi, in aliud quinquennium, & viginti quinque millium aureorum annui cenſus Eccleſiarum diſtrahendi facultatem impetraret. In quibus ſe Regi gratificaturum promiſerit, dummodo ſibi in Synodo perficienda, ſeq; ab ea eximendi opem præberet,

CONFVTATIO.

QVÆ tamen non conſonant cum eis, quæ Pontificẽ poſteà fuiſſe ſubijcit. Nam pag. 695. ***in cauſa præſeſſionis inter Gallos, & Hiſpanos, ſecundum Gallum pronunciauit***, Hiſpanumque maximè offendit, ſibique idcircò infenſiſſimum reddidit, vt docet ex acribus eiuſdem Regis Catholici ***proteſtationibus*** in Pontificem, quas recenſet; & immò pag. 779. Regis poſtulata, circa res Cleri Hiſpaniæ, reiecit, & 784. Concilium, ipſo irrequiſito, claudi mandauit.

Et è contra Orator Hiſpanus, Tridenti perpetuas illas, maximaſque difficultates, ad Synodi terminationem interturbandam (obiecerit, ob quam eam potiſſimùm coniunctionem Pontificem quæſiuiſſe ſupponit, vt Auctor fusè recenſet; præcipuè pag. 735. 736. 748. 749. 750. 759. 761. 763. 764. 779. 784. & alibi. Adeo vt, ob eas præcipuè oppoſitiones, Cardinalem Lotharingium è Synodo accerſere coactus fuerit, vt pag. 749. quò de eis difficultatibus explicandis, illo adiutore, conſuleret.

9. *Circa res tractandas, Legatorum conſilia: & alia.*

HISTORIA.

PAg. 671. In Concilio, die 20. Martij, diſceptationibus Theologorum, circa omnes matrimonij articulos, abſolutis, conueniſſe Legatos deliberaturos, an doctri-

nam, Canoneſque matrimonij in Congregationibus Patrum proponere debuiſſent. Sed, cum animaduerterent, Gallos, Hiſpanoſq; repugnaturos eſſe, & controuerſias præcedentibus maiores excitari poſſe, & ſi ſolos tantummodò abuſus proponere voluiſſent, aditum Cæſareis, & Gallis ad reformationem in medium afferendam aperiendum fore, incertos hæſiſſe, &, cum de aliqua ex difficultatibus concilianda agere cogitarent, Simonetam, ob Collegæ imbecillitatem, timuiſſe, omnemq; demum tractationem in aliorum Legatorum aduentum reijcere decreuiſſe.

CONFVTATIO.

SVnt mendacia, & leuitates, non ſolùm, quia pag. immediatè antecedenti dixerit, Legatos, ſe de cunctatione, ob Mantuani, ac Scripandij obitum, apud Gallos excuſatos voluiſſe; ſed quia iam ex condicto (vt ſubdit 684.) *actiones omnes conciliares in aliorum Legatorum aduentum reijcere cum omnibus ſtatutum eſſet.*

Et ſubdit, Cardinalē Lotharingium Venetijs cum Cardinali Nauaggerio congreſſum, Inſtructionē, quam Pontifex dederat, magna ex parte exploraſſe. Cum tamen ſibi de more contrarius, dixerit pag. 670. inſtructionem *Cardinali Moronio* à Pontifice datam fuiſſe; Nam non ergo Nauaggerio.

Et pag. 679. Fratrem Petrum Sotum, vti inculpatæ vitæ laudat, quem pag. 593. vti *vaſrum Romanæ Curiæ Aulicum* vituperauit.

Digitized by Google

10. *Ad Comitem Lunæ ſibi conciliandum, Legatorum ſtudia.*

HISTORIA.

PAg. 679. Hiſpani ſæpè ſæpius in ædibus Comitis Lunæ coitiones faciebant, & Granatenſis eum de rebus occurrentibus, quæque facta fuiſſent in Concilio inſtruens, ſubdidit, ſi in rerum deliberationibus ſuffragiorum numerus, vt illucuſque factum fuerat, attendendus eſſet, parum boni ſperari poſſe, & per Nationes deliberari oportere, Comitemq; reſpondiſſe, tum illi rei; tum alijs multis remedium adhiberi neceſſe eſſe, incipiendo à reuocatione decreti, quòd Legati ſoli proponant, libertateque in Synodo ſtabilienda, quibus de rebus peculiaria à Rege mandata haberet, quibuſque conſtitutis, cæteris quoque remedium facile foret: cumque Legati, alijque Pontificij viderent Prælatos Hiſpanos ſibi aduerſos, nunquam à latere Comitis diſcedere, angebantur, &, vt fit, cum aliquis nouus adueniat, vbi factiones inter ſe aduerſæ vigent, quem omnes ad ſuas partes traducere ſtudent, & ipſi quoque in eo erant, vt Comiti Prælatos Regi ſubiectos adiungerent, quos ex eo beneuolos appellabant, quòd idem cum eis ſentirent, quò adiuuarét in loco, & technam (vt dicebant) detegerent; eique perſpectam veritatem facerent.

CONFVTATIO.

HÆc ſunt itidem maligniſſimi impoſtoris calumniæ, vt aperit illicò ſubdens pag. 680. Legatis prorogationem ſeſſionis vſque ad diem 3. Iunij proponentibus, Lotharingium obſtitiſſe, &, *ob ingentem Prælatorum numerum, qui eidem adhæſerant, præualuiſſe, Pontificios verò, ex*

vni-

vniuerſali illa aſſenſione, tanta ſui exiſtimatione adepta, quam maximè timuiſſe. Si enim Lotharingio, & Legatis concurrentibus, ille, *tanta ſui exiſtimatione Legatorumque dedecore* (vt ſubdit) vniuerſalem aſſenſum obtinuit; vbi nam, quæſo, erat illa Pontificiorum multitudo, de qua Granatenſem in ſuffragando timuiſſe, & ideo per Nationes procedi conſuluiſſe narrat?

Et, ſi omnes vniuerſaliter ſuffragium liberè, etiam in ipſos quoque Legatos, reddebant, quid opus erat libertatem magis in Synodo ſtabilire, vt Comitem dixiſſe, ait, cum, ex hac ſuffragiorum libertate perſpectiſſima eſſet.

Et vbi nam erant in deliberationibus, ex parte Pontificiorum, prenſationes, de quibus D. Aloyſium de Auila queſtum fuiſſe narrauit paulò ante pag. 670. ſi, ex vniuerſali illo in Legatos aſſenſu, neminem cum eis fuiſſe comprobat? Nonne enim ſaltem Pontificiæ ditionis Epiſcopos ſuffragatores habuiſſent, ſi ſe eis, ex prenſationibus, quoquomodo aperuiſſent: vel in eos (poſtquam Legati ſuam mentem aperuerant) ſuffragia tuliſſent, ſi ibidem Pontificij reuera fuiſſent?

Et quinam erant ergo Pontificij illi, qui Hiſpanos à latere Comitis nunquam diſcedere angebantur? Et quinam illi, quos in eiuſdem Comitis familiaritatē induxerant, ſi, ex illa vniuerſali Prælatorum cum Lotharingio conſēſione, neminem à Legatis fuiſſe comprobat?

Si verò per hos, & per Oratores Luſitanos (vt addit) thecnam detegere ſtuduiſſent Hiſpanorum, qui affectui nimium tribuentes (vt alibi ſupra docuimus) maiori parti pertinaciter obſiſtebant; laudabiliter etiam feciſſent, cum inde Synodi progreſſus impediretur. Maiorē enim partem, ex ſola conſcientia motam fuiſſe, vel ex vniuerſali hac cum Lotharingio conſenſione patet, ex qua eos nullatenus partibus Pontificis adhæſiſſe, vel cum eo ſēſiſſe conuincitur. Quarè, quemadmodum hic falsò, ac malignè, ſic, & pag. 681. eadem ore Lotharingio iteratò inculcat.

11. Re-

Digitized by Google

11. Reginæ Scotiæ epiſtola ad Concilium.

HISTORIA.

PAg.685. Lotharingius in Congregatione literas Reginæ Scotiæ reddidit, quibus perlectis, Cardinalis eam eleganti oratione excuſatam voluit, ſi nec Prælatos, nec Oratorem mittere poſſet, quòd omnes hæretici eſſet, nonnulloſque eius Reginæ officium deriſiſſe, quòd, non Principis, ſed perſonæ priuatæ eſſet, cum è ſubditis nec vnum quidem Catholicum haberet, quem mitteret, ſed Sciolos cenſuiſſe officium illud mendicatum, extortumq; fuiſſe, cum illud vti Princeps facere potuiſſet, ex quo nō paucos apud ſe ſemper Catholicos habuiſſet.

CONFVTATIO.

QVæ ſunt itidem malignè dicta. Cum etenim officiū illud extorquere non poſſet, niſi Cardinalis Lotharingius, & Rex Galliæ; nemo eorum id procuidubiò feciſſet. Non solùm quia Rex eodem tempore *Concilium in Germaniam transferri* inſtaret, vt dicit hac eadem pag.685, ſed quòd ſubdat, *eundem Gallum Regi Catholico exponi mandaſſe, Concilium pro Germanis, Anglis, Scotbis, & parte aliqua Gallorum, aliiſque Nationibus celebrandum eſſe, quibus Tridentino nunquam adhærere, nec illud vnquam recipere ſtatutum erat.* Quorſum namque illæ officia per Gallum, cui Scothorum iam erga Tridētinum peruicacia comperta erat? Stultè etiam Reginam Scioli irriſiſſent, cum legationes Regiæ è Procerum, ordinumq; conſenſu, Regnorumque impenſâ mittantur, quæ idcircò per quoſuis alios exequi non potuiſſent.

12. Ad

12. *Ad captanda ſuffragia peculiares Legatorum Congregationes.*

HISTORIA.

PAg. 736. Cum Comes Lunæ requiſiuiſſet, Patres è ſingulis Nationibus ſeligi, qui neceſſaria pro regionum ſuarum reformatione colligerent, adhoc, vt res cõmuni omnium ſatisfactione, terminari poſſet, ait, Moronium, communi nomine reſpondiſſe, rem aliter peragi non poſſe, ac in alijs materijs illucuſque factum eſſet, multaq; hinc inde idcirco dicta fuiſſe à Comite, innuendo Concilium in ſeruitute eſſe, & contra à Cardinali illud liberum eſſe oſtendente, ac ſubdidiſſe Moronium, neminem conqueri poſſe ſibi dicendi libertatem adeptam fuiſſe, Comitemque replicaſſe, ſe nil ab eis indignè factum eſſe credere; ſed ſeſe minus continere poſſe, quin dicat, in Concilio, ob peculiares Congregationes, diebus præcedentibus factas, admodum obmurmuratum eſſe, quòd eas ad captanda ſuffragia haberi ſupponeretur, à quo, cum ſe defenderent aſſerendo, ſui muneris eſſe, in ſententiarum diſcrepantia, veritatem indagare, differentiaſque ſedare, adhoc vt materiæ agitatæ vnanimi conſenſione ſtatuantur, ſubiunxiſſe Comitem, id rectè quidem, ſed eos, præter duos, aut tres Hiſpanos, totidemque Gallos, qui cum alijs ſuarum Nationum non ſentiebant, omnes Italos vocaſſe, cùmque Legati Prælatos proportione vocaſſe dicerent, quòd in Synodo centum, & quinquaginta Itali, ex cœteris verò Nationibus non vltra ſexaginta eſsent, Comitem ex hoc ſatis ſibi factum fuiſse oſtendendo, cum diſceſſiſset, ſuis Prælatis dixiſse, Legatos, vt probarent nullam Nationum rationem eſse habendam, diſsertationem cæpiſse, atque oſtendendo ſe ſemper Nationum rationem habuiſse, eam tandèm concluſiſse.

CON-

CONFVTATIO.

EX quibus multas detegit falſitates. Si enim cum Italis adeò laborandum erat, ad eorum captanda ſuffragia, falsò ergò dixit, ore Hiſpanorum, *Italos omnes, partim penſionibus, partim pollicitationibus, aut timore Pontifici adhæſiſſe*, vt etiam ore Quinqueccleſienſis, ac Granatenſis parimodo innuit. Et, cum non oporteret cum eis ad captanda ſuffragia laborare; quandoquidem cum adhærentibus ſoli nutus ſufficiant, ergo Congregationes illas, ad ſolas maturandas materias fuiſſe neneſſariò conſequitur. Vt confirmat, quòd alios, qui cum cæteris ſuarum Nationum non ſentiebant, ad eas Congregationes vocaſſe dicat. Si enim cum Pontifice ſenſiſſent (vt vult innuere) nec etiam cum eis laborandum fuiſſet, & ad ſolas ergo materias maturandas vocatos fuiſſe ex neceſſitate conſequitur.

Et falsò itide inquit, in Concilio, eo tempore, ex Italis 150. ex alijs vero Nationibus ſolos ſexaginta fuiſſe, cum paulò poſt, recēſendo Prȩlatos, qui in Synodo erãt, dicat 795. ſubſcripſiſſe, *Legatos quatuor, Cardinales duos, Patriarchas tres, Archiepiſcopos vigintiquinque Epiſcopos ducentos ſexaginta octo, Abbates ſeptem, Procuratores abſentium triginta nouem, Generales Regularium ſeptem.* Et inſuper, põſt aſſertam illam altercationem inter Legatos, & Comitem Lunæ, dixerit pag. 749. Pontificem è Tridento vocaſſe Epiſcopos *Vintimilienſem, & Iſchia*: & pag. 751. nouem ex Gallis ad propria redijſſe; magnam enim ſe in numero fraudem commiſiſſe detegit.

Inter has falſitates aliquam tamen veritatẽ admiſcet, fatendo ore Comitis Lunæ, *nemini loquendi facultatem ademptam fuiſſe.* Sed ſi ex fide Lunenſis, *omnes liberè loqui poterant*; &, ex Oratorum quoque Gallorum, & Luſitaniæ teſtimonio pag. 739. non ſolùm loqui, ſed *ſuam ape-*

12. *Ad captanda ſuffragia peculiares Legatorum Congregationes.*

HISTORIA.

PAg. 736. Cum Comes Lunæ requiſiuiſſet, Patres è ſingulis Nationibus ſeligi, qui neceſſaria pro regionum ſuarum reformatione colligerent, adhoc, vt res cõmuni omnium ſatisfactione, terminari poſſet, ait, Moronium, communi nomine reſpondiſſe, rem aliter peragi non poſſe, ac in alijs materijs illucuſque factum eſſet, multaq; hinc inde idcirco dicta fuiſſe à Comite, innuendo Concilium in ſeruitute eſſe, & contra à Cardinali illud liberum eſſe oſtendente; ac ſubdidiſſe Moronium, neminem conqueri poſſe ſibi dicendi libertatem adeptam fuiſſe, Comitemque replicaſſe, ſe nil ab eis indignè factum eſſe credere; ſed ſeſe minus continere poſſe, quin dicat, in Concilio, ob peculiares Congregationes, diebus præcedentibus factas, admodum obmurmuratum eſſe, quòd eas ad captanda ſuffragia haberi ſupponeretur, à quo, cum ſe defenderent aſſerendo, ſui muneris eſſe, in ſententiarum diſcrepantia, veritatem indagare, differentiaſque ſedare, adhoc vt materiæ agitatæ vnanimi conſenſione ſtatuantur, ſubiunxiſſe Comitem, id rectè, quidem, ſed eos, præter duos, aut tres Hiſpanos, totidemque Gallos, qui cum alijs ſuarum Nationum non ſentiebant, omnes Italos vocaſſe, cumque Legati Prælatos proportione vocaſſe dicerent, quòd in Synodo centum, & quinquaginta Itali, ex cœteris verò Nationibus non vltra ſexaginta eſsent, Comitem ex hoc ſatis ſibi factum fuiſse oſtendendo, cum diſceſsiſset, ſuis Prælatis dixiſse, Legatos, vt probarent nullam Nationum rationem eſse habendam, diſsertationem cæpiſse, atque oſtendendo ſe ſemper Nationum rationem habuiſse, eam tandem concluſiſse.

CON-

Digitized by Google

CONFVTATIO.

EX quibus multas detegit falſitates. Si enim cum Italis adeò laborandum erat, ad eorum captanda ſuffragia, falsò ergò dixit, ore Hiſpanorum, *Italos omnes, partim penſionibus, partim pollicitationibus, aut timore Pontifici adhaſiſſe*, vt etiam ore Quinqueccleſienſis, ac Granatenſis parimodo innuit. Et, cum non oporteret cum eis ad captanda ſuffragia laborare; quandoquidem cum adhærentibus ſoli nutus ſufficiant, ergo Congregationes illas, ad ſolas maturandas materias fuiſſe neneſſariò conſequitur. Vt confirmat, quòd alios, qui cum cæteris ſuarum Nationum non ſentiebant, ad eas Congregationes vocaſſe dicat. Si enim cum Pontifice ſenſiſſent (vt vult innuere) nec etiam cum eis laborandum fuiſſet, & ad ſolas ergo materias maturandas vocatos fuiſſe ex neceſſitate conſequitur.

Et falsò itide inquit, in Concilio, eo tempore, ex Italis 150. ex alijs vero Nationibus ſolos ſexaginta fuiſſe, cum paulò poſt, recēſendo Prẹlatos, qui in Synodo erāt, dicat 795. ſubſcripſiſſe, *Legatos quatuor, Cardinales duos, Patriarchas tres, Archiepiſcopos vigintiquinque Epiſcopos ducentos ſexaginta octo, Abbates ſeptem, Procuratores abſentium triginta nouem, Generales Regularium ſeptem*. Et inſuper, pòſt aſſertam illam altercationem inter Legatos, & Comitem Lunæ, dixerit pag. 749. Pontificem è Tridento vocaſſe Epiſcopos *Vintimilienſem, & Iſchia*: & pag. 751. nouem ex Gallis ad propria redijſſe; magnam enim ſe in numero fraudem commiſiſſe detegit.

Inter has falſitates aliquam tamen veritatē admiſcet, fatendo ore Comitis Lunæ, *nemini loquendi facultatem ademptam fuiſſe*. Sed ſi ex fide Lunenſis, *omnes liberè loqui poterant*; &, ex Oratorum quoque Gallorum, & Luſitaniæ teſtimonio pag. 739. non ſolùm loqui, ſed *ſuam ape-*

rire ſententiam, ac proponere poterant (ex quibus pleniſſimam libertatem in Synodo fuiſſe conuincitur;) qua fronte, ac veritate idem Iunenſis, contra propriam, aliorumque Oratorum aſſertionem, dicere potuiſſet, *Synodum in ſeruitute fuiſſe?*

13. Pontifex Prælatorum Italorum arbiter.

HISTORIA.

PAg. 741. Cum Pontifex inclinaret Inquiſitionem Mediolani Hiſpanico more inſtitui, ait, Prælatos Inſubres Pontifici inter cætera ſcripſiſſe, eam Inquiſitionem auctoritatem in Prælatos exercere, parumque idcircò ab eis obedientiæ Sanctæ Sedi fore, quòd de Principibus ſecularibus benemereri cogerentur, quibus ex ea ſubijciãtur, & Pontifici, noui Concilij neceſſitate adueniente, paucos Prælatos futuros eſſe, quibus fidere, ac liberè iubere potuiſſet.

CONFVTATIO.

QVaſi in ſua narratione non fuſiſſimè docuerit, non ſolùm Italos omnes ad vnum Pontifici perpetuò aduerſos fuiſſe, vt re ipſa ex facto in ſecundo capite primi libri patefecimus; Sed nominatim Cæſareos (inter quos erant Inſubres, & Neapolitani) perpetuò ſuo Principi detuliſſe, vt peculiariter aperit pag. 161. 167. 183. 218. 262. 265. 279. 280. 366. 488. 489. 491. 497. 525. 527. 585. 587. 601. 603. 604. 617. 655. 670. 687. 701. 763. & paſſim per totam hiſtoriam.

14. *In-*

14. *In formandis aliquibus reformationis articulis, artificium.*

HISTORIA.

PAg.739. In his reformationibus,inter alias mutationes, articulus peculiaris iam ſtabilitus de trium(vt dictum eſt) teſtium præſentia ad integram validitatem matrimonij, mutatus fuit, & vnius teſtis vice ſtatutum, quodlibet matrimonium abſque Presbyteri præſentia nullum eſſe;res ſummæ quidem exaltationis ordinis eccleſiaſtici, cum actio adeò in adminiſtratione politica, & oeconomica præcipua, quæ illucuſque in ſola poteſtate eorum fuerat, ad quos pertinebat, penitus Clero ſubijceretur, quòd, nec via, nec ratio contrahendi matrimonij iniri poſſet, ſi duo Presbyteri, nempe Parochus, & Epiſcopus, aliquo reſpectu præſentiam præſtare abnuerent.

CONFVTATIO

CVm ſtatutum eſſet,matrimonia in facie Eccleſiæ fieri debere, aliter certè exequi non poterat, quam per Parochum. Quod non arte factum fuiſſe patet, cum ita ab exordio ipſo Eccleſiæ, Euariſtus Pontifex, *ex traditione Apoſtolica* (vt in eius geſtis habetur) conſtituiſſet, vt notiſſimum eſt. Et, cum, ex diſpoſitione Concilij, ſola præſentia Parochi requiratur, qui ſe nullo modo denegare poteſt, etiam ſi vellet, cum teneatur ex neceſſitate munia Eccleſiaſtica publicè obire, non poteſt nec etiam dari caſus, quem auctor malignè ſupponit.

HISTORIA.

SVbdit poſtea pag.743.Epiſcopi hunc ſibi tantummodò ſcopum propoſuerant, vt adminiſtrationem ma-

gis liberam haberent: idque conſecuturos credebant, ſi inter cœtera Parochos ab eis dependere prouiſum eſſet, quod fieret quando beneficiorum (quæ curata vocant) eis tribuatur collatio, & id, præter alias difficultates, manus in reſeruationibus, (vt vocant) & regulis Cancellariæ apponebat, quod in arcana Romanæ Curiæ irrumpere erat, cum plenè perſpiceretur aditum, indè ad omnes alias collationes illi integrè auferendas oſtentari, quo omni poteſtate, ipsaque vita priuaretur: ideoque res eo temperamento acta eſt, vt reſeruationibus in ſuo robore permanentibus, facultas beneficia curata pro libito conferendi Epiſcopis, ſub prætextu examinis, tribueretur, ad eumque finem decimum octauum caput exquiſito illo artificio, quod cuique patet, formatum fuit, ex quo ſpecioſa arte Epiſcopum beneficij pro libito conferēdi, emolumento Curiæ nullatenus imminuto, arbiter conſtituitur.

CONFVTATIO.

SEd cum beneficiorum (vt vocant) annatæ, quę in adeptione beneficiorum Eccleſiaſticorum ſoluuntur Pontifici, ſint decimæ decimarum, quæ Summo Pontifici de Iure Diuino debentur, vt probauit Lainez pag. 703. vtiq; ex neceſſitate etiam reſeruanda erant, cum Pontifici adimi nullo iure poſſit, quod illi iure diuino debetur; Quo etiam tollitur obiectio, quam ad caput decimum quartum ſubijcit.

HISTORIA

ET addit pag. 745. In primo capite, quod erat de electione Epiſcoporum, cum obligationē dignioris eligendi eſſe diceretur, emerſit difficultas, alias agitata, id eſſe manus, tam Pontifici in collationibus, quàm Regibus, ac Principibus in nominationibus admodum arctè ligare, ſi vnius duntaxat perſonam nominare adigerentur:

tur: & plerique in ea ſententia erant, vt, illo comparatiuo ſublato, ad dignam tantummodò perſonam prouidēdam teneri diceretur; ſed ex altera parte perpendebant alij, illam ſemper dicendi formam à Patribus vſurpatam fuiſſe, vt dignior præferretur, eamque adducebant rationem, illum ſine culpa eſſe non poſſe; qui minùs dignum, licèt idoneum, digniori præferat. poſtque multas altercationes, rem compoſitam eſſe, relicta in ſpeciem voce *dignior*, & in terminis poſitiuis, primùm loquendo, & ad comparatiuos dein tranſeundo, ità vt prouiſio libera intelligeretur. Quarè illa dicendi forma adhibita fuit, quæ impreſſa perſpicitur, nempè, obligationem eſſe, paſtores bonos, & idoneos prouidendi, mortaliterque peccare, qui vtiliores, & digniores pro Eccleſia non anteponat, cum hiſce verbis naturalis expoſitio remaneat, multos eſſe digniores, & magis vtiles reſpectu aliorum multorum, qui minus digni, & vtiles ſint in eaque amplitudine, ſatis amplum campum eligētium arbitrio remanere.

CONFVTATIO.

QVæ eſt interpretatio manifeſtè maligna. Quo enim pacto dici poteſt, vocem, *dignior*, per ſpeciem tātummodò relictam fuiſſe, ſi Synodus in ea voce vim omnē poſuiſſe apertiſſimis verbis docet, aſſeuerando *mortaliter peccare, qui digniores non eligant?* Nam non ergo per ſolam ſpeciem, ſi declarat *peccare mortaliter*, qui digniores non eligunt.

HISTORIA.

AIt etiam eadem pag. 745. In tertio capite aliquam difficultatem circa viſitationem Archiepiſcoporū fuiſſe. Hi enim canones, & conſuetudines antiquas adducentes, ex quibus ſuffraganei Metropolitanis obedire

iura-

iurabant, eorumque viſitationi, correctioni, & regimini plenè ſubiecti erant, ei auctoritati quicquam detrahi non patiebantur: Epiſcopi, præſertim Regni Neapolitani, è contra vſum inuectum retineri volebant, quo, non auctoritate, ſed ſolo nomine differunt. Sed cum magnus Epiſcoporum, exiguus verò Archiepiſcoporum numerus eſſet, & Legati eis vnà cum Pontificijs fauerent, ne Archiepiſcopi, ex ſuffraganeorum ſubiectione, auctoritate, atque exiſtimatione pollentes, ſuam erga Curiam ſubiectionem minuerent, in cauſa fuere, vt vnius duntaxat verbi ſatisfactionem impetrauerint, &c.

CONFVTATIO.

QVæ ſunt conſuetæ Polani nugæ. Cum namque Prælati Legatos ad reformationem Principum proponẽdam *etiam inuitos, & repugnantes* impuliſſent, vt illicò refert, adeo vt eoſdem Legatos inſuper cauiſſe addiderit, (pag. 742.) *ne quid illis ſuſpicionis darent, nèue eiſdem reclamandi occaſionem pręberent*; an, cum de rebus ipſorummet proprijs ageretur, Romanæ Curiæ, Legatorumque fauore indiguiſſent? Sed, cum ſupra, in Regularium cauſa ſuſtinenda, non modò Archiepiſcopos, ſed Epiſcopos quoque omnes generaliter, nunc verò iterum Archiepiſcopos ſpecialiter offendiſſent, quænam hæc erant artificia Romanæ Curiæ? Artificio illi forſan ſimile, de quo infra in quarto libro in notis ad pag. 156.

15. *Pontifex de Synodo diſſoluenda deliberat.*

HISTORIA,

PAg. 749. Vſque ad id tempus Pontifex nullam aliam deliberationem habuit, quàm Synodi abſoluendæ: Sed tunc, ni id poſſet (quandoquidem ſe ab eis moleſtijs quo-

quoquomodo eximere, ex mera neceſſitate, cogeretur) eam omninò diſſoluere ſtatuit, eiuſque ideò ſuſpendendæ, aut transferendæ, prout melius expedire, cum conſilio Patrum videretur, facultatem miſit Legatis, eiſdem per literas ſignificando, ſe in eo penitus conſtitiſſe, vt ſe omninò ab illa eximeret, vel Concilium abſoluendo, ſi poſſibile eſſet, quod in primis optaret; ſin minus alterutro ſibi ex duobus illis remedijs conſulendo, & occaſioni materiam præberent, qua id per alios ab eis requireretur, adhoc ne ipſum auctorem oſtenderet, Lotharingijque profectionem vrgerent.

CONFVTATIO.

POſito per Auctorem *Pontificem nullam aliam omninò illucuſque deliberationem, quàm Synodi abſoluendæ habuiſſe* (vt apertiſſimis verbis perhibet) vtique ex neceſſitate conſequitur, eas machinationes, & conſilia, quæ Pontifici, ad Concilium diſſoluendum, interturbandumque hucuſque tot in locis ſupra notatis, tribuit, ſolas impuſturas eſſe, vt paulò ante diximus.

Et, ſi hoc tempore Synodi ſuſpendendæ, aut transferendæ facultatem miſit Legatis; quis non videat falſum itidem eſſe, eundem Pontificem eaſdem facultates ante miſiſſe, vt loco alibi ſuprà notato retulit? An enim eas iteratò mittere oportuiſſet? Sed ſe Auctor ex inconſtantia prodit. Nam, licèt Pontificem de *Synodo omninò diſſoluenda* deliberaſſe contendat, eum tamen, non diſſoluendi, ſed tantummodò *ſuſpendendi, aut transferendi* facultatem Legatis miſiſſe dicat.

16. In præcipitando Concilio, vnanimis omnium conſenſio.

HISTORIA.

PAg. 764. Hic magna mihi ſtyli facienda eſt mutatio (inquit

(inquit Polanus,) & cum in præcedentibus narrationibus illum ſemper calamum adhibuerim, qui ad animorum, opinionumque varietates, & ad impedimenta mutua hinc inde conſiliorum, dilationeſque deliberationibus interpoſitas, ſcribendas proprius eſt, cum me ad diuerſorum conſilia, ſæpe ſæpius inter ſe repugnantia, explicanda formarem, vnicum inpoſterum ſcopum, concordeſque operationes narraturus ero, que adunum tãtummodò finem alis potius ferri, quàm currere videbuntur, quarum vnica per me cauſa eſt afferenda, ne vbiq; eam repetere cogar, nempe vnanimis omnium ad Concilium præcipitandum deliberatio.

CONFVTATIO.

VBi ea ſe oblitum fuiſſe oſtendit, quæ pag. 763. immediatè præcedenti retulit; nempè, Oratores Cæſareos (cum nũcius per eos dies de graui Cęſaris ægritudine allatus eſſet) monuiſſe, *ſecuritatem non fore Concilio, ſi obÿſſet, exquo ſaluuſconductus, ex eius obitu, expiraret*. Quæ etiam cauſa fuit, cur Legati, eo accepto nuncio, *de Indulgentÿs, Purgatorio, veneratione Sanctorum, & Imaginum, deque eorum tantummodò vſu, cæteris omiſſis capitibus, approperatò peragi mandaſſent*, vt narrat eadem pag. 763. nec petitiones Comitis Lunæ admiſerint, qui pag. 784. ea maturius diſcuti inſtabat, quò ſuum Regem de deliberatione Synodi abſoluendæ certum faciendi ſpatium eſſet; Præſertim quia Lotharingius, & Galli *differre vlterius non poſſe*, iam pag. 780. *proteſtati eſſent*.

17. *Eorum nomina, qui in Concilio laborauerant, ad eos Cardinales creandos, Pontifex adnotat.*

HISTORIA.

PAg. 795. Pontifex Prælatorum nomina, qui in Concilio

cillo laborauerant, ad eos Cardinales creandos, recenſet.

CONFVTATIO.

ET meritò quidem, cum nonniſi laborantibus pro Eccleſia Dei, ac fide Catholica coronæ ac præmia, præſertim Eccleſiaſtica, iure optimo debeantur; quandoquidem, ex Apoſtoli ſententia, coronari non debeant, niſi qui legitimè certauerint; licèt multos eo tempore præteritos videamus, qui (ſi Polano credimus) non minus operis, ac laboris in eo negocio contulerant, quàm qui promoti fuerunt.

18. *Pro confirmatione Concilij, Epiſcopi Veſtani ſententia.*

HISTORIA.

PAg. 795. Curia, deliberatione Pontificis confirmandæ Synodi, accepta, lætitiam in querimoniam vertit, omnibus, qui munia exercebant ob iacturam querentibus, quam in ſuis muneribus ſubituri eſſent, ſi reformatio illa executioni demandanda eſſet: vlteriuſque aduertebant, cum decreta illa in terminis generalibus, & abſque ſubtilis explicationis clauſulis concepta eſſent, quotieſcunque difficultas emerſiſſet, mundum, iam aduerſus Curiam adlatrare aſſuetum, interpretationem eorum vtilitatibus contrariam, facturum eſſe, & vti res ſpecioſa, reformationiſque titulo fucata amplecteretur. Supplices libelli, ac memorialia per eos Pontifici porrigebantur, &, cum munia emiſſent, præuiderentque iacturam, compenſari quoque petebant. Quam rem admodũ Pontifex perpendebat, eique opportunè remedio occurrendum eſſe cenſebat, ne cauſam deſolationis Romanæ

 Vrbi

Vrbi præberet: quibus ſedulò meditatis, Cardinales elegit, qui de confirmatione conſulerent, deque remedio querimonijs Curiæ porrigendo cogitarent,&c. Cumque ſententijs certaretur, & Cardinalis Amulius Concilium ſtatim, ac promptè confirmandum eſſe cenſeret, Curialeſque munijs præpoſiti omnes ferè ſua damna repræſentantes, totumq; in Sanctitatis Suæ, Sediſque Apoſtolicæ læſionem, eiuſque cenſuum diminutionem recaſurum oſtendentes, contra vrgerent, ſolus Vgo Boncompagnus, Veſtæ Epiſcopus, qui poſtea Cardinalis fuit, admodumque in rebus Curiæ verſatus, dixit, ſe timorem illum, nulla rationabili cauſa obortum, non ſatis mirari non poſſe: Nullam maiorem Concilio auctoritatem ex cõfirmatione acceſſurã eſſe, quàm quæ alia Concilia generalia habeãt, & quę Decreto, ac Decretalibus tribuatur, à quorũ ingẽti numero, & cum horum temporum mores apertis verbis repræhendant, damna, & incommoda longè maiora euenirent, quàm à paucis illis Tridentinis decretis, quæ admodum parcè, & circumſpectè loquantur, nullamque legem in verbis, ſed in ſenſu conſiſtere, nec in eo ſenſu, quem illi vulgus, & Grammatici tribuant, ſed in eo, quẽ, & vſus, & auctoritas confirment. Non aliam vim legibus eſſe, quàm quæ eis tribuat, qui imperat, earumque exequendarum curam habet, qui, declaratione, ſenſum, & amplificet, & limitet, aut etiam verbis contrarium affingat: & perindè eſſet decreta Tridentina in præſenti reſtringere, aut moderari, atq; ea in præſenti abſolutè confirmare, vel vſui ea reſtringenda relinquere, vel, ex opportunitate, declaratione id facere: itaq; nullam ſe cauſam videre concluſit, cur difficultas confirmationi obijciatur, modò tamen incommodis obuiam eundum eſſe monebat, quæ ex temeritate Doctorũ oriri poſſent, qui, quò plus gubernij, & publicæ neceſſitatis ignari, eò magis ſibi arrogent in interpretatione legibus danda, quæ gubernium perturbet: experimento probari, leges nil

mali

mali facere, nullamque litem parere, niſi ob varios, qui eis tribuuntur, intellectus, & ex Conſtitutione Nicolai III. ſuper regula Sancti Franciſci, quæ materia ex ſe ambiguitate plena eſt, nil tamen incommodi vnquam prouenire, commentaria in eam faciendi cuicunque facultate ablata. Si ea ratione decretis Tridentinis prouideatur, ſi ſuper eis ſcribi vetitum erit, eorum quæ timentur magna pars euaneſcet, & ſi etiam Sanctitas eius omnem interpretationem, etiam Iudicibus interdicet, atque in omni dubitatione, Sedem Apoſtolicam pro interpretatione adiri precipiet, nemo Concilium in perniciem Curiæ vſurpabit, & vſu, atque declarationibus ad id accomodari poterit, quod Eccleſiæ beneficio cedat: & quemadmodum Sanctitas Sua Congregationem habet, quę negocijs Inquiſitionis proficuè admodum incumbit; ſic, & alia pro interpræatione Concilij itidem inſtituetur, ad quam dubia ex omnibus terrę partibus, referantur. Quod ſi fiat præuidere ſe dicebat, non ſolùm ex decretis Concilij, Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, ac Ius, Romanæque Eccleſiæ priuilegia nullatenus infringenda fore, ſed immò, ſi his medijs, vti rectè ſciant, augenda, amplificandaque admodum iri. Quibus rationibus adſtantes moti fuerunt, & Pontifex ad confirmationem abſolutam, abſque vlla modificatione, veniendi neceſſitatem ſenſit, perſuaſuſque ita fore, vt Epiſcopus reprę ſentabat, nil aliud in contrarium admittere ſtatuit, vberemque fructum ex labore terminati Concilij ſibi pollicendo, illud confirmare, interpretationem ſibi reſeruare, Congregationéque, ex Epiſcopi Veſtani monitu, inſtituere decreuit.

CONFVTATIO.

IN quibus non deſunt de more contradictiones, & leuitates, quæ hæc cōmentitia eſſe oſtendant. Primùm enim, quo pacto Pontifex conſultationes inſtituit, ad di-

ſquirendum, *an Concilium confirmandum eſſet, nec ne:* vel *Cardinalis Amulij aut Epiſcopi Veſtani rationibus perſuaſus, de illo confirmando deliberauit*, ſi ante has diſquiſitiones, & conſultationes,per Auctorem ſuppoſitas, apertiſſimis, enucleatiſſimiſque verbis retulit pag. 795. *Pontificem Synodum confirmare ſtatuiſſe :* idq; adeò firmiter decreuiſſe inſuper doceat, vt hanc ſuam deliberationem, *etiam in Conſiſtorio propalaſſe*, perhibuerit; addendo ad cumulum, *Pontificem, ſtatim audita Synodi concluſione, pro gratiarum actione ſolemnes ſupplicationes indixiſſe, & in Conſiſtorio lætitiam, qua, ob eam cauſam, afficiebatur, explicuiſſe, ac ſe Concilium confirmare, aliaſque ei reformationes addere, treſque Legatos in Germaniam, Galliam, & Hiſpaniam pro decretorum executione allegare velle dixiſſe.*

Dein, quia rationes Veſtani, quibus Pontificem motum fuiſſe ſupponit, non eſſent in rem præſentem,vt opus erat, nec tollerent difficultates, quæ tunc temporis vrgebant, quæq;Concilium non confirmandum eſſe ſuadebant,cum in futurum tantummodò reſpicerent,& Curiales in præſenti ſibi caueri pro ſua indemnitate inſtarent.

Et quia Veſtanum dixiſſe,addat,nullam aliam vim legibus eſſe, quàm quæ eis ab imperante donetur, qui declaratione ſenſum amplificet, aut reſtringat, vel contrarium verbis faciat. Cum namque ipſorum Curialium ore dixerit, decreta Tridentini *in terminis generalibus, & abſque clauſulis ſubtilis explicationis concepta eſſe*; vtique hæc in eis decretis fieri ſperari non poterat, nec ratio idcirco Veſtani in rem præſentem fuiſſet.

Et quia, eam Veſtani perſuaſionem in eo fuiſſe ſupponat,vt per Pontificē prohiberetur,*ne ſuper decretis ſcribis, aut vlla delaratio fieri poſſet*:Et Pōtifex idcirco prohibuerit (vt ſubdit 799. *cuiuſlibet conditionis perſonis, tàm Clericis, quàm Laicis, commentaria, gloſſas, adnotationes, ſcholia, aut cuiuſcunque generis interpretationes, nec aliquod ſtatutum,*

vel

vel etiam maioris corroborationis, aut executionis decretorum obtentu, ſuper eis fieri, ſed, ſi quis locus obſcurus interpretatione, aut deciſione indigeat, Sedē Apoſtolicam conſulerent, cū ipſe ſibi reſeruaret difficultates, aut controuerſias declarare, vt per Synodū etiā iam declaratū fuerat; cum hæc vetita in Bulla Pontificis, nullatenus reperiantur, aut appareant. Nam hæc *ſine auctoritate Pontificis edi tantummodò*, non autem fieri prohibentur, vt patet in ipſa Bulla, in qua præciſis verbis dicitur, *Inhibemus omnibus, ne quis, ſine auctoritate noſtra, audeat vllos commentarios, gloſas, admonitiones, ſcholia, vllumue omninò interpretationis genus, ſuper ipſis Concilij decretis, quocunque modo edere.* Nam in pœnalibus interpratatio ſtrictè facienda eſt, & ſolùm præceperit, in caſu dubio, Sedem Apoſtolicam pro declaratione conſuli; ſubdens, *ſi cui verò in eis aliquid obſcurius dictum, & ſtatutum fuiſſe, eamque ob cauſam interpretatione, aut deciſione aliqua egere viſum fuerit, aſcendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apoſtolicam, &c. Nos enim difficultates, & controuerſias, ſiqua in eis decretis orta fuerint, nobis declarandas, & decidendas quemadmodum ipſa quoque Sancta Synodus decreuit, reſeruamus.*

Suaſionemq; Veſtani cò certiùs commentitiam, illiq; attributam eſſe, perſpiciatur, quòd Pontifex apertiſſimè in dicta Bulla affirmet, ſe hæc, *ex ipſius Synodi decreto* ſtatuiſſe. Nam non ergo id ex Veſtani aliorumue ſuppoſita animaduerſione feciſſe liquidò aperit; præſertim, quia ante dictam Veſtani animaduerſionem, iam Pontifex in ipſo Conſiſtorio (vt diximus) *Concilium confirmare velle* publicè, ac palam decreuiſſet.

19. In actum Conſiſtorialem, bullamq; confirmationis animaduerſiones

HISTORIA.

PAg. 799. Typis vulgata fuerunt, vnà cum Decretis Conci-

Concilij, actus Conſiſtorialis, confirmationis, & bulla. Quę res loquendi cauſam dedere, quòd ex eis appareret, decreta, non vti à Concilio ſtatuta, ſed ex ſola confirmatione vim habere. Ideoque dicebatur, alium cauſam vidiſſe, alium verò ſententiam pronunciaſſe: nec dici poſſe, Pontificem prius decreta vidiſſe, quàm confirmaſſe. Nam ex actu Conſiſtoriali apparebat, Pontificem decretum tantummodò confirmationem petendi vidiſſe.

CONFVTATIO

Actus Conſiſtorialis dicit; *Quibus auditis, Sanctitas Sua, viſo, & lecto tenore dicti decreti, & habitis votis Reuerendiſſimorum Cardinalium reſpondit per hæc verba: Petitioni nomine Concilij Oecumenici Tridentini ſuper eius confirmatione per dictos Legatos Nobis facta annuentes, omnia, & ſingula, quæ in dicto Concilio, tàm ſub fel: rec: Paulo III. & Iulio III. Prædeceſſoribus noſtris, quàm Pōtificatus noſtri tempore decreta, & definita ſunt, auctoritate Apoſtolica etiā de venerabilium fratrum noſtrorum Cardinalium conſilio, & aſſenſu, matura cum illis deliberatione præhabita, confirmamus &c.*

In quibus verbis nullatenus, vt patet, apparet, an decreta illa, vti à Concilio ſtatuta, an verò ex confirmatione tantummodò vim habeant, cum ex eis neutrum declaretur; quemadmodum nec ex verbis bullæ, quæ mox recenſebimus.

Ex actu verò Conſiſtoriali apparere Pontificem decreta prius confirmaſſe, quàm vidiſſe, falſiſſimum eſt. Siquidem cum in eo duo per Pontificem facta dicantur, nempè, & conſilium, aſſenſumque Cardinalium requiſiuiſſe: & conſultationem cum eiſdem Cardinalibus præhabuiſſe, cum dicat: *Quibus auditis, Sanctitas Sua viſo, & lecto tenore dicti decreti, & habitis votis Reuerendiſſimorum Cardinalium, reſpondit, &c.* patet, Pontificem, in Conſiſtorio, vota

vota ſolùm Cardinalium requiſiuiſſe, & per conſequens conſultationem decretorum actum Conſiſtorij præceſſiſſe, vt indicat verbum illud, *prahabuiſſe*. Et confirmant ea verba bullæ confirmationis. H*abita ſuper hac re cum Ven: fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura, ſanctique Spiritus in primis auxilio inuocato, cum ea decreta omnia Catholica, & populo Chriſtiano vtilia, ac ſalutaria eſſe cognouiſſemus, ad Dei Omnipotentis laudem, de eorundem fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu in Conſiſtorio noſtro ſecreto, illa omnia, & ſingula, auctoritate Apoſtolica hodie confirmamus*. Nam decreta omnia prius vidiſſe, & illa vtilia cognouiſſe, & poſtea confirmaſſe, apertiſſimè dicunt.

HISTORIA.

SVbdit poſtea: cui obiectioni ab alijs reſpondebatur, non opus fuiſſe ea per Pontificem videri, cum nil factum eſſet Tridenti, niſi quod per eum ante deliberatum fuiſſet.

CONFVTATIO.

QVæ calumnia cùm à Nobis plenè reiecta ſit in primo capite libri Secundi, ſatis etiam reijcitur ex querelis Curialium, quas immediatè ſupra recenſuit, & nos adnotauimus. Si nil etenim factum reuera Tridenti fuiſſet, quàm quod per ipſummet Pontificem ante deliberatum eſſet; an ea vnquam Pontifex ſtatui, ac decerni mandaſſet, quæ (vt præciſiſſimis verbis dixit) *Romanæ Vrbi deſolationem allatura eſſent, in ipſiuſq; Pontificis, ac Sedis Apoſtolicæ læſionem, eiuſq; cenſuum diminutionem, recaſura eſſent?* Vt etiam ex eo docet, quòd Pontificem, *decreta Synodi Romæ per Cardinales, & alios examinari, & diſcuti mandaſſe*, itidem afferat, eodem loco. Nam *diſcuti* proculdubiò per Pontificem non oportuiſſet, quæ ab eo reuera facta, ac ſtatuta fuiſſent.

FINIS TERTII LIBRI.

HISTORIAE
CONCILII TRIDENTINI
PETRI SVAVIS POLANI

EX AVCTORIS MET
aſſertionibus confutatæ.

LIBER QVARTVS.

Digitized by Google

EIVSDEM HISTORIAE POLANI FALSITAS, & malignitas in ijs etiam, quæ non ſunt de Actione.

I. Totam hiſtoriam in ijs etiam, quæ non ſunt de Actione, obtrectatione, impoſturis, calumnijs, ac falſitate contaminatam eſſe.

Digitized by Google

SVMMARIVM.

Eorum, quæ in hoc quarto libro elucidantur.

1 *DE Leone X. Summo Pontifice, & de Indulgentijs per eundem euulgatis anno 1517.*
2 *Indulgentiarum materiam adhuc eo tempore ignotam fuiſſe.*
3 *Diplomatis damnationis Lutheri cenſura.*
4 *Noua ſemper in Pontificem moliri cogebatur Lutherus.*
5 *Lutheri, de ſua Secta, ad Electores Treuerenſem, & Brandeburgenſem reſponſio.*
6 *Quæ nouitatibus Origo fuerit.*
7 *Qua Synodus eo tempore deſiderabatur.*
8 *Adriani Pontificis Inſtructio.*
9 *Principum Secularium Germaniæ aduerſus Romanam Curiam, Ordinemq; Eccleſiaſticum querela.*
10 *Ad euitandum Concilium Clementis VII. conſilium.*
11 *Reformationis in Germania per Pontificẽ factæ cenſura.*
12 *Romani Imperij poſſeſſionem per Pontificem vſurpatam fuiſſe.*
13 *Pontificem armorum comminationibus Cæſarem perterruiſſe.*
14 *Clemens à Concilio: & quibus de cauſis alienus eſſet.*
15 *Lutherum, & alios, qui ab eo non dependebant, renonationi Religionis principium dediſſe.*
16 *Clementem cum Cæſare, non de Concilio, ſed de vi, & armis egiſſe.*
17 *Ad Proteſtantes, Cæſaris verba.*
18 *Ob promiſſionem Concilij à Cæſare factam, angebatur Clemens.*
19 *Aduerſus Indictionem Concilij: Proteſtantium literæ.*
20 *Nouitates ab altiori cauſa, quàm ab opere Zuinglij, ac Lutheri proceſſiſſe.*

21 *Conditiones, quas recipiendas non eſſe ſciebat, Clemens, pro Concilio celebrando, propoſuit.*

22 *Pacem Religionis Cæſarem Proteſtantibus iuſtè dediſſe.*

23 *Deliberationi, nullum habendi Concilium, Pontifex inſiſtit.*

24 *Henrici VIII. Regis Angliæ cum Catharina eius Vxore diuortium.*

25 *Henrici à Sede Apoſtolica Apoſtaſiæ defenſio.*

26 *Circa formam Concilij nullis alijs conditionibus Pontifex aures præbere volebat, quā quæ è re Romana eſſent.*

27 *Cardinales, Sede Vacante, eo animo iurant, vt ad Pontificatum aſſumpti, pactis non ſtent.*

28 *Paulus III. Concilium velle ſimulabat.*

29 *Pontifex impediendo Concilio materiam ſubminiſtrat.*

30 *Pontifex Principum ſcopum, circa locum, ad illos inter ſe inuicem opponendos explorare ſatagit.*

31 *Lutheri ad Vergerium Nuncium Apoſtolicū, reſponſa.*

32 *Circa electionem loci Regum Galliæ, & Angliæ, ad Smalcaldicos epiſtola.*

33 *Pontifex vt Concilium impediat Cæſarem ad bellum aduerſus Lutheranos hortatur.*

34 *De Concilio armis, tutela ſpecie circumuallando, Pontificis cogitatio.*

35 *Clericorum concubinas Eccleſiaſtico foro ſubijci.*

36 *Cum alij Mantua fortiores eſſent, Pontifex eam Vrbem reſpuit.*

37 *Aduerſus Indictionem Concilij, Regis Angliæ litera.*

38 *Concilium non celebrari, Pontifici aſcribebatur.*

39 *A Concilio proſequendo, Pontifex alienus.*

40 *Pontificio gladio vim in hominum opinione eſſe.*

41 *Henricus VIII. Pontificem de mendacio redarguit: à quo inſuper eius laudantur actiones.*

42 *Dilationum Concilij Pontifex auctor.*

43 *Aliqua de Concilijs: & in Pontificem.*

44 *Cæſare, & Chriſtianiſſimo de Concilio à Pontifice pe-*

tendo

Digitized by Google

tendo conuenientibus, ab eo præueniuntur.

45 *Contra Valdenſes Hæreticos, Gallorum ſæuitia.*

46 *Parmam, & Placentiam à Duce, quàm ab Eccleſia recuperare facilius Cæſari fuiſſet.*

47 *In cauſa Archiepiſcopi Colonienſis inter Pontificem, & Cæſarem, ob fori competentiam, diſſenſio.*

48 *Aduerſus Tridentinum Proteſtantium ſcriptum.*

49 *Qua ratione, circa ſuffragia in Concilio reddenda, ad conſuetam in his temporibus ſit peruentum.*

50 *Ob lectiones, & Conciones, inter Epiſcopos, & Regulares, contentiones; & alia de Regularibus.*

51 *Decretorum quartæ Seſſionis cenſura.*

52 *Archiepiſcopo Colonienſi de hæreſi per Pontificem damnato, Proteſtantes de Pontifice queruntur in ſuſpicionemque vocant.*

53 *De B. Mariæ Virginis conceptione.*

54 *Decretorum quintæ Seſſionis cenſura.*

55 *De Eccleſiaſtica Reſidentia.*

56 *An cœtus ille in vno ſenſu conueniret, incertum.*

57 *Sextæ Seſſionis Cenſura.*

58 *Reſeruationes beneficiorum, caſuum, abſolutionumque diſpenſationes, & alia huiuſmodi incognita olim fuiſſe.*

59 *De beneficiorum pluralitate.*

60 *Pontifex Neapoli ſeditionem alebat.*

61 *Bullæ facultatum ſuis Nuncijs ad Germanos per Pontificem datæ cenſura.*

61 *In Concilio Nationali res religionis rectè tractari.*

62 *Iulius III. Pontificatum ſibi ex Aſtronomis auſpicatur.*

63 *Res iam Tridenti ſtatutas in dubium non reuocari Pontifex à Cæſare petit.*

64 *Cæſar Bullam Indictionis Cōcilij ſuo decreto moderatur.*

65 *Pontifex ad Concilium impediendum, bellum inter Cæſarem, & Chriſtianiſſimum deſiderat.*

66 *Iuriſdictionis Epiſcopalis origo, & progreſſus.*

67 *Electore Brandeburgico reuerentiam Concilio exhibēte,*

obſequium

obſequium recipere Patres reſpondent.

68 *Seſſionis decima tertię Cenſura.*

69 *Decimę quartę ſeſſionis Cenſura.*

70 *Pontifex ad preueniendas Concilij iterum aſſumendi occaſiones, Eccleſia reformationem proponit.*

71 *Romana Curia de reſtituẽdo Concilio nunquã cogitauit.*

72 *Ad ſibi exiſtimationem conciliandum, alijs verò timorem incutiendum Pauli IV. arcanum.*

73 *Idem ob indignationem in Cardinalem Polum, in illum animaduertit.*

74 *Pontifex nimium in Anglia Riginam immitis.*

75 *Sectis naſcentibus Romanę Curię mores, occaſionem dediſſe.*

76 *Pius IV. ſe Concilio propenſum ſimulat.*

77 *Solam Pontifici reuerentiam per ſuum Oratorem Caſar deferre contendit.*

78 *An Hugonottis in Auenione, arma in Pontificem ſuum Dominum ſumere liceret.*

79 *Pro Indictione Concilij Principum diſcrepantię.*

80 *Imminentis Concilij pratextu, Pontifex ad gratias denegandas vtitur.*

81 *Concilij generalis erratum pluries à Nationali correctum fuiſſe.*

82 *De Colloquijs inter Catholicos, & Hereticos.*

83 *Ad petitionem Calicis, ab Oratore Chriſtianiſſimi factam, Cardinalis Sancti Angeli reſponſio.*

84 *Cur Sacerdotum Connubia Sedi Apoſtolicę pernicioſa?*

85 *Circa modum in Concilio ſedendi Pontificis Breue.*

86 *Quietè inter ſe viuere poſſe, qui ſacra communia non habent.*

87 *De libris prohibitis.*

88 *Decimę octaua Seſſionis Cenſura.*

89 *De ordinationibus ad titulum patrimonij.*

90 *De mercede pro ordinatione.*

91 *Sacramenta ex ſola charitate adminiſtranda eſſe per Clericos.*

92 *In*

92 *In ſeſſionem 21. Animaduerſiones.*
93 *In ſeſſionem 22. Animaduerſiones.*
94 *Acta Concilij Tridentini ſummo ſtudio occultata fuiſſe.*
95 *Populi aſſenſum in ordinationibus neceſſarium eſſe.*
96 *In 23. Seſſionem Animaduerſiones.*
97 *Conſiliariorum Senatus Pariſienſis aduerſus decreta Synodi obiectiones.*

IN TRIBVS PRÆCEDENTIBVS LIBRIS elucidauimus, quæ Polanus in Actione Tridentina aduerſus Romanam Curiam, & Synodi libertatem congeſſit, ſed in hoc quarto libro illa ſeorſum examinabimus, quæ non ſunt de Actione, vt pateat nihil omnino in ſua hiſtoria eſſe, quod non falſitate, liuore, calumnijs, impoſturiſq; corruperit, ac deprauauerit.

1 *De Leone X. Summo Pontifice, & Indulgentijs ab eo vulgatis anno* 1517.

HISTORIA.

PAgina 3. Leo X. vtpote nobiliter natus, & educatus, multis bonis artibus in Pontificatu claruit, inter quas ſingularis in litteris humanioribus eruditio, mira in agendo probitas, atque ſuauitas, ſumma liberalitas, ac magna in literatos, ac virtute præditos propenſio. Pontifexque numeris omnibus abſolutus fuiſſet, ſi qua illi cognitio rerum ad religionem pertinentium, maiorique ad pietatem inclinatio fuiſſet; quarum neutram ſibi curæ eſſe oſtendebat. In erogando, & conſanguineis, Aulicis, litterarumque profeſſoribus largiendo liberalis, cæteris fontibus exhauſtis, vnde aliarum regionum opes in Romanam Curiam influunt, ad Indulgentias animum conuertit, & anno 1517. præteritorum Pontificum exemplis inſiſtens, de conſilio Cardinalis Sanctorum

rum Quatuor vniuerſali Indulgentiarum conceſſione vulgata, partem prouentuum, antequam collecti, aut benè ſati eſſent diſtribuit, diuerſis diuerſarum Prouinciarum redditus largiendo, & aliquid etiam Suæ Cameræ reſeruando.

Quicquid è Soxonia, & ex illo tractu Germaniæ, quę inde ad mare pertinet prouenìſſet, donauit Magdalenæ ſuæ Sorori, Franciſci Cybo vxori, quod non tam fraterno tribuit affectui, quàm vt ſumptus conpenſaret ſibi ſuppeditatos eo tempore, quo Alexandro Sexto iuncto Florentinis, qui Mediceos expulerant, Leoni Romæ tuta Sedes eſſe non poterat. Magdalena verò, vt è liberalitate fratris fructum ſibi maiorem pararet, Indulgentiarum conclamandarum, pecuniarumque colligendarum curam demandari voluit Epiſcopo Aremboldo, qui eam facultatem omni penitus perſonarum ratione poſthabita, plus licitantibus concedebat. Cumque apud Saxones, ex antiquo Pontificum more, (cum Indulgentias vulgarent,) Eremitani Ordinis Fratres adhiberentur, nihilominus Aremboldi, Quæſtores, eis præteritis, ad Fratres Dominicani Ordinis diuerterunt, quòd ex Auguſtinianis, vtpote hiſce rebus tractandis aſſuetis, nil ſibi præter ſolitum pollicerentur. A quibus, cũ in Indulgentiarum viribus amplificandis, multa noua, non ſine offenſione dicerentur, præſertim accedentibus perditis Quæſtorum moribus, per quos in tabernis, aleis, alijſque tacendis profundebantur, quæ populi ad Indulgentias comparandas ſibi è rebus neceſſarijs ſubtrahebant, Martinus Lutherus Eremitani Ordinis Frater excitatus, in ipſos Quæſtores inuehens, nouos primum, excedenteſquę abuſus reprehendendo, ab eiſque deinprouocatus, Indulgentiarum materiam inueſtigare cæpit: &c.

Quæ narratio ex Guicciardinio ſumpta eſt, qui ea de re loquens, in ſuo libro 13. inquit, doctrinæ nouiter ex-

citatæ

citatę admodum difundi cæperunt, cui peſti origo fuit in Saxonia Germaniæ Prouincia ex concionibus Martini Lutheri Auguſtiniani Ordinis Fratris,qui pro maiori parte, in ſuis primordijs Bohemorum errores excitauit &c.

Quibus per Germaniam excitandis, Sedis Apoſtolicæ auctoritas, per licentiam nimis à Leone adhibita occaſionem dedit. In re etenim ſpirituali, ac beneficiaria, ſententiam Laurentij Puccij Cardinalis Sanctorum Quatuor ſecutus, omni prorſus temporum, locorumque ratione poſthabita, peccatorum veniam, ad viuentium pariter, defunctorumque culpas expiandas per totum Orbem ampliſſimè conceſſerat. Nam, cum id ad ſolas pecunias corradendas fieri notiſſimum eſſet, & à Quæſtoribus exactioni præpoſitis (quod plerique eam facultatem ſibi pretio comparaſſent) impudentiſſimè exequeretur, viam pluribus in locis, ſed in Germania præſertim, indignationi, atque offenſioni aperuerat, cum poteſtatem mortuorum animas à cruciatibus Purgatorij liberandi; vel vili venderent; vel in tabernis luderent.

Cumque Pontifex, ob ingenitam ſibi facilitatem, muneris Pontificij maieſtatem pluribus in rebus negligeret, multarum Germaniæ regionum prouentus Magdalenæ ſuæ ſorori donauit. Quæ, cum Epiſcopum Aremboldum, ea procuratione dignum, quique munus per ſummam auaritiam, extorſionemque exercebat, præpoſitum voluiſſet, & in Germania motum vbique eſſet exactiones illas non Pontificis, aut Cameræ Apoſtolicæ vſibus applicari,vbi nõ improbè erogari aliqua ex parte potuiſſent, ſed vnius mulieris auaritiæ deſtinari; non tam exactionem, eiuſq; miniſtros, quàm ſuum nomen authoritatemque(quòd ea tam inconſultè concederet) deteſtandam fecerat. Qua occa-

occaſione ſumpta ; Lutherus &c.

CONFVTATIO.

CVm Leo X, ad generalem Chriſtianorum expeditionem in Turcas, & Infideles ſpiritualibus, temporalibuſque ſubſidijs efficaciter promouendam, prę-ter Decimas ex omnibus Chriſtiani Orbis Eccleſijs, etiam Cruciatam cum maximis Indulgentijs de more conceſſiſſet, Franciſcus Guicciardinius huius narrationis auctor, à qua Polanus ſuam deſumpſit, hac expeditione penitus ſilentio ſuppreſſa, & Apoſtolico Leonis zelo turpiſſimum finem contra veritatem affingens, Indulgentias, quas prò religionis tutela, totiuſque populi Chriſtiani defenſione ſanctiſſimè conceſſerat, in ſolum finem corradendi pecunias prò ſuo priuato quæſtu, ab eo vulgatas fuiſſe, in hac ſua narratione impiè commentus eſt. Et cum etiam alibi Clementi ſeptimo Apoſtaſiam Henrici Octaui Regis Angliæ, pari malignitate, ac falſitate aſcripſerit, videtur in hos duos eiuſdem Patriæ Summos Pontifices, & hę-reſis Lutheranæ, & euerſæ in Germania, & Angliæ religionis culpam reijcere voluiſſe. Vnde miror, neminem vnquam, in longiſſimo centum, & ferè quinquaginta annorum decurſu, inter tot præclara noſtræ Vrbis ingenia repertum eſſe, qui (Guicciardinij profligata calumnia) de hac indigniſſima nota, toti noſtræ Nationi probroſa delenda cogitauerit. At cauſa cur Guicciardinius, tametſi nobilis Florentinus, nihilominus, confictis malignè criminationibus, Leonem, & Clementem, & vnà etiam Patriam, apud cæteras Nationes fędare non erubuit, vel fuerit, quia per eos Medicei priſtinæ potentiæ in Republica Florentina reſtituti fuiſſent, quorum ſtatui ibidem perpetuo ſtabiliendo

liendo impedimento fuiſſet, vt in ſuo 18. libro retulit; vel quia ipſius germanus frater, ſuæque gentis alij in eoſdem Mediceos, non ſine etiam proprij capitis diſcrimine, conſpiraſſent, vt Iouius in ſuo 20. & 36. libris recenſuit, vel ob quam aliam cauſam fuiſſet, cum diſquirere huius inſtituti non ſit, noſtrum erit dictæ eius narrationis falſitatem, impoſturamque detegere, vt & Nomini Florentino, & maximis illis Pontificibus ſuum decus aliquando reſtituatur.

Guicciardinium ergo, circa dictas Indulgẽtias Leonis, de impoſtura, ac falſitate; tum ex proprij oris confeſſione redargui; tum ex certiſſimis illius temporis documentis, omniumque communiter Scriptorum fide conuinci, primùm patefaciemus, & alibi ſuo loco de Clemente dicemus.

Leonem itaque de expeditione illa in Turcas, & Infideles ſerio cum Principibus egiſſe patet, primùm ex eadem Hiſtoria Guicciardinij. Nam in eodem ſuo libro 13. dictam expeditionem recenſendo, octo circiter paginis ante dictam ſuam narrationem, dixit in ſumma, *Leonem, cum vereri poſſet, ne Selymus Turcarum Tyrannus ditione, ac viribus acutus, Chriſtianos (ni in ſuis Regnis preueniretur) armis opprimeret, præter de notiſſimas ſupplicationes Romæ celebratas, quibus idem Pontifex nudis pedibus interfuit, omnes Chriſtianorum Principes; tum epiſtolis, & legationibus; tum inducijs inter ipſos in quinquennium conſtitutis, ad bellum Turcis communibus Chriſtianorum viribus inferrendum excitaſſe.*

Quam expeditionem, anno 1517. in vltima ſeſſione Lateranenſis Concilij, per Leonem ſolemniter promulgatam fuiſſe conſtat ex eiuſdem Leonis diplomate, dato ibidem eodem anno 1517. & pariter ex epiſtola prima libri 15. Petri Bembi, vbi Leo Regem Angliæ de re feliciter concluſa certiorem facit.

Ad eam verò expeditionem ſpiritualibus, temporalibuſq; ſubſidijs efficaciter promouendam, *Decimam, & Cruciatam* cum maximis illis Indulgentijs, de quibus loquitur Guicdiardinius, conceſſiſſe, idē Guicciardinius fatetur, præciſſiſſimis verbis ſubdens in eodem loco; *Laurentium Nepotem Leonis, cum ſeſe in Galliam conferret, Breue à Pontifice detuliſſe, quo Regi Christianiſſimo concedebat, vt pecunijs ex Decima, & Cruciata collectis euſque prohibito vti poſſit, quò in Turcas eroganda non eſſent: ea tamen conditione, vt eaſdem illico reſtituere ſponderet, cum in finem, in quem collectę fuerant, neceſſariç fuiſſent.* Nam ergo, ex confeſſione Guicciardinij, Cruciata, ac proinde Indulgentiæ de quibus ipſe loquitur, non in alium finem quàm dicti belli Turcici à Leone conceſſæ fuerunt. Siquidem indulgentias illas pro Cruciata, de more conceſſas fuiſſe teſtantur Vlembergius, & Remundus cum eis, quos allegāt, Fōtenus, Iouius, Surius, Genebrardus, & Popelinerius in ſua Hiſtorica Gallica, & alij omnes ſcriptores, qui eadē re vnquam verba fecerunt.

Quas eaſdem Indulgentias, præcisè fuiſſe, de quibus Polanus, & Guicciardinius in dictis ſuis narrationibus agunt, probatur, primùm, quia Polanus idem eas anno 1517. conceſſas fuiſſe teſtetur: nam ergo eodem tempore, quo expeditio per Leonem vulgata fuerat.

Secundò probatur, quia, tam Polanus, quàm Guicciardinius in dictis ſuis narrationibus affirment, Indulgentias, de quibus loquuntur, eas præcisè fuiſſe, quas oppugnauit Lutherus, ac proinde, quas Leo anno 1517. pro expeditione illa conceſſerat, vt prædicti ſcriptores, & alij omnes confirmant.

Vt demum magis indiuiduè probat iterum Guicciardinius, ex dicto Breui, quod per Laurentium Nepotem

tem Leonis in Galliam allatum fuiſſe dixit. Siquidem, ſi, ex fide ſuæ Hiſtoriæ, Breue illud datum fuerat anno 1518., & loquebatur expreſsè de pecunijs iam ex Decima, & Cruciata eodem anno 1518. collectis, ex neceſſitate etiam Breue illud non loquebatur niſi de pecunijs collectis anno immediatè præcedenti 1517., ac proindè ex dictis Indulgentijs pro expeditione illa in Turcas eodem anno promulgatis.

Nam licèt Lutherus eodem tempore ſcripſiſſet quandam epiſtolam Archiepiſcopo Moguntino contra Quæſtores Fabricæ Sancti Petri, hæ tamen Indulgentiæ iamdiu ante conceſſæ fuerant à Iulio Secundo, nec idcirco erant illæ; quas Lutherus oppugnauerat dicto anno, vt dicit Polanus 1517.

Quibus poſitis, impoſtura adeo certa eſt, vt manu ipſa tangatur. Si namque ex ipſius Guicciardinij teſtimonio, Indulgentiæ de quibus tàm ipſe, quàm Polanus in dictis ſuis narrationibus agunt, non in alium finem à Leone, quàm dicti belli Turcici vulgatæ fuerant; non ergo in ſolum finem corradendi pecunias p ro ſuo priuato quæſtu, aut ad Magdalenæ ſuæ ſororis auaritiam explendam.

Et, ſi pecuniæ illæ adeo cautè in dictum finem belli Turcici ſeruabantur, vt earum vſus, nec ipſis etiam Regibus (è quorum ditionibus colligebantur,) niſi eas quandocunque opus fuiſſet, reſtituendi cautione data permitterentur; non ergo in ipſa Indulgentiarum conceſſione eas Magdalenæ ſuæ ſorori donauerat, aut donare potuit: nec ipſa per conſequens Epiſcopum Aremboldum illi exactioni proprio nomine, præficere; præſertim quia hoc munus in tota Germania demandatum fuiſſet Archiepiſcopo Moguntino, vt dicunt ſupra notati Scriptores.

Vnde multò minus credibile eſt, Leonem ex dictis

pecu-

pecunijs quinquaginta aureorum millia Laurentio ſuo Nepoti liberè conceſſiſſe, vt Guicciardinius ibidem ſubdit. Quare conſequitur, ea omnia, quæ de Aremboldo addit, ex neceſſitate commentitia eſſe.

Et, cum illæ Indulgentiæ nonniſi pro neceſſaria Religionis, reique Chriſtianæ tutela conceſſæ fuiſſent, nonniſi etiam malignè Guicciardinius criminatur nouitatibus Lutheranis ob id occaſionem dediſſe, quod Leo in eis concedendis auctoritate Apoſtolica per licentiam abuteretur: præcipuè cum Lutheri nouitatibus, non ex Indulgentijs; Sed ex æmulatione, & contentionibus inter Auguſtinianos, & Dominicanos occaſionem fuiſſe, præter Polanum, dicant ſupra notati omnes Scriptores. Quas nec etiam inconſultè, & omni prorſus temporum, locorumque ratione poſthabita, conceſſiſſe, cum alijs, quę in dicta ſua narratiua addit, dicere potuiſſet.

Et licèt nulla maior probatio, ipſa aduerſarij confeſſione detur; tamen hanc veritatem ex ipſis epiſtolis, quæ eiuſdem Leonis nomine eodem tempore, eaque de re ſcriptæ fuerunt, ad cumulum fulciemus. Nam, cum ex illo ferè tempore in primo volumine *literarum Principum* impreſſæ legantur, & nulli idcirco exceptioni ſubiaceant, fidem etiam irrefragabilem faciunt.

In eis etenim epiſtolis (mihi folio 24.) Cardinalis Bibbiena, qui erat eo tempore à ſecretis Leoni, ſcribit è Gallia Iulio Cardinali Mediceo anno 1518. (nempe immediatè poſt Cruciatam conceſſam) *Regem, eiuſque Matrem dixiſſe, ſe mandaſſe Decimas, per Leonem conceſſas imponi iuxta rationem, quàm attulerat Leſcutus, ad hoc, vt pecunia in prontu eſſent, ſi ob res Turcicas neceſſaria fuiſſent*: & in alia eidem Cardinali, ac Laurentio Vrbini Duci communiter ſcripta, itidem ait

ait (pagina 31.) *Se Matri Regis retuliſſe, quæ de Decima vltra montes, & Cruciata ſcripſerant, Reginamq; prima fronte oſtendiſſe, ſe id in Bulla per Bernardum allata, non benè forſan percepiſſe: & circa Decimam , & Cruciatam prædictas , ipſos orare, vt iuxta expeditionem Friderici expedirentur.* Et in fine, *Reginam per eos apud Pontificem agi cupere, vt in eos duos annos, qui ſupererant, exactionem Cruciatæ eo modo fieri annueret, quo duobus præteritis factum fuerat : idque per Cœnobitas fieri minimè permitteret, in quo, & ſibi & Regi gratificari adnitantur.*

Eique in alia reſpondet Mediceus (pagina 34.) *placere Pontifici. quæ de centum millibus Franchis , de quibus Rex ſcripſerat, circa Decimam , & cautionem de dictis, ac præteritis Decimarum pecunijs per Chriſtianiſſimũ in expeditione Turcica, ſi opus eſſet, impendendis.*

Et in alia iterum pagina 50. *Quandam clauſulam in dictis bullis fuiſſe, quæ Regi non placeret, ac reſponſum eſſe, ea, quæ non placerent, mutari poſſe: Regemque Bullam ſuis Conſiliarijs expendendam dediſſe, quibus Bullæ minimè placuerint , ex quo eſſent præter ſtylum aliarum in illo Regno conceſſarum, remque cum ipſo Rege, eiuſque Matre exagitat decretum fuiſſe, vt ex formulis aliarum per eundem Pontificem conceſſarum fierent:* Vbi addunt, *eos permiſſuros eſſe , illarum Depoſitarium Iacobum Saluiatũ Suæ Maieſtatis nomine conſtitui, quem Pontifex quoque conſtituiſſet, atque obligationem, cautionemque de eiſdem pecunijs in Turcas erogandis per Regem emittendam fore polliceri:* quæ alibi etiam in dictis literis replicantur.

Nam, cum hæ literæ de eiſdem pecunijs agant, quas Guicciardinius eodemmet tempore Regi Chriſtianiſſimo, ex dicto Breui, per Leonem conceſſas fuiſſe retulit, cofirmant etiam, Decimas, & Cruciatam, de quibus in eodem breui loquitur, non in alium finem, quã dicti belli Turcici à Leone vulgatas fuiſſe.

Ex qui-

Ex quibus epiſtolis, non ſolum rei veritas perſpectiſſima eſt; ſed nimia Guicciardinij temeritas, ac leuitas apparent. Si enim, quando Leo, in maximo totius rei Chriſtianæ periculo, Decimam, & Cruciatam conceſſit, opus illi fuit (vt ex his epiſtolis patet) permiſſionem eas per eorum ditiones vulgandi à Regibus, & Principibus obtinere, qui idcirco, & in earum bullis formandis, & per quos magis voluiſſent conclamãdis ſibi omninò morem geri voluerint: nec pecunias ex eis collectas, è ſuis ditionibus extrahi ſiuerint, quas apud Depoſitarios, eorum quoque nomine conſtitutos religioſiſſimè (vt vidimus) in ſolum finem dicti belli Turcici ſeruari voluerint; quid magis leuius, aut à veriſimili alienum, quàm Leonem pro ſola libidine, in ſolumque turpiſſimum finem corradendi pecunias, abſque vlla prorſus Principum permiſſione, totum Chriſtianum orbem liberè exhauſiſſe, idque Principes clauſis oculis permiſiſſe, pecuniaſque illas pro libitò, etiam antequam colligerentur donaſſe, ac liberè conceſſiſſe, in prophanoſque vſus, nemine prorſus animaduertente, conuertiſſe.

Sunt ideo impoſteris nugæ, quæ non ſolùm ex impoſſibilitate ſe produnt, ſed quæ omnium communiter Scriptorum teſtificatione damnantur, cum, non tam illi, quos ſupra notauimus, quàm omnium itidem aliorum conſenſione certiſſimum ſit, Indulgentias, quas Leo anno 1517. vulgauit, & oppugnauit Lutherus, non in alium prorſus finem, aut vſum, quam dicti belli Turcici, à Leone conceſſas, deſtinataſque fuiſſe.

Tamen cum Guicciardinius eam Leonis gloriam ſibi pro viribus attenuandam propoſuerit, in ſuo 14. libro addit expeditionem illam, non ſolidis conſilijs, ſed per ſolam tantummodò ſpeciem agitatam fuiſſe; quaſi

per

per ſolam ſpeciem actum fuiſſe dici poſſit, quod, per quatuor perpetuos annos, & Romæ cum Oratoribus Principum, Militaribuſque viris, & in partibus per Nuncios, & Legatos (maximæ (vt ait) virtutis,& grauitatis viros) actum fuit, vt patet ex ſupranotatis literis Petri Bembi:& quod tandem feliciſſimè concluſum fuiſſe docuimus, tum ex epiſtola prima libri 15. eiuſdem Bembi ad Regem Angliæ, & conuincitur ex ipſo diplomate Leonis, quo in vltima ſeſſione Lateranenſis Concilij dictam expeditionem in Turcas, & Infideles ſolemniter promulgauit, & quam ſpiritualibus, temporalibu'q; ſubſidijs,& deuotiſſimis illis ſupplicationibus quas Guicciardinius retulit, reipſa promouit.

Nec eius gloriæ fructum amiſiſſe dici poſſit, quamuis etiam eodem tempore mortuo Sebymo, eiuſque armorum terrore ceſſante, Principes expeditionem proſequi noluiſſent. Cum enim per Leonem ſtetiſſe dici non poſſit, qui apud Principes rem vrgere nunquam deſtitit, ſua etiam laude fraudari non poteſt.

Polanus poſtea, prçter hçc alia probra congerit in Leonem, quem ſolis humanioribus literis (nempe ſolis prophanis) operam dediſſe, nullamque rerum ad Religionem pertinentium cognitionem habuiſſe, parumque pietati inclinatum fuiſſe criminatur.

Nam quod pertinet ad doctrinam, non deſunt, qui Leonem omnium doctrinarum genere, ſed prçcipuè ſacrarum eruditum fuiſſe teſtantur Ciacconius in eius vita retulit, *Leonem non modo Laurentij patris ope Latinam, Grçcamque literas didiciſſe, ſed Senas miſſum Sacri Iuris ſcientiam comparaſſe*. Et Iouius eundem Laurentium Piſano Gymnaſio per eum poſtea reſtitutio, *cò miſiſ Ioannem Cardinalem, quò in Sacro, Ciuilique Iure, ſub egregijs Doctoribus erudiretur.*

conſequenti errauerint, qui Leonem ſolis nugis Poetarum, Græcorumque fabulis operam dediſſe nimia leuitate dixerunt.

Eius verò pietatis exempla, cum ex monumentis, quæ extant ſint adeo clara, vt probatione non indigeant, nihilominus earum precipua adnotabimus, quibus impudentia Polani reijciatur.

Cardinales enim ex fide Arnoldi Vuionis in lib. 3. Ligni Vitæ cap. 15. ampliſſimam Caſſinenſem Abbatiã Benedictinæ familiæ ſpontanea abdicatione ceſſit, quo Luculentius Eccleſias tui zeli ſpecimen adhuc iuuenis dedit, quod id in ſolum finem Diuini cultus, ac Benedictinæ Inſtitutionis conſeruandæ feciſſe ampliſſimè teſtetur Cardinalis Corteſius hac de re ad eundem Cardinalem Mediceum ſcribens in ſuis epiſtolis familiaribus.

Quam ceſſionem, etiam alia conſimili cumulauit Abbatiam itidem de Morimundo dictã, à ſe reformatam Ciſtercienſibus in Tuſcia pari zelo, ac pietate renunciando, vt ibidem ex Epigraphe legitur. Quæ ceſſiones cum nulla, aut pauca forſam exempla habeant, ſatis conuincunt, an Leo adhuc iuuenis pietati, Religiom, ac Diuino Cultui propenſus eſſet.

Pontifex creatus prçter generale Concilium in Laterano, in quo per quatuor perpetuos annos, nunquam intermiſſa ſolitudine laborauit in abolendo ſchiſmate, Pragmatica ſanctione abroganda Romana Curia reformanda; pietati, ac Religio i Sanctiſſimis decretalibus cauendo, & pace inter Chriſtianos Principes cõſtituenda; eodem tempore conciliatis Principibus, Inducijſque inter eos in quinquennium firmatis, expeditionem in Turcas, & Infideles concluſit, vt diximus, Lauretanæ quoque Virginis ædem regio ſumptu ornauit, templumq; Vaticanum a ſuo prædeceſſore vix inchoatum,

Digitized by Google

2. Indulgentiarum materiam adhuc eo tempore ignotam fuiſſe.

HISTORIA.

PAg.5. Indulgentiæ non benè in præcedentibus ſeculis examinatæ erant: nec dum rectè perpenſum, qua ratione defenderentur, ſuſtentarentur, oppugnarenturue, nec earum eſſentia, & cauſæ benè notæ.

CONFVTATIO.

PAg. tamen 19. contrarium aſſerit, cum de eiſdem loquens dicat, *Adrianum, qui iam vti Theologus, antequam de ea re tractanda vnquam cogitaſſet Lutherus, in illa Materia ſcripſerat, eam doctrinam Apoſtolico decreto, & vti Pontifex ſtatuere volebat, quam prius docuerat, & ſcripſerat.*

Et Cardinalis Caietanus eodem anno, quo contentiones in Germania oriri cæperunt, hanc materiam, iuſſu Leonis enucleauerat, vberemque ea de re tractatum ſcripſerat, vt Auctor docet pag.20. & ab innumeris alijs poſtmodum diffuſiſſimè tractata fuit. Ex quibus quicunq; volet ſatis ſibi facere poterit, circa ea, quæ Polanus hac de re ſubijcit.

HISTORIA.

PAg. 9. Arguebatur negligentiæ Leo, quòd à validis remedijs in tot periculis abſtineret: cumque Regulares præſertim repræhendebant, cum pompis, verſationibus, delicijs, ac Muſicæ deditus, quibus ſuprà modum oblectabatur, res ſupremi ponderis negligeret.

CONFVTATIO.

VErùm, præter confutationes tot eruditiſſimorum eius temporis Theologorum, aliorumque Doctorum: oppoſitioneſque Vniuerſitatum Louanij, & Colo-

niæ, quas Auctor ibidem ſingillatim recenſet, inſuper addit, eodem loco, Leonem ipſummet Lutherum citaſſe, ac monuiſſe: eius cauſam in Germania per Cardinalem Caietanum Legatum Apoſtolicum cognoſci mandaſſe: operam dediſſe, vt Dux Saxoniæ ab eius patrocinio diſcederet, remque apud Cæſarem alioſque Germaniæ Principes officijs ſedulò egiſſe: eundemque Lutherum vinculis tradi curaſſe: ad declarationemque demum *validitatis Indulgentiarum proceſſiſſe*. Quid ergò vltrà oportuit? Præſertim, quòd addat, eas, pro parte Martini, potius contentiones, quàm veras diſcuſſiones fuiſſe: & Martinus illucuſque (vt refert pag. 6. & 8.) perſonam, iudiciumque Pontificis reſeruaſſet? Quarè nonniſi calumniosè inducit Lutherum querentem pag. 11. ſe non vocatum, aut conuictum à Pontifice damnatum fuiſſe. Eoque magis quòd cum a Leone paternè monitum fuiſſe, Carolus quoque Imperator in Comitijs Vormatienſibus (ex Auctoris teſtimonio pag. 14.) perhibuerit.

3. *Diplomatis damnationis Lutheri cenſura.*

HISTORIA.

PAg. 11. De Pontificis diplomate, quo Lutherum damnauit, ait, homines rectè ſentientes admirationem ob plura cæpiſſe. Primùm ob formam, quia Pontifex materiam clauſulis Palatij declaraſſet, quæ diuinæ ſcripturæ verbis exprimenda fuiſſet: præſertim cum clauſulis adeò implicatis, prolixiſque vſus eſſet, vt vix ſenſus elici poſſet.

CONFVTATIO.

DIploma ex verbis, & ſenſibus Eccleſiaſticis contextum eſſe, non ſolùm patet ex eo, ſed ex Auctoriſmet etiam recenſione, cum pag. 10. dicat, *in eo diplomate Pontifex ſuorum verborum initium ad Chriſtum diri-*

dirigens, qui Petrum, eiuſque ſucceſſores ſuæ Eccleſiæ Vicarios reliquit cum ad opem illi in his opportunitatibus ferendam excitat: & à Chriſto ad Petrum conuerſus, illum, ob curam à Saluatore ſuſceptam Eccleſiæ Romanæ ſuo ſanguine conſeruatæ, neceſſitates reſpicere obſecrat, quemadmodum, & Paulum: addens hæreſes, tametſi ad probationes bonorum neceſſarias, in ortu extinguere oportere. Ac denique ſe ad omnes ſanctos Cœli, vniuerſalemque Eccleſiam conuertens, eos apud Deum intercedere precatur, vt Eccleſia à tanta contagione purgetur: quo quidem nil grauius, aut religioſus: At condemnatio ipſa, vt pote res iudicialis, non alijs quàm fori verbis, clauſuliſque concipi potuit, cum huiuſmodi formulæ in Sacra Scriptura non reperiantur.

HISTORIA.

SEcundo addit, Alij vlterius procedentes, conſiderabant, quadraginta duas propoſitiones propoſuiſſe: eaſque velut *hæreticas, ſcandaloſas, falſas, quæque pias aures offendant, ſimpliciumque mentes ſeducant*, damnaſſe; quæ nam earum hæreticæ, quæ ſcandaloſæ, quæ falſæ eſſent, minimè explicando, ſed eo vocabulo (*reſpectiuè*) earum cuique conditionem incertam attribuendo, res magis in dubio erat; idque non cauſam definire, ſed magis controuerſam reddere, eſſe; Atque auctoritatem idcircò, prudentiamque maiorem, ad eam definiendam requiri magis, magiſque idcircò perſpici.

CONFVTATIO.

ITa ſemper in Eccleſia factum fuiſſe, idem Auctor docet, præciſis verbis referens pag. 187. *antiqua Concilia, articulo principali declarato, & hæreſi damnata nunquam ad peculiares propoſitiones deſcendiſſe, ſed hæreticorum libros vniuerſali proſcriptione damnando, pernicioſam omnem doctrinam comprehendiſſe.* Vt per Concilium Conſtantienſe vltimo loco factum fuerat, damnando ſimiliter articu-

los quadraginta quinque Ioannis Vuiglef, alios (quemadmodum Concilium præciſis verbis inquit) *vt hereticos, & à Sanctis Patribus reprobatos, alios vti non catholicos: ſed erroneos, alios vti ſcandaloſos, & blaſphemos quoſdam vti piarum aurium offenſiuos, nonnullos vti temerarios, & ſeditioſos*, minimè itidem explicando, qui nam eorum eſſent hæretici, qui reprobati, qui non catholici, qui erronei, &c.

H I S T O R I A.

TErtio, Ait: Alijs nouum videbatur, tot propoſitiones in diuerſis fidei materijs, Romæ, ſolo Aulicorum conſilio deciſas fuiſſe, alijs Epiſcopis, Vniuerſitatibus, virisque literatis Europæ minimè conſultis.

C O N F V T A T I O.

IN quo oblitum ſe eſſe oſtendit pag. 9. dixiſſe, *Pontificem opinioni communi cedere ſtatuiſſe, ob multas inſtantias Preſulum Germaniæ, & Vniuerſitatum, quæ damnationem per eas factam auctoritati Pontificię innixam volebant, & magis ob aſſiduas importunaſque Regularium Romæ ſollicitationes: Et re ad Congregationem Cardinalium Præſulum, Theologiæ, Canonumque Conſultorum reiecta, fulmen de eorum conſilio in Lutherum intorſiſſe.* Quæ etiam Pontifex in eodem diplomate expreſſit.

Cumque (vt præfatum eſt) Pontifex, vnà cum tota Romana Curia (quæ excellentiorum omnium Nationum conuentus eſt:) tot Vniuerſitates, tot Epiſcopi, Theologi, & Doctores, tum Italiæ, tum Germaniæ in eam damnationem ſuffragijs conſentientibus fuiſſent: atque horum omnium prudentiæ, & auctoritati, Cæſaris iugiter auctoritas, & prudentia acceſſiſſet, qui, vnà cum omnium ſuorum Regnorum, ditionumque Conſiliarijs, & Electoribus, Ordinibus, Principibuſque Imperij, qui Lutherum, eiuſque doctrinam proſcripſerant, ac damnauerant: quemadmodum, & ipſe Rex Angliæ, qui eundem peculiari

ſcrip-

ſcripto c[illegible]tauit, Quænam quæſo, maior auctoritas, & prudentia in toto orbe Chriſtiano, ad id requiri vnquam potuiſſet? Præſertim cum *Lutheri errores aliàs damnati fuiſſent*, vt inquit Leo in præfato ſuo Diplomate, & Guicciardinius in ſua hiſtoria, alijque teſtantur? Et, cum totius idcircò Chriſtianitatis, tàm Eccleſiaſtica, vt patet, quàm ſecularis ſapientia, atque poteſtas in eam damnationem conuenerit; an non Auctoris imprudentia, ac petulantia intolerabilis, omninò eſt, qui, ad viliſſimi vnius homuncionis deliramenta, aliàs damnata, iteratò proſcribenda, maiorem nihilominus prudentiam auctoritatemque neceſſariam fuiſſe affirmare non erubuerit? Quid enim petulantius?

4. *Noua ſemper in Pontificem moliri cogebatur Lutherus.*

HISTORIA.

PAg. 12. Cum Pontificij, per Hieronymum Aleandrum apud Electorem Saxoniæ efficacitèr egiſſent, vt Martinum, vel vinctum Pontifici traderet, vel alia ratione è medio tolli curaret, noua ſemper in Pontificem moliri cogebatur, quò illi Principi, ac populis, cœteriſque alijs ſe bonum ius fouere perſpectum faceret.

CONFVTATIO.

AT quo vnquam pacto id oſtendere potuiſſet, ſi iam, & à Cæſare, & ab Electoribus, & Principibus, Ordinibuſque Imperij, & ab ipſo per conſequens Saxone damnatus fuerat? Non enim Saxo, citrà leſæ maieſtatis crimen, propriæque immò ſententiæ damnationem vllam Martino purgationem admittere potuiſſet. Cumque Saxo, ob eas cauſas, quæ notiſſimæ ſunt, Martino palàm patrocinaretur (vt Auctor, & hic, & pag. 23. & alibi refert: qua de cauſa etiam poſteà per Pontificem anathemate per-

percuſſus fuit;) quid nugacius, quàm Leonem eundem Saxonem, de Luthero è medio tollendo requiſiuiſſe?

5. *Lutheri, de ſua Secta ad Electores Treuerenſem, & Brandeburgenſem reſponſio.*

H I S T O R I A.

PAg. 13. Requiſitus tandem Lutherus ab Electoribus Treuerenſi, ac Brandeburgico quænam in huiuſmodi cauſa remedia adhibenda illi viderentur; ea tantummodò reſpondit, quæ Hæbræis, a Gamaliele propoſita fuerunt nempè, *ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſoluetur: ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere illud.* Quod etiam Pontifici Romano ſufficere debuiſſet, cum omnes certi eſſe deberent (quemadmodum, & ipſe itidem erat) conſilium ſuum, ſi à Deo non eſſet, breui ad nihilum redigendum fore.

C O N F V T A T I O.

CVm idem Lutherus eſſet malum illud, cui remediũ quærebatur, omnino repugnat, duos illos Principes de ratione eiuſdẽ Martini opprimendi, cum eodem cõſuluiſſe. Sed id cõmentus eſt Auctor, vt occaſionẽ ex Gamaliele impiè inferendi, arriperet, Lutheraniſmũ à Deo eſſe.

Sed cum pag. 72. referat, Vergerium ipſimet Luthero dixiſſe, *eius doctrinam euulgatam Sectas innumeras excitaſſe, quarum altera, alteram deteſtetur:* & Lutherana õnium hodie minima ſit (cum ex Illirici teſtimonio, *nullus iam purus Lutheranus inueniatur;*) proculdubiò ex regula Gamalielis, neceſſariò inferendũ eſt, Lutheraniſmũ à Deo non eſſe.

6. *Quæ nouitatibus Origo fuerit.*

H I S T O R I A.

PAg. 17. Nullam aliam nouitatibus originem fuiſſe, quam

quàm abuſus, progreſſu temporis, Paſtorumque incuri a inuectos: ideoque impoſſibile eſſe remedium perturbationibus emanatis afferre, ni abuſus primum inde eradicarentur, vbi originem habuerunt. Subens itidem pag. 19. Ad ianum Pontificem, ante vllam cum Lutheranis tractationem neceſſe eſſe cogitaſſe, omnes abuſus, qui diſſenſionibus cauſam dediſſent præuia reformatione tollere, eaque de re Indulgentias, diſpenſationes in matrimonialibus, regreſſus, & Coadiutorias moderari ſecum animo volutaſſe.

CONFVTATIO.

EX quibus Auctor oſtendere ſatagit, nouitates, & hæreres à Luthero excitatas, ab his originem habuiſſe; quamuis poſteà immemor, eundem Lutherum contrarium aſſerentem inducat, dum eum pag. 73. Vergerio reſpondiſſe refert *ſe, illis temporibus, in nullam rem aliam, quàm in ſolos duntaxat Indulgentiarum abuſus animaduertiſſe:* & certum ſit, hæreticos, (vt infra ore Pij IV. profert pag. 682.) *primùm à Religione apoſtataſſe, & abuſuum poſtmodum prætextum aſſumpſiſſe.*

7. *Quæ Synodus eo tempore deſiderabatur.*

HISTORIA.

PAg. 17. Principes aliique Prouinciarum Moderatores haud admodum ſolliciti, quidnam de doctrinis decernendum eſſet, eam Synodum exoptabant, qua Clericis & Regulares ad ſua principia redigerentur, hac ratione ſperantes, ſe regalibus, iuriſdictionibuſque temporalibus potituros eſſe, quæ adeò amplè in ordinem Eccleſiaſticum, affluenterque tranſierint; Ideoque vanum fore dictitarent, Concilium celebrare, in quo ex ſolo Epiſcoporum, aliorumque Prælatorum ſuffragatione decernendum ſit. Nam, cum ij reformandi eſſent, id mu-

nus

nus alijs demandare neceſſe fore, qui ſe, ſuaque reſpicientes, decipi non poſſent, aut contra commune Chriſtianitatis bonum ſtatuere adigerentur. Illi etiam ex populo, qui rerum humanarum cognitione imbuti erant, auctoritatem Eccleſiaſticam in ordinem redigi cupiebant, nèue adeò miſeræ gentes Decimarum Eleemoſynarum, Indulgentiarumque obtentu premerentur, vel correctionum, Iudiciorumue prætextu, ab Epiſcoporum miniſtris opprimerentur.

CONFVTATIO.

VErùm ſi, & Principes, & Prouinciarum Rectores, & Populi, & Clerici, & Regulares, & Epiſcopi, & Prælati omnes (hoc eſt, vno verbo, omne hominum genus) ea in re aliqua ratione (vt apertiſſimis verbis ait) impliciti erant; quonam pacto ea Synodus haberi potuiſſet, in qua ij tantummodò decernerent, de quorum re minimè ageretur?

Et, ſi Principes non doctrinam orthodoxam in Synodo decerni, ſed propriæ vtilitatis duntaxat commoda per eam moliebantur; quanam veritate dixit Auctor pag. 1. *Concilium deſideratum fuiſſe à pijs hominibus ad antiquam Eccleſiæ concordiam reſtituendam, & à Principibus, ad Eccleſiaſticum Ordinem reformandum promotum fuiſſe*?

8. *Adriani Pontificis Inſtructio.*

HISTORIA.

PAg. 24. Chiericatur Adriani Pontificis Nuncius, non ſolùm in Conuentu Norimbergenſi Breue Pontificis, ſed eius vnà itidẽ Inſtructionẽ exhibuit: in qua inter cætera dicebatur, ſi quis diceret, Lutherum inauditum, indefenſumq; damnatum fuiſſe, & æquum eſſe illum audiri, &c. eidemque Nuncio ingenuè fateri in mandatis dediſſe, illi rerum perturbationi ortum ex hominum, ſed

Sacer-

Sacerdotum, Prælatorumque præſertim peccatis: in eaque Sancta Sede à multis iam annis plurima abhominanda, plurimos in rebus ſpiritualibus abuſus, multoſque in præceptis exceſſus emanaſſe, reſque denique ita in malum mutatas, vt dici poſſit, infirmitatem, à capite ad membra, à Summis Pontificibus ad inferiores Prælatos; adeò vt ne vnus quidem fuerit, qui faceret bonum: cuius mali correctioni ſe expropria propenſione, ac debito, totis viribus incumbere, omnemque operam daturum eſſe, vt præ cæteris Romana Curia, ex qua forſan tantum malum proceſſit, reformetur: demùm monens, vt Principes, & Ordines ad reſpondendum epiſtolis, eũque de rationibus, quibus Lutheranis commodius obuiam iri poſſet, inſtruendum, ſuo nomine vrgeret.

CONFVTATIO

QVÆ ſunt vel Auctoris, vel hæreticorum commenta, quo Pontificem ea faſsum fuiſſe obtrudant. Siquidem adeo abfuit, Nuncium ea ingenuè faſſum fuiſſe (quemadmodum Pontificem illi expreſsè mãdaſſe ſupponit,) vt immò, nec etiam illa concedere vllo modo voluerit; cum in replicatione poſteà per eundem Nuncium Conuentui facta, præciſisſimis verbis dixerit (ex relatione Auctoris pag. 25.) *Lutheri ſequaces, ob Romana Curia ſcandala, & grauamina excuſandos non eſſe. Nam, tametſi illa etiam vera eſſent, non tamen ipſis à Catholica puritate eorum obtentu, recedendum erat.* Siquidem per ea verba (*& ſi illa etiam vera eſſent*) tantum abfuit, vt ingenuè fateretur; vt è contrà immò illa concedere nullo pacto voluerit. Quod cum Nuncius facere proculdubiò non potuiſſet, ſi iam anteà, vel id expreſsè in mandatis, & Inſtructionibus habuiſſet; vel ea mandata, & Inſtructiones illas eidem Conuentui re ipſa exhibuiſſet, impoſtura patentiſſima eſt.

Et, præter id illius confeſſionis commentum, eorundemmet quoque Proteſtantium ore detegitur, quos ex Auctoris recenſione pag. 77. *repetitis rebus cum eodem Adriano, Clemente, & Paulo tractatis, concluſiſſe ait, eundem omnibus ſcopum fuiſſe*. Nam, cum pag: 29. dicat, horum omnium Pontificum ſcopum fuiſſe, *nunquam proprios & Curiæ defectus fateri, propriamque exiſtimationem, auctoritatemque ſeruare* (vt etiam pag: 28. & alibi refert;) an non his omninò repugnat, Adrianum illam confeſſionem feciſſe, per quam Romanæ Curiæ, ſuoſque per conſequens detectus, liberè fatebatur?

Et, cum ex dictis replicationibus, ab eodem Nuncio Conuentui Norimbergenſi factis (quas pag: 26. recenſet) expreſsè ſupponat, eundem Nuncium, id ſibi potiſſimùm propoſuiſſe, vt auctoritati Pontificis, Romanæque Curiæ indemnitati, atque exiſtimationi pro viribus conſuleret: nec dictos abuſus, & ſcandala concedere, aut fateri vllo pacto voluerit, & in reliquo nonniſi ea procuraret, quæ in rem Romanam eſſent; nonnè pariter repugnat, non modò Nuncium eam Inſtructionem exhibuiſſe, ex qua conuinci irrefragabiliter potuiſſet; Sed, ſi illam verè exhibuit, non potuiſſe vllo pacto in ea illius confeſſionis faciendæ mandatum includi? Et, cum à veriſimili penitus ſit alienum, miniſtros arcanas ſui Principis Inſtructiones edere: & Nuncium præſertim Apoſtolicum ea hæreticis illo potiſſimùm tẽpore exhibuiſſe, quo ipſi omnia Romanæ Eccleſiæ calumniabantur; quis non id Auctoris commentum eſſe non manu tangit, quò eam confeſſionem per Adrianum factam fuiſſe obtrudat? Nã, an Nuncius potuiſſet, in replicatione, non ea fateri, quæ ex ipſamet Inſtructionis exhibitione palam profeſſus fuiſſet?

Inſtructionis verò illius falſa ſuppoſitio, ex eo etiam perſpectiſſima eſt; quòd Adrianum in illa dixiſſe referat, *Lutherum inauditum, indefenſumque damnatum fuiſſe*. Nam

quo

quo pacto id dici per Pontificem potuiſſet, ſi vbique iam vulgatiſſimum erat, & ex ipſa quinetiam Bulla Leonis X. conſtabat, Lutherum pluries per eundem Leonem *citatum, monitumque* fuiſſe? &, ſi eius cauſa iam coram Cardinali Caietano tunc temporis Germaniæ Legato, ipſomet Luthero præſente, ac ſe acerrimè defendente, palam agitata fuerat? Et, ſi eadem cauſa Vormatiæ in Cõuentu coram Cæſare, Electoribus, & Principibus, Ordinibuſque Imperij, paritèr (vt recenſuit) pleniſſimè diſcuſſa fuerat?

Cuius falſitas, ac nugacitas ex eo demùm conuincitur, quòd licèt apertiſſimè fateatur pag. 18. & 19. *Adrianum ſyncerum, & ab artibus, occultiſque conſilijs abhorrentem*, nec Romæ vllo tempore *diuerſatum, & Cardinalibus, & Curia ignotum omninò fuiſſe, eorumque mores improbaſſe: ſeſeque probitatis exemplar, per omnem ſuæ vitæ curriculum præbuiſſe*; cum huius generis pluribus, quæ addit pag. 28. nihilominus in eum quoque veneratum calamum perſtringens, ſibi mentiri, & propriam leuitatem declarare non erubuerit, ſubdens, *malè in Romanam Curiam affectos, candorem illum deteriorem in partem accepiſſe, dicendo, illam conſuetam perpetrandi malum, remediumque pollicendi, artem eſſe, citrà vllum omninò propoſitum ea opere implendi, ad incautos decipiendos, temporiſque beneficio fruendum; interimque conueniendo Principes, ita ſe iuſtè feciſſe oſtendere, quò melius ſibi populos ſubdere poſſint, & ſuam eis oppugnandæ voluntatis, & criminandi defectus facultatem adimavit*. Quæ nonniſi eius inconſtantiæ, ac leuitatis ſunt argumenta. Nam quid nugacius, aut leuius, quàm affirmare, aliquem errata propria, malorum cauſam eſſe, in eum finem fateri, vt ſeſe poſteà *iuſtè feciſſe* oſtendat: & ad facultatem populis adimendam ſuos defectus criminandi, non modo ſe *omnium malorum auctorem eſſe; ſed in eis perſiſtere inſuper velle* profiteri: quæ ſunt ineptiæ ridiculæ, ac pueriles?

 Quo-

Quocircà, quemadmodum Polanum eam Adriani confeſſionem Chiericato Epiſcopo Fabiani eius Nuncio falsò, ac malignè aſcripſiſſe ex dictis indubitanter concluditur; ſic, & quæ eiuſdem Adriani, & Cardinalium Caietani, Puccij, & Soderinij ore itidem profert pag. 19. & ſequentibus, vtpotè eiuſdem farinæ eis parimodo falsò tribuiſſe, ex eo ſolo poteſt aſſumi, quòd illa *ex quodam eiuſdem Nuncij diario decerpſiſſe* dicat pag. 23. cum in eũdem finem dirigantur.

9. Principum ſecularium Germaniæ aduerſus Romanam Curiam, Ordinemq; Eccleſiaſticum querela.

HISTORIA.

PAg. 27. Principes ſeculares eis de rebus, quibus per Romanam Curiam, totumq; ordinem Eccleſiaſticũ grauari obtendebant, longam inſtituerunt querelam, eã ad centum capita reducentes, quam Centum grauamina idcirco appellarunt. Quæ cum Nuncius, cui communicata fuerant antequam in ſcriptis redigerentur, diſceſſiſſet, ad Pontificem, vnà cum proteſtatione miſerunt, ſe ea amplius ferre non poſſe, aut velle: eiſque ſeſe omni induſtria, quò commodius poſſent, ob eorum iniquitatem, eximere ex neceſſitate cogerentur.

CONFVTATIO.

VT oſtendat hęc centum grauamina Romam ad Pontificem miſſa fuiſſe, ait, ea miſſa eſſe *antè Conuentus receſſum*, qui contigit 6. Martij, vt inquit hac eadem pag. 27. Sed ſubdens pag. 28. *cum Curia tali Pontifice digna non eſſet, voluit Deus, eum è viuis recedere ſtatim ferè acceptâ ſui Nuncij è Norimbergio relatione; nam 13. Septembris ſuorum annorum curſum expleuit*, ex ſe impoſturam prodit.

dit. Nam, ſi Nuncius, tempore mortis Adriani, Norimbergæ erat, non ergo diſceſſerat antè receſſum Conuentus; vel ſaltem multo tẽpore à dicto receſſu diſceſſerat. Siquidem, nec relationem Pontifici poſt ſex menſes feciſſet, ſi antè ſextam Martij diſceſſiſſet, nec Clemens, qui Adriano ſucceſſit, *propoſitiones ab eodem Adriano factas, reſponſioneſque illi datas diſſimulare, vnquam potuiſſet*, vt diſſimulaſſe ait pag. 29. Et aperit impoſturam, dum ait, Proteſtantes ea miſiſſe, *quia Nuncius, cui communicata fuerant, antequam redigerentur in ſcriptis, diſceſſiſſet*. Quo enim pacto Nuncio communicari potuerant, ſi nondum in ſcriptis redacta erant?

Sed quod pertinet ad centum illa grauamina, ea nonniſi leuiſſima: immò potius præſumpta eſſe paret ex Auctore ipſo. Subdit enim ead. pag. 27. longum eſſet ea ſingillatim recenſere; ſed in ſumma querebantur de ſolutione ob diſpenſationes, & abſolutiones, & de pecunijs, quæ Indulgentiarum nomine colligebantur.

Nam diſpenſationes, & Indulgentiæ neminem grauant, niſi volentes: de abſolutionibus verò, ſicut nil prorſus conſtitutum vel ab Eccleſia, vel à ſummis Pontificibus habemus; ſic de Sacramentis omnibus gratis adminiſtrandis, multis ſanctionibus cautum eſſe non ignoramus.

II. Et de litibus, quæ Romam aduocabantur. Quod ſeculares non grauat, cum cauſæ merè ſeculares Romam non aduocentur.

III. Et de reſeruationibus beneficiorum, alijſq; Commendarum, & annatarum abuſibus. De quibus nil prorſus ad Laicos: & Annatæ inſuper iam, ex Auctore pag. 25. Germaniæ, ex Pontificis indulto, conceſſæ eſſent.

IV. Et de Eccleſiaſticorum in delictis exemptionibus. De quo ſicut nil prorſus cautum reperitur; ſic innumeros Canones, ſanctioneſq; Apoſtolicas, contrà Clericos delinquentes, habemus.

V. Et

V. Et de excommunicationibus,& Interdictis iniuſtis. Quæ executiones, ſi legitimæ ſint, iniuſtæ dici non poſſunt, nec ideo grauant: & iniuſtæ non lædunt.

VI. Et de cauſis Laicorum, varijs prætextibus ad Eccleſiaſticum forum translatis. Cum immò hodiè nullum maius Eccleſiaſticis negocium ſit, quàm ſuam Immunitatem, aduerſus vſurpationes Laicorum, tueri.

VII. Et de magnis ſumptibus in Eccleſiarum, & Cœmeteriorum conſecrationibus. Quæ non pertinent ad Laicos.

VIII. Et de pœnitentijs pecuniarijs. Quæ vox nunquã audita eſt in Eccleſia.

IX. Et demum de ſumptibus ob Sacramenta, & ſepulturam. Quæ immò leges Eccleſiaſticæ prohibent. & expenſæ pro ſepultura ſint loco Decimarum, vt notum eſt.

Ex quibus querelis omninò friuolis; immò de rebus ad Laicos non pertinentibus,quiſque ex ſe videat,quàm malignè, ac leuiter concludant, huiuſmodi grauamina ad tria præcipue capita redigi; ad populos ſcilicet ſeruitute premendos, eoſque pecunijs exhauriendos, Magiſtratumque ſibi ius addicendum, cum ex eis, (vt patet) nil tale prorſus deduci poſſit. Et cum hæc grauamina ſint omnium in Romanam Curiam, atque Eccleſiaſticos querelarum prætextus; nemo non videt, quibus leuiſſimis fundamentis immò nugis, Hæreticorum in Romanã Curiam Ordinemq; Eccleſiaſticum innitantur quærelę.

10. *Ad euitandum Concilium Clementis VII. conſilium.*

HISTORIA.

PAg. 29. Clemens VII. ad Pontificatum aſſumptus, illicò animum rebus Germanicis adiecit: & vti in negocijs maximè verſatus perſpexit, Adrianum, præter inuete-

inueteratum ſapientiorum Pontificum morem, nimis facilè, non tàm errata Curiæ faſſum fuiſſe, quàm reformationem promiſiſſe: & in petendo Germaniæ, qua ratione eius Regni contentionibus conſuli poſſet, nimis abiectû. Nam ita aditum petitioni Concilij aperuerat; quæ magni momenti eſſet, ea præſertim conditione, vt in Germania celebraretur. Quare Principes nimium animo elati, centum grauamina (ſcripturam ordini Eccleſiaſtico Germaniæ, eoque magis Romanæ Curiæ ignominioſam) non tam ad eum mittere, quàm typis inſuper euulgare veriti non fuerint: rebuſque benè penſitatis, neceſſe eſſe decreuiſſe, ſatis aliqua ex parte Germaniæ facere, ea tamen moderatione adhibita, qua nec eius auctoritas, nec commoda Curiæ in diſcrimen venirent. Cumque in centum grauaminibus, licèt multa reſpicerent Curiam, ea tamen maiori ex parte ad Epiſcopos, Miniſtros, Curiones, alioſque Germaniæ Clericos pertinere animaduertiſſet; quibus in ordinem redactis ſperaret Germaniæ populos, in eo quod ad rem Romanam pertinet, facilè acquieturos, eademque reformatione à Concilij tractatione auertendos eſſe, decreuit Legatum prudentia, atque auctoritate præditum, illico ad Conuentum Norimbergæ, intrà tres menſes celebrandum, allegare; ita tamen inſtructum, vt eiſdem ſemitis inſiſtens, propoſitiones Adriano factas, reſponſioneſque illi datas ſcire diſſimularet, quò, in tractationibus faciendis, quicquid detrimenti eſſet, vitaret, & velut in re integra procederet.

CONFVTATIO.

HÆc omnia commentitia eſſe, ex eo facilè perſpicitur, quòd horum poſteà immemor, faciat Clementem, non ſolùm errata Curiæ pariter publicè fateri, & reformationem polliceri; Sed eodem modo cum Germanis de remedio conſulere, dicens pag. 36. *Clementem in*

in Conſiſtorio cuncta infortunia ira diuina tribuiſſe, ob Chriſtianorum peccata exagitata: & omnia ab Eccleſiaſtici Ordinis deformitate ortum habuiſſe, faſſum fuiſſe, ad eamque placandam, neceſſarium eſſe oſtendiſſe à Domo Dei (ita dixit) incipere, eaque in re exemplum in ſeipſo dare velle: Et pag. 53. *Cęſarem, de conſilio Cardinalis Campeggij, Legati Clementis, confeſſionis Auguſtanę confutationem perlegi iuſſiſſe, in qua fatebatur Cęſar nonnulla in Eccleſia Romana emendatione digna eſſe, quibus prouidendum eſſe pollicebatur.* Nam proculdubiò, poſito id Cæſarem *de conſilio Campeggij* feciſſe, quem *ex Pontificis Inſtructione* egiſſe ſupponit, vtique Clemens eadem, quę Adrianus; tùm Romæ; tùm in Germania, per ſuum Nuncium apertiſſimè faſſus fuit, eandemque omninò reformationis ſponſionem emiſit.

Quem etiam a Germanis conſilium petentem inducit, referens pag.29. eundem Legatum in Conuentu dixiſſe, *ſe ad inquirendam rationem morbi ſanandi à Pontifice miſſum fuiſſe, nec mentem Pontificis eſſe ipſis quicquam præſcribere, vel ab eis ſibi velle præſcribi, ſed ſimul de remedijs opportunis conſulere, eóſque de optima Pontificis voluntate certos feciſſe, à quo quæcunque agendi, quę ad hunc finem tendiſſent, pleniſſimam poteſtatem afferret: ad ipſos verò pertinere viam indicare, qui, & perſonarum conditionem, & regionis mores noniſſent;* cum ex his Clementem itidem cõſilium à Germanis petijſſe doceat, (quemadmodum etiã Fontenus ait, vt mox notabimus) cum quibus de remedio conſulebat, & à quibus inſtrui flagitabat: Et, cum omninò repugnet, Clementem ea feciſſe, quæ repræhendebat in Adriano: & Adrianum illa egiſſe, quæ auctor ſupponit; quis ab his repugnantijs non videat hæc ſeſe inuicem deſtruere, & nonniſi auctoris per conſequens commenta eſſe?

Quod verò ad eam Clementis legationem pertinet, Fõtenus eorum ferè temporum Author Transmontanus in libro 7. ſuæ Hiſtoriæ Catholicæ ait, Clementem *non*

aliud

aliud ſibi ea legatione propoſuiſſe, quàm Germaniæ pro viribus opitulari, ea de re conſulendo cum ipſis Germanis, & eius reformationis remedia, quæ illa tempora ferrent, adhibendo. Nam, ſi verum eſt (vt ait in hoc eodem loco Polanus) Clementem Adrianum repræhendiſſe, quia cum Germanis conſulendo, Concilij petitionem in caput ſuum accerſiſſet, profectò ipſe pariter cum Germanis conſulendo, eandem Concilij petitionem potius accerſebat. Quare non poteſt dici (vt etiam infra obijcit pag. 32.) Clementem ex ea reformatione, voluiſſe Germanos à Concilij tractatione diuertere; ſed ea ratione, qua ſola illo tempore poterat, opitulari Germaniæ. Si enim eo tempore, vt ait pagina 33. Carolus Imperator, & Rex Chriſtianiſſimus, qui Chriſtianitatis arbitri erant, ſæuiſſima inter ſe bella gerebant, & Turca, infeſto milite imminebat Germaniæ, non ſolùm Concilium haberi non poterat; ſed nec de illo, etiam habendo cogitari, nedum tractari, ni priùs illi Principes reconciliati eſſent, & Turca repulſus: ac proinde patet non eam auertendi à ſynodo mentem eſſe potuiſſe Clementi; præſertim, quòd, eum certum fuiſſe affirmet pag. 38. *Proteſtantes de Concilio per ſpeciem tantummodò agere.* Nam ſi id conſtanter credebat, ad quid tanta celeritate Legatum illùc allegare, cum non in eo ſtatu res eſſent, vt Concilium celebrari poſſet?

11. *Reformationis in Germania per Pontificem facta, cenſura.*

HISTORIA.

PAg. 32. Cum Auctor nullam rem Pontificis immunē à cenſura velit, facta per Cardinalem Campeggium reformatione pro Clero Germaniæ, ait, obiectum aduerſus eam fuiſſe: primùm, rebus magni momenti omiſſis, perinde ac ſi eis nil incommodi eſſet, minimis, prouiſum

fuiſſe: licèt parum Germaniæ ex abuſibus Cleri inferioris incommodi eſſe, & grauia, ex vſurpationibus Epiſcoporum, & Prælatorum, grauiſſima verò ex Romana Curia prouenirent, & nihilominus, perinde ac ſi ea velut in primitiua Eccleſia conſtituta eſſent, præteriri: in eis verò, quæ ad Clericos inferiores pertinent, non de abuſibus maioribus, ſed de minoribus peragi, quod alios approbare propèmodum eſſet, & qui etiam repræhendebantur, abſque veris remedijs relinquerentur, eos duntaxat notando, & medicinam neceſſariam ad illos ſanandos, nullatenus applicando.

CONFVTATIO.

QVæ, ex conſueta Polani malignitate produnt, cum Fontenus (vt paulò ante diximus) perhibeat, *Clementem Germaniæ pro viribus opitulari voluiſſe*, & *ea reformationis remedia, quæ tempora illa ferebant, adhibuiſſe*: & ſupra itidem dixerit Auctor, *reformationem generalem in ſolo Concilio generali fieri potuiſſe*, de quo ideo celebrando agebatur, vt pag. 31: & de remedijs pro reformatione factis, ipſemet dixerit, *ad eorum decretorum obſeruantiam, Conciliorum Diœceſanorum quolibet anno celebrationem edictam ex precepto fuiſſe: Epiſcopiſque facultatem datam, vt in tranſgreſſores brachij ſecularis opem implorarent*. Nam quod maius, aut efficacius remedium?

12. *Romani Imperij poſſeſſionem per Pontificem vſurpatam fuiſſe.*

HISTORIA

PAg. 35. Carolus Romæ armatus, ad ditionem Eccleſiaſticam occupandam, Romanique Imperij poſſeſſionem, ſuorum prædeceſſorum artibus occupatam, vindi-

vindicandam, ante oculos Pontifici obuerſabatur.

CONFVTATIO.

SEd qua arte, quæſo, potuiſſet Romani Imperij poſſeſio per Pontifices occupari? Qua enim arte ſic potuiſſent Imperatorum oculos perſtringere, vt ſeſe Romanæ Vrbis poſſeſſione, hoc eſt ipſa Imperij Sede, & capite, abdicarent; adeò vt nunquam per tot ſecula, de aſſerta illa vſurpatione verba fecerint: vel de antiqua poſſeſſione recuperanda cogitarent? Et quibus ſe viribus in eam poſſeſſionem intruſiſſent: vel eam tueri per tot ſæcula potuiſſent, ſi, & pauciſſimi, & inermes Clerici eis temporibus erant, & Romani è contrà innumeri, ac viribus, armiſque potentiſſimi? An enim à paucis, illiſque inermibus ſe expoliari vnquam armati ac potentiſſimi ſiuiſſent; ſi illi pauci, & inermes reuera domini non fuiſſent: vel ditionem illam re ipſa vſurpaſſent?

Et cum nulla humana arte fieri potuiſſe credibile ſit, vt ſe Cæſares Imperij ſede, Romanaque poſſeſſione abdicarint: nec vi armata per Pontifices eiecti fuerint; quis ergò ex conſequenti non videat, vera eſſe, quæ, ea de re, & antiquiſſimæ traditionis fide, vbique, & paſſim ſcriptorum omnium teſtificatione perhibentur? ſed, his ommiſſis, indubitatum inſuper eſt, Carolum Magnum, qui eam poſſeſſionem a Longobardis recuperauit, illam Pontifici, vel reſtituiſſe, vel ſaltem donaſſe: nec potuiſſe ideò Clementem vereri, ne vti illegitimus detentor, ab antiquiſſima illa poſſeſſione deijceretur. Præſertim, quia ſpontanea Romani populi ſubiectio, tempore Leonis Iſaurici, (qui ius Imperij ob hæreſim amiſerat) præceſſiſſet, vt notiſſimum eſt, quæ de poſſeſſione illa omnem penitus ambiguitatem adimit.

Eoque magis, quia antiquum ius Romanorum ſit penitus extinctum. Cum namque Romani *per ſolam vim, &*

impreſſionem, & ſine vllo colore iuſtitiæ, Imperium acquiſiuiſſent (vt dicunt Panormitanus, Cardinalis Bertrãdus, & alij à Caſſaneo, & Caſtaldo relati; ita, per vim, & impreſſionem eiecti, illud itidem amiſerunt, cum iiſdem modis amittatur, quibus acquiritur. Et iam per ceſſionem Auguſtuli, ſeu Momilli vltimi in occidente Imperatoris, Imperium extinctum erat. Cumque Pontifex nouum poſteà in occidente Imperium, in Carolo magno creaſſet (à qua nouà creatione hodierni Imperatores cauſam habent.) quod nam ius Carolus V. *in antiquo Romano Imperio* prætendere potuiſſet, quod iam extinctum erat? vel quo iure potuiſſet Pontificem expoliare, à quo nouũ hoc Imperium, & Imperatores totum ſuum ius, & auctoritatem, ipſamque creationem agnoſcunt? Nullum enim ius creaturæ aduerſus creatorem omninò competit, aut prætendere poteſt.

13. *Pontificem armorum comminationibus Cæſarem perterruiſſe.*

HISTORIA.

PAg. 35. Pontifex ad Cæſarem ſcribens, eum, non pœnarum ſpiritualium minis, (vt Pontificibus mos eſt;) ſed comminationibus armorum terruit: & pag. itidem 37. ſubdit: Die XI. Septembris Cæſar Epiſtolam apologeticam Pontifici ſcripſit, oſtendens in eius exordio, rationem, qua Pontifex ageret, à veri Pontificis munere diſcrepare, nec filiali eius in Sedem Apoſtolicam obſeruantiæ reſpondere. Nam Pontificem, ni deſiſteret, arma in eum ſumpturum eſſe, minitatum fuiſſe, dixit.

CONFVTATIO

AN epiſtola hæc verè his verbis, quibus ab Auctore deſcri-

deſcribitur, à Cæſare concepta eſſet, ambigi poteſt, cum ea, quæ continet, à veritate ſummoperè aliena fuiſſe, ex eodemmet Auctore liqueat. Nam, ſi vera ſunt, quæ Auctor eadem pag. 35. recenſet, nempè, *& in Hiſpania, & Neapoli, leges libertati Eccleſiaſticæ aduerſas, per Cæſarem promulgatas fuiſſe*: eundemque *Neapolitanis ad Romanam Curiam* (eorumque idcircò Principem ſupremum) *recurſum, aditumque prohibuiſſe*: & Pontificem *à Columnenſibus, aliiſque* (vt addit pag. 36.) *partium Imperialium ſequacibus, Proregis Neapolitani ope ſuffultis, variis quotidie oppoſitionibus vexatum fuiſſe*; profectò (his per Auctorem poſitis,) quo pacto potuiſſet Cæſar filialem ſuam in Sedem Apoſtolicam obſeruantiam iactare? præſertim cum pag. 39. 40. & 41. & alibi, Pontificem per Cæſarē itidem ſpretum fuiſſe deſcribat, recenſendo; tum eius *ad Concilium appellationem* (maximis, grauiſſimiſque Sanctionibus à Pio, & Iulio ſecundis vetitam;) *tùm Palatii Apoſtolici, & Vaticani direptiones*, per Columnenſes, non ſine eiuſdem Clementis periculo factas: tum tractatus conuocandi, ex auctoritate propria, *Spine Concilium: Romanęque demum Vrbis inuaſionem, cum ipſiuſmet Pontificis detentione*, (quæ omnia Polanus Cæſari, eiuſque Miniſtris aſcribit:) quæque auctores maximis proculdubiò pœnis cenſuriſque implicant. Et, cum Cæſar ideò ſic ſpiritualia Pontificis arma paruifaceret; nonnè Clementi, directo Regni Neapolitani Domino, licuit ſuum ſubditum temporalium armorum commiuatione reprimere, ac deterrere?

Et aſſumi etiam poteſt ex his, quàm ineptè Auctor Cæſarem, in eadem epiſtola, profitentem inducat, ſe optimam in ſuis actionibus mentem geſſiſſe, & neceſſitatem ea peragendi habuiſſe: & an vere nil magis, quàm publicam quietem, & pacem vniuerſalem, iuſtamque libertatem Italiæ concupierit, vt dixit.

Et quo etiam fundamento addere, in eadem epiſtola, potuiſ-

potuiſſet, Clementem, ſi ea illi pariter cordi eſſent, debuiſſe arma deponere, & Petri gladium in vagina condere, cum, illo fundamento iacto, facilè eſſet ſuper eo pacem ædificare: operamque dare, vt Lutheranorum, aliorumque hæreticorum errores corrigerentur? Præſertim, quia hæc tutò à Clemente eo tempore fieri non potuiſſent, cum, ex ipſa aſſertione Polani, periculum adhuc euidens eſſet, ex quo (vt ait pag. 33.) *Italia, & Pontificatus, ſine vlla defenſione, in ſolo Cæſaris arbitrio remanſiſſent*: ex qua etiam neceſſitate, ad armorum præſidium eidem cōfugiendum fuit. Si etenim arma, ſine conſilio depoſuiſſet; proculdubio ſibi pro pace perniciem acceleraſſet, vt experientia docuit, cum anno 1527. ea inconſultè depoſuit. Ex quibus, cum ſatis aperiat Author, quàm neceſſariò Clemens ſeſe armis tueretur: & quàm vanæ eſſent querelæ, quas, ea de re, Cæſari aſcribit; quænam eſſent illæ epiſtolæ, quas ad Pontificem, & Cardinales per Cæſarem miſſas fuiſſe deſcribit, apertiſſimum facit.

Vt etiam ex eis, quæ idemmet Polanus in eundem Cęſarem ſubdit, ſatis, ſuperque comprobat, addens pag. 39. *homines, qui, licèt rerum momenta expendunt, non admodum tamen ingenio pollent, & ex aliorum exemplis, ſed magnorum præcipuè virorum ſe formare aſſueſcunt; quique ex ijs, quæ Cæſar, & Vormatiæ, & alibi, Pontificiæ dignitatis aſſertor, in Lutheranos fecerat (eum Pontificis partibus ex religione, & conſcientia adhęrere cenſebant, illo in contrarium verſo, ſummam offenſionem cępiſſe; ſed ex eo maximè, cum palam aperuiſſet, ſe iuſtis Germanię querelis aures occluſiſſe, vt rem gratam Pontifici faceret: & rerum prudentes in eam opinionem iuiſſe, Cæſarem prauis innixum conſilijs, tanto euulgato arcano, occaſionem dediſſe credendi, obſeruantiam per eum Pontifici delatam, imperandi artem, Religionis fuco illitam fuiſſe.* Et pag: 42. (cum direptæ Vrbis Romæ) & detenti Pontificis nuncio allato, ſolemnes ludos, & ſpectacula omitti iuſſit, quæ, ob recentem ſibi natum filium,

lium, Valledoleti celebrabantur, dicens, *Cæſarem, illis ſignificationibus, maiorem Religionis, ac pietatis fidem mundo facturum fuiſſe, ſi vnà Pontificem ſaltem libertati reſtitui mandaſſet. Sed, cum totos adhuc ſex menſes captiuus detineretur, omnes etiam facilè ſenſiße, quàm à fuco veritas differret.* Quemadmodum, & pag. 76. & alibi pluries, Carolum, non in aliud Concilium ſibi vſui eſſe voluiſſe, addit, quàm, *vt Germaniam ſibi penitùs ſubderet, ſuiſque Imperium hæreditaria ſucceſſione tranſmitteret.* Et 102. fœdus ab eo initum cum Rege Angliæ, certiſſimum indicium mundo fuiſſe, *nullum Pontifici, per eum ſpiritualem, nec temporalem honorem deferri: atque immò eius paruipendendæ auctoritatis alijs exemplum dediſſe.*

Et nihilominus, tametſi, vt vidimus, Carolum Imperatorem ab ea religione, ac pietate omninò alienum deſcribat, quam in illis epiſtolis iactaſſe recenſet: nec alia de cauſa Concilium procuraſſe affirmet, quàm vt priuatæ ſuæ tantummodò rei conſuleret; tamen, his poſtmodum oblitus, ſibi contrarius, cum Carolus religionis libertatem Proteſtantibus dediſſet, illum, non niſi religionem præoculis ſemper habuiſſe: & in eum tantùm finem Concilium procuraſſe aſſeuerantiſſimè teſtatur pag. 61. dicens: *quis illum accuſare poterit ſi cum per vndecim annos, quauis ratione, religionis diſſenſionibus mederi fruſtrà tentaſſet, experturus quidnam etiam Concilij ope fieri poſſet, pacem interim Germanis dederit, ne illam funditus euerſam videret?*

Quare Polanus tunc Cæſarem vti pium, ac religioſum celebrat, laudibuſque effert, cum Proteſtantibus morem gerit.

14. ***Clemens à Concilio & quibus de cauſis alienus eſſet.***

HISTORIA.

PAg. 40. Clemens, à nomine Concilij maximè abhor-

Et, præter id illius confeſſionis commentum, eorundemmet quoque Proteſtantium ore detegitur, quos ex Auctoris recenſione pag. 77. *repetitis rebus cum eodem Adriano, Clemente, & Paulo tractatis, concluſiſſe ait, eundem omnibus ſcopum fuiſſe*. Nam, cum pag; 29. dicat, horum omnium Pontificum ſcopum fuiſſe, *nunquam proprios, & Curiæ defectus fateri, propriamque exiſtimationem, auctoritatemque ſeruare* (vt etiam pag:28. & alibi refert;) an non his omninò repugnat, Adrianum illam confeſſionem feciſſe, per quam Romanæ Curiæ, ſuoſque per conſequens defectus, liberè fatebatur?

Et, cum ex dictis replicationibus, ab eodem Nuncio Conuentui Norimbergenſi factis (quas pag: 26. recenſet) expreſsè ſupponat, eundem Nuncium, id ſibi potiſſimùm propoſuiſſe, vt auctoritati Pontificis, Romanæque Curiæ indemnitati, atque exiſtimationi pro viribus conſuleret: nec dictos abuſus, & ſcandala concedere, aut fateri vllo pacto voluerit; & in reliquo nonniſi ea procuraret, quæ in rem Romanam eſſent; nonnè pariter repugnat, non modò Nuncium eam Inſtructionem exhibuiſſe, ex qua conuinci irrefragabiliter potuiſſet; Sed, ſi illam verè exhibuit, non potuiſſe vllo pacto in ea illius confeſſionis faciendæ mandatum includi? Et, cum à veriſimili penitus ſit alienum, miniſtros arcanas ſui Principis Inſtructiones edere: & Nuncium præſertim Apoſtolicum ea hæreticis illo potiſſimùm tēpore exhibuiſſe, quo ipſi omnia Romanæ Eccleſiæ calumniabantur; quis non id Auctoris commentum eſſe non manu tangit, quò eam confeſſionem per Adrianum factam fuiſſe obtrudat? Nā, an Nuncius potuiſſet, in replicatione, non ea fateri, quæ ex ipſamet Inſtructionis exhibitione palam profeſſus fuiſſet?

Inſtructionis verò illius falſa ſuppoſitio, ex eo etiam perſpectiſſima eſt; quòd Adrianum in illa dixiſſe referat, *Lutherum inauditum, indefenſumque damnatum fuiſſe*. Nam

quo

Digitized by Google

quo pacto id dici per Pontificem potuiſſet, ſi vbique iam vulgatiſſimum erat, & ex ipſa quinetiam Bulla Leonis X. conſtabat, Lutherum pluries per eundem Leonem *citatum, monitumque* fuiſſe? & ſi eius cauſa iam coram Cardinali Caietano tunc temporis Germaniæ Legato, ipſomet Luthero præſente, ac ſe acerrimè defendente, palam agitata fuerat? Et, ſi eadem cauſa Vormatiæ in Cõuentu coram Cæſare, Electoribus, & Principibus, Ordinibuſque Imperij, paritèr (vt recenſuit) pleniſſimè diſcuſſa fuerat?

Cuius falſitas, ac nugacitas ex eo demùm conuincitur, quòd licèt apertiſſimè fateatur pag. 18. & 19. *Adrianum ſyncerum, & ab artibus, occultiſque conſilijs abhorrentem*, nec Romæ vllo tempore *diuerſatum, & Cardinalibus, & Curiæ ignotum omninò fuiſſe, eorumque mores improbaſſe: ſeſeque probitatis exemplar, per omnem ſuæ vitæ curriculum præbuiße*; cum huius generis pluribus, quæ addit pag. 28. nihilominus in eum quoque veneratum calamum perſtringens, ſibi mentiri, & propriam leuitatem declarare non erubuerit, ſubdens, *malè in Romanam Curiam affectos, candorem illum deteriorem in partem accepiſſe, dicendo, illam conſuetam perpetrandi malum, remediumque pollicendi, artem eſſe, citrà vllum omninò propoſitum ea opere implendi, ad incautos decipiendos, temporiſque beneficio fruendum; interimque conueniendo Principes, ita ſe iuſtè feciſſe oſtendere, quò melius ſibi populos ſubdere poſſint, & ſuam eis oppugnandæ voluntatis, & criminandi defectus facultatem adimant*. Quæ nonniſi eius inconſtantiæ, ac leuitatis ſunt argumenta. Nam quid nugacius, aut leuius, quàm affirmare, aliquem errata propria, malorum cauſam eſſe, in eum finem fateri, vt ſeſe poſteà *iuſtè feciſſe* oſtendat: & ad facultatem populis adimendam ſuos defectus criminandi, non modo ſe *omnium malorum auctorem eſſe; ſed in eis perſiſtere inſuper velle* profiteri: quæ ſunt ineptiæ ridiculæ, ac pueriles?

Quocircà, quemadmodum Polanum eam Adriani confeſſionem Chiericato Epiſcopo Fabiani eius Nuncio falsò, ac malignè aſcripſiſſe ex dictis indubitanter concluditur; ſic, & quæ eiuſdem Adriani, & Cardinalium Caietani, Puccij, & Soderinij ore itidem profert pag. 19. & ſequentibus, vtpotè eiuſdem farinæ eis parimodo falsò tribuiſſe, ex eo ſolo poteſt aſſumi, quòd illa *ex quodam eiuſdem Nuncij diario decerpſiſſe* dicat pag. 23. cum in eũdem finem dirigantur.

9. Principum ſecularium Germaniæ aduerſus Romanam Curiam, Ordinemq; Eccleſiaſticum querela.

HISTORIA,

PAg. 27. Principes ſeculares eis de rebus, quibus per Romanam Curiam, totumq; ordinem Eccleſiaſticũ grauari obtendebant, longam inſtituerunt querelam, eã ad centum capita reducentes, quam Centum grauamina idcirco appellarunt. Quæ, cum Nuncius, cui communicata fuerant antequam in ſcriptis redigerentur, diſceſſiſſet, ad Pontificem, vnà cum proteſtatione miſerunt, ſe ea amplius ferre non poſſe, aut velle: eiſque ſeſe omni induſtria, quò commodius poſſent, ob eorum iniquitatem, eximere ex neceſſitate cogerentur.

CONFVTATIO.

VT oſtendat hęc centum grauamina Romam ad Pontificem miſſa fuiſſe, ait, ea miſſa eſſe *antè Conuentus receſſum*, qui contigit 6. Martij; vt inquit hac eadem pag. 27. Sed ſubdens pag. 28. *cum Curia tali Pontifice digna non eſſet, voluit Deus, eum è viuis recedere ſtatim ferè accepta ſui Nuncij è Norimbergio relatione; nam 13. Septembris ſuorum annorum curſum expleuit*, ex ſe impoſturam prodit.

dit. Nam ſi Nuncius, tempore mortis Adriani, Norimbergæ erat, non ergo diſceſſerat antè receſſum Conuentus; vel ſaltem multo tẽpore à dicto receſſu diſceſſerat. Siquidem, nec relationem Pontifici poſt ſex menſes feciſſet, ſi antè ſextam Martij diſceſſiſſet, nec Clemens, qui Adriano ſucceſſit, *propoſitiones ab eodem Adriano factas, reſponſioneſque illi datas diſſimulare, vnquam potuiſſet*, vt diſſimulaſſe ait pag. 29. Et aperit impoſturam, dum ait, Proteſtantes ea miſiſſe, *quia Nuncius, cui communicata fuerant, antequam redigerentur in ſcriptis, diſceſſiſſet*. Quo enim pacto Nuncio communicari potuerant, ſi nondum in ſcriptis redacta erant?

Sed quod pertinet ad centum illa grauamina, ea nonniſi leuiſſima: immò potius præſumpta eſſe patet ex Auctore ipſo. Subdit enim ead. pag. 27. longum eſſet ea ſingillatim recenſere; ſed in ſumma querebantur de ſolutione ob diſpenſationes, & abſolutiones, & de pecunijs, quæ Indulgentiarum nomine colligebantur.

Nam diſpenſationes, & Indulgentiæ neminem grauant, niſi volentes: de abſolutionibus verò, ſicut nil prorſus conſtitutum vel ab Eccleſia, vel à ſummis Pontificibus habemus; ſic de Sacramentis omnibus gratis adminiſtrandis, multis ſanctionibus cautum eſſe non ignoramus.

II. Et de litibus, quæ Romam aduocabantur. Quod ſeculares non grauat, cum cauſæ merè ſeculares Romam non aduocentur.

III. Et de reſeruationibus beneficiorum, alijſq; Commendarum, & annatarum abuſibus. De quibus nil prorſus ad Laicos: & Annatæ inſuper iam, ex Auctore pag. 25. Germaniæ, ex Pontificis indulto, conceſſæ eſſent.

IV. Et de Eccleſiaſticorum in delictis exemptionibus. De quo ſicut nil prorſus cautum reperitur; ſic innumeros Canones, ſanctioneſq; Apoſtolicas, contrà Clericos delinquentes, habemus.

V. Et

V. Et de excommunicationibus, & Interdictis iniuſtis. Quæ executiones, ſi legitimæ ſint, iniuſtæ dici non poſſunt, nec ideo grauant: & iniuſtæ non lædunt.

VI. Et de cauſis Laicorum, varijs prætextibus ad Eccleſiaſticum forum translatis. Cum immò hodiè nullum maius Eccleſiaſticis negocium ſit, quàm ſuam Immunitatem, aduerſus vſurpationes Laicorum, tueri.

VII. Et de magnis ſumptibus in Eccleſiarum, & Cœmeteriorum conſecrationibus. Quæ non pertinent ad Laicos.

VIII. Et de pœnitentijs pecuniarijs. Quæ vox nunquā audita eſt in Eccleſia.

IX. Et demum de ſumptibus ob Sacramenta, & ſepulturam. Quæ immò leges Eccleſiaſticæ prohibent. & expenſæ pro ſepultura ſint loco Decimarum, vt notum eſt.

Ex quibus querelis omninò friuolis; immò de rebus ad Laicos non pertinentibus, quiſque ex ſe videat, quàm malignè, ac leuiter concludant, huiuſmodi grauamina ad tria præcipue capita redigi; ad populos ſcilicet ſeruitute premendos, eoſque pecunijs exhauriendos, Magiſtratumque ſibi ius addicendum, cum ex eis, (vt patet) nil tale prorſus deduci poſſit. Et cum hæc grauamina ſint omnium in Romanam Curiam, atque Eccleſiaſticos querelarum prætextus; nemo non videt, quibus leuiſſimis fundamentis immò nugis, Hæreticorum in Romanā Curiam Ordinemq; Eccleſiaſticum innitantur quærelę.

10. *Ad euitandum Concilium Clementis VII. conſilium.*

HISTORIA.

PAg. 29. Clemens VII. ad Pontificatum aſſumptus, illicò animum rebus Germanicis adiecit: & vti in negocijs maximè verſatus perſpexit, Adrianum, præter inuete-

inueteratum ſapientiorum Pontificum morem, nimis facilè, non tàm errata Curiæ faſſum fuiſſe, quàm reformationem promiſiſſe: & in petendo Germaniæ, qua ratione eius Regni contentionibus conſuli poſſet, nimis abiectū. Nam ita aditum petitioni Concilij aperuerat; quæ magni momenti eſſet, ea præſertim conditione, vt in Germania celebraretur. Quare Principes nimium animo elati, centum grauamina (ſcripturam ordini Eccleſiaſtico Germaniæ, eoque magis Romanæ Curiæ ignominioſam) non tam ad eum mittere, quàm typis inſuper euulgare veriti non fuerint: rebuſque benè penſitatis, neceſſe eſſe decreuiſſe, ſatis aliqua ex parte Germaniæ facere, ea tamen moderatione adhibita, qua nec eius auctoritas, nec commoda Curiæ in diſcrimen venirent. Cumque in centum grauaminibus, licèt multa reſpicerent Curiam, ea tamen maiori ex parte ad Epiſcopos, Miniſtros, Curiones, alioſque Germaniæ Clericos pertinere animaduertiſſet; quibus in ordinem redactis ſperaret Germaniæ populos, in eo quod ad rem Romanam pertinet, facilè acquieturos, eademque reformatione à Concilij tractatione auertendos eſſe; decreuit Legatum prudentia, atque auctoritate præditum, illico ad Conuentum Norimbergæ, intrà tres menſes celebrandum, allegare; ita tamen inſtructum, vt eiſdem ſemitis inſiſtens, propoſitiones Adriano factas, reſponſioneſque illi datas ſcire diſſimularet, quò, in tractationibus faciendis, quicquid detrimenti eſſet, vitaret, & velut in re integra procederet.

CONFVTATIO.

HÆc omnia commentitia eſſe, ex eo facilè perſpicitur, quòd horum poſteà immemor, faciat Clementem, non ſolùm errata Curiæ pariter publicè fateri, & reformationem polliceri; Sed eodem modo cum Germanis de remedio conſulere, dicens pag. 36. ***Clementem in***

in Conſiſtorio cuncta infortunia ira diuina tribuiſſe, ob Chriſtianorum peccata exagitata: & omnia ab Eccleſiaſtici Ordinis deformitate ortum habuiſſe, faſſum fuiſſe, ad eamque placandam, neceſſarium eſſe oſtendiſſe à Domo Dei (ita dixit) incipere, eaque in re exemplum in ſeipſo dare velle: Et pag. 53. Cęſarem, de conſilio Cardinalis Campeggij, Legati Clementis, confeſſionis Auguſtanę confutationem perlegi iuſſiſſe, in qua fatebatur Cęſar nonnulla in Eccleſia Romana emendatione digna eſſe, quibus prouidendum eſſe pollicebatur. Nam proculdubiò, poſito id Cæſarem *de conſilio Campeggij* feciſſe, quem *ex Pontificis Inſtructione* egiſſe ſupponit, vtique Clemens eadem, quę Adrianus; tùm Romæ; tùm in Germania, per ſuum Nuncium apertiſſimè faſſus fuit, eandemque omninò reformationis ſponſionem emiſit.

Quem etiam a Germanis conſilium petentem inducit, referens pag. 29. eundem Legatum in Conuentu dixiſſe, *ſe ad inquirendam rationem morbi ſanandi à Pontifice miſſum fuiſſe, nec mentem Pontificis eſſe ipſis quicquam præſcribere, vel ab eis ſibi velle præſcribi, ſed ſimul de remedijs opportunis conſulere, eiſque de optima Pontificis voluntate certos feciſſe, à quo quæcunque agendi, quę ad hunc finem tendiſſent, pleniſſimam poteſtatem afferret: ad ipſos verò pertinere viam indicare, qui, & perſonarum conditionem, & regionis mores nouiſſent;* cum ex his Clementem itidem cõſilium à Germanis petijſſe doceat, (quemadmodum etiã Fontenus ait, vt mox notabimus) cum quibus de remedio conſulebat, & à quibus inſtrui flagitabat: Et, cum omninò repugnet, Clementem ea feciſſe, quæ repræhendebat in Adriano: & Adrianum illa egiſſe, quæ auctor ſupponit; quis ab his repugnantijs non videat hæc ſeſe inuicem deſtruere, & nonniſi auctoris per conſequens commenta eſſe?

Quod verò ad eam Clementis legationem pertinet, Fõtenus eorum ferè temporum Author Transmontanus in libro 7. ſuæ Hiſtoriæ Catholicæ ait, Clementem *non*

aliud

Digitized by Google

aliud ſibi ea legatione propoſuiſſe, quàm Germaniæ pro viribus opitulari, ea de re conſulendo cum ipſis Germanis, & eius reformationis remedia, quæ illa tempora ferrent, adhibendo. Nam, ſi verum eſt (vt ait in hoc eodem loco Polanus) Clementem Adrianum repræhendiſſe, quia cum Germanis conſulendo, Concilij petitionem in caput ſuum accerſiſſet, profectò ipſe pariter cum Germanis conſulendo, eandem Concilij petitionem potius accerſebat. Quare non poteſt dici (vt etiam infra obijcit pag. 32.) Clementem ex ea reformatione, voluiſſe Germanos à Concilij tractatione diuertere; ſed ea ratione, qua ſola illo tempore poterat, opitulari Germaniæ. Si enim eo tempore, vt ait pagina 33. Carolus Imperator, & Rex Chriſtianiſſimus, qui Chriſtianitatis arbitri erant, ſæuiſſima inter ſe bella gerebant, & Turca, infeſto milite imminebat Germaniæ, non ſolùm Concilium haberi non poterat; ſed nec de illo, etiam habendo cogitari, nedum tractari, ni prius illi Principes reconciliati eſſent, & Turca repulſus: ac proinde patet non eam auertendi à ſynodo mentem eſſe potuiſſe Clementi; præſertim, quòd, eum certum fuiſſe affirmet pag. 38. *Proteſtantes de Concilio per ſpeciem tantummodò agere.* Nam ſi id conſtanter credebat, ad quid tanta celeritate Legatum illùc allegare, cum non in eo ſtatu res eſſent, vt Concilium celebrari poſſet?

II. *Reformationis in Germania per Pontificem facta, cenſura.*

HISTORIA.

PAg. 32. Cum Auctor nullam rem Pontificis immunē à cenſura velit, facta per Cardinalem Campeggium reformatione pro Clero Germaniæ, ait, obiectum aduerſus eam fuiſſe: primùm, rebus magni momenti omiſſis, perinde ac ſi eis nil incommodi eſſet, minimis, prouiſum

fuiſſe: licèt parum Germaniæ ex abuſibus Cleri inferioris incommodi eſſe, & grauia, ex vſurpationibus Epiſcoporum, & Prælatorum, grauiſſima verò ex Romana Curia prouenirent, & nihilominus, perinde ac ſi ea velut in primitiua Eccleſia conſtituta eſſent, præteriri: in eis verò, quæ ad Clericos inferiores pertinent, non de abuſibus maioribus, ſed de minoribus peragi, quod alios approbare propèmodum eſſet, & qui etiam repræhendebantur, abſque veris remedijs relinquerentur, eos duntaxat notando, & medicinam neceſſariam ad illos ſanandos, nullatenus applicando.

CONFVTATIO.

QVæ, ex conſueta Polani malignitate produnt, cum Fontenus (vt paulò ante diximus) perhibeat, *Clementem Germaniæ pro viribus opitulari voluiſſe*, & *ea reformationis remedia, quæ tempora illa ferebant, adhibuiſſe*: & ſupra itidem dixerit Auctor, *reformationem generalem in ſolo Concilio generali fieri potuiſſe*, de quo ideo celebrando agebatur, vt pag. 31: & de remedijs pro reformatione factis, ipſemet dixerit, *ad eorum decretorum obſeruantiam, Conciliorum Diœceſanorum quolibet anno celebrationem edictam ex precepto fuiſſe: Epiſcopiſque facultatem datam, vt in tranſgreſſores brachij ſecularis opem implorarent*. Nam quod maius, aut efficacius remedium?

12. Romani Imperij poſſeſſionem per Pontificem vſurpatam fuiſſe.

HISTORIA

PAg. 35. Carolus Romæ armatus, ad ditionem Eccleſiaſticam occupandam, Romanique Imperij poſſeſſionem, ſuorum prædeceſſorum artibus occupatam, vindi-

vindicandam, ante oculos Pontifici obuerſabatur.

CONFVTATIO.

SEd qua arte, quæſo, potuiſſet Romani Imperij poſſeſio per Pontifices occupari? Qua enim arte ſic potuiſſent Imperatorum oculos perſtringere, vt ſeſe Romanæ Vrbis poſſeſſione, hoc eſt ipſa Imperij Sede, & capite, abdicarent; adeò vt nunquam per tot ſecula, de aſſerta illa vſurpatione verba fecerint: vel de antiqua poſſeſſione recuperanda cogitarent? Et quibus ſe viribus in eam poſſeſſionem intruſiſſent: vel eam tueri per tot ſæcula potuiſſent, ſi, & pauciſſimi, & inermes Clerici eis temporibus erant, & Romani è contrà innumeri, ac viribus, armiſque potentiſſimi? An enim à paucis, illiſque inermibus ſe expoliari vnquam armati ac potentiſſimi ſiuiſſent; ſi illi pauci, & inermes reuera domini non fuiſſent: vel ditionem illam re ipſa vſurpaſſent?

Et cum nulla humana arte fieri potuiſſe credibile ſit, vt ſe Cæſares Imperij ſede, Romanaque poſſeſſione abdicarint: nec vi armata per Pontifices eiecti fuerint; quis ergò ex conſequenti non videat, vera eſſe, quæ, ea de re, & antiquiſſimæ traditionis fide, vbique, & paſſim ſcriptorum omnium teſtificatione perhibentur? ſed, his ommiſſis, indubitatum inſuper eſt, Carolum Magnum, qui eam poſſeſſionem a Longobardis recuperauit, illam Pontifici, vel reſtituiſſe, vel ſaltem donaſſe: nec potuiſſe ideò Clementem vereri, ne vti illegitimus detentor, ab antiquiſſima illa poſſeſſione deijceretur. Præſertim, quia ſpontanea Romani populi ſubiectio, tempore Leonis Iſaurici, (qui ius Imperij ob hæreſim amiſerat) præceſſiſſet, vt notiſſimum eſt, quæ de poſſeſſione illa omnem penitus ambiguitatem adimit.

Eoque magis, quia antiquum ius Romanorum ſit penitus extinctum. Cum namque Romani *per ſolam vim, &*

impreſſionem, & ſine vllo colere iuſtitię, Imperium acquiſiuiſſent (vt dicunt Panormitanus, Cardinalis Bertrādus, & alij à Caſſaneo, & Caſtaldo relati; ita, per vim, & impreſſionem eiecti, illud itidem amiſerunt, cum iiſdem modis amittatur, quibus acquiritur. Et iam per ceſſionem Auguſtuli, ſeu Momilli vltimi in occidente Imperatoris, Imperium extinctum erat. Cumque Pontifex nouum poſteà in occidente Imperium, in Carolo magno creaſſet (à qua noua creatione hodierni Imperatores cauſam habent:) quod nam ius Carolus V. *in antiquo Romano Imperio* prętendere potuiſſet, quod iam extinctum erat? vel quo iure potuiſſet Pontificem expoliare, à quo nouū hoc Imperium, & Imperatores totum ſuum ius, & auctoritatem, ipſamque creationem agnoſcunt? Nullum enim ius creaturæ aduerſus creatorem omninò competit, aut prætendere poteſt.

13. *Pontificem armorum comminationibus Cæſarem perterruiſſe.*

HISTORIA.

Pag. 35. Pontifex ad Cæſarem ſcribens, cum, non pœnarum ſpiritualium minis, (vt Pontificibus mos eſt;) ſed comminationibus armorum terruit: & pag. itidem 37. ſubdit: Die xi. Septembris Cæſar Epiſtolam apologeticam Pontifici ſcripſit, oſtendens in eius exordio, rationem, qua Pontifex ageret, à veri Pontificis munere diſcrepare, nec filiali eius in Sedem Apoſtolicam obſeruantiæ reſpondere. Nam Pontificem, ni deſiſteret, arma in eum ſumpturum eſſe, minitatum fuiſſe, dixit.

CONFVTATIO

An epiſtola hæc verè his verbis, quibus ab Auctore deſcri-

deſcribitur, à Cæſare concepta eſſet, ambigi poteſt, cum ea, quæ continet, à veritate ſummoperè aliena fuiſſe, ex eodemmet Auctore liqueat. Nam, ſi vera ſunt, quæ Auctor eadem pag. 35. recenſet, nempè, *& in Hiſpania, & Neapoli, leges libertati Eccleſiaſticæ aduerſas, per Cæſarem promulgatas fuiſſe*: eundemque *Neapolitanis ad Romanam Curiam* (eorumque idcircò Principem ſupremum) *recurſum, aditumque prohibuiſſe*: & Pontificem *à Columnenſibus, alijſque* (vt addit pag. 36.) *partium Imperialium ſequacibus, Proregis Neapolitani ope ſuffultis, varijs quotidie oppoſitionibus vexatum fuiſſe*; profectò (his per Auctorem poſitis,) quo pacto potuiſſet Cæſar filialem ſuam in Sedem Apoſtolicam obſeruantiam iactare? præſertim cum pag. 39. 40 & 41. & alibi, Pontificem per Cæſarē itidem ſpretum fuiſſe deſcribat, recenſendo; tum eius *ad Concilium appellationem* (maximis, grauiſſimiſque Sanctionibus à Pio, & Iulio ſecundis vetitam;) *tùm Palatij Apoſtolici, & Vaticani direptiones*, per Columnenſes, non ſine eiuſdem Clementis periculo factas: tum tractatus conuocandi, ex auctoritate propria, *Spinę Concilium: Romanęque demum Vrbis inuaſionem, cum ipſiuſmet Pontificis detentione*, (quæ omnia Polanus Cæſari, eiuſque Miniſtris aſcribit:) quæque auctores maximis proculdubiò pœnis cenſuriſque implicant. Et, cum Cæſar ideò ſic ſpiritualia Pontificis arma paruifaceret; nonnè Clementi, directo Regni Neapolitani Domino, licuit ſuum ſubditum temporalium armorum commiuatione reprimere, ac deterrere?

Et aſſumi etiam poteſt ex his, quàm ineptè Auctor Cæſarem, in eadem epiſtola, profitentem inducat, ſe optimam in ſuis actionibus mentem geſſiſſe, & neceſſitatem ea peragendi habuiſſe; & an vere nil magis, quàm publicam quietem, & pacem vniuerſalem, iuſtamque libertatem Italiæ concupierit, vt dixit.

Et quo etiam fundamento addere, in eadem epiſtola, potuiſ-

lium, Valledoleti celebrabantur, dicens, *Cæſarem, illis ſignificationibus, maiorem Religionis, ac pietatis fidem mundo facturum fuiſſe, ſi vnà Pontificem ſaltem libertati reſtitui mandaſſet. Sed, cum totos adhuc ſex menſes captiuus detineretur, omnes etiam facilè ſenſiſſe, quàm à fuco veritas diſferret.* Quemadmodum, & pag. 76. & alibi pluries, Carolum, non in aliud Concilium ſibi vſui eſſe voluiſſe, addit, quàm, *vt Germaniam ſibi penitùs ſubderet, ſuiſque Imperium hæreditaria ſucceſſione tranſmitteret.* Et 102. fœdus ab eo initum cum Rege Angliæ, certiſſimum indicium mundo fuiſſe, *nullum Pontifici, per eum ſpiritualem, nec temporalem honorem deferri: atque immò eius parnipendendæ auctoritatis alijs exemplum dediſſe.*

Et nihilominus, tametſi, vt vidimus, Carolum Imperatorem abea religione, ac pietate omninò alienum deſcribat, quam in illis epiſtolis iactaſſe recenſet: nec alia de cauſa Concilium procuraſſe affirmet, quàm vt priuatæ ſuæ tantummodò rei conſuleret; tamen, his poſtmodum oblitus, ſibi contrarius, cum Carolus religionis libertatem Proteſtantibus dediſſet, illum, non niſi religionem præoculis ſemper habuiſſe: & in eum tantùm finem Concilium procuraſſe aſſeuerantiſſimè teſtatur pag. 61. dicens: *quis illum accuſare poterit ſi cum per vndecim annos, quauis ratione, religionis diſſenſionibus mederi fruſtrà tentaſſet, experturus quidnam etiam Concilij ope fieri poſſet, pacem interim Germanis dederit, ne illam funditus euerſam videret?*

Quare Polanus tunc Cæſarem vti pium, ac religioſum celebrat, laudibuſque effert, cùm Proteſtantibus morem gerit.

14. ***Clemens à Concilio: & quibus de cauſis alienus eſſet.***

HISTORIA.

PAg. 40. Clemens, à nomine Concilij, maximè abbor-

horrebat, non tam veritus ne poteſtas Pontificia, & commoda Curiæ certis limitibus coercerentur, quàm ſibimet ipſi metuens. Licèt enim eius Sobrinus Leo, cum illum Cardinalem creare vellet, ſponſalia inter eius matrem, patremque Iulianum interceſſiſſe probaſſet; nihilominus probationum falſitas nota, & apud omnes peruulgata erat. Et quamuis nulla lege prohibeatur, natalium vitio infectos Pontificatum inire; tamen eam dignitatem cum illa conditione ſtare non poſſe omnibus eſt perſuaſum. Valde enim timebat, ne eius aduerſarij Cæſaris potentia fulti, huic prætextui, tametſi vano, fomitem præberent, eòque magis, quia conſcius, quibus artibus ſibi dignitatem paraſſet, quibuſque id rationibus per Cardinalem Columnam probari poſſet, ob ſeueram Iulij ſecundi cōſtitutionem, qua electio ſimoniaca irrita, & per ſubſequentem conſenſum inſanabilis declaratur, infelices Balthaſſaris Coſſæ, Ioannis XXIII. nuncupati, ſibi maximè præſagiebat euentus.

CONFVTATIO.

Clementem, eo tempore, iuſto timore affici debuiſſe, ſatis aperit Auctor, dum ait pag. 35. *Cæſarem præ oculis illi fuiſſe coercentem in Concilio poteſtatem, qua Pontifex in Eccleſia pollebat, cum non aliter temporalem minui poſſe perciperet: ac ne per eundem Romanæ Vrbis Imperio deijceretur, nullumque alium Scopum ſibi Cæſarem, in eo, quod pertinet ad Synodum propoſuiſſe, quàm, vt rebus ſuis ex eo conſuleret, nulla habita de Germaniæ populis, ad Pontificiam obedientiam reducendis, cogitatione*, eoque inſuper conſilio, vt, illo congregato, *quæ ipſi minimè probarentur, immutaret* vt pag. 76. Nam, his poſitis, iuſtiſſima proculdubiò ſibi timendi cauſa, haud immeritò Clementi fuiſſet.

De poteſtate verò Pontificia, de qua etiam, ex eo timuiſſe

muiſſe addit pag. 32. quia, cum *Leo doctrinam Lutheri dãnaſſet, eadem materia in Synodo, citra agitationem auctoritatis Apoſtolicæ pertractari non poſſet:* & quia (vt ſubdit 47.) *ex celebratione Concilij, authoritatem Pontificiam, ob Epiſcopos, vndique labefactandam iri ſuſpicaretur*; vtique hunc timorem, gratis Pontifici tribui, ex Hiſtoria facilè probatur. Nam Auctor pag. 67. Apoſtaſiam Regis Angliæ defendens ait, *perſpici non potuiſſe quanam ratione Concilium, ex ſolis perſonis Eccleſiaſticis conſtans, Pontificis ſemper potentiam propugnaturum non eſſet, cum inde eorum Ordini firmitas ſit, quando cuicumque Regi, atque Imperatori, ex adiunctione Pontificatus, præferatur; qui aliàs neceſſariò ſubiectus maneret.* In quo etiam ordine omnem Pontificibus fiduciam fuiſſe addit pag. 69. referens, Paulum III, qui immediatè Clementi ſucceſſit, dixiſſe, *certum eſſe, non poſſe, ſe ad Concilium cogi, vbi, vel agendi ratione, vel loco potior non eſſet, & ſatis fore (ſi è re eſſet prohibere) contradictionem à Curia, & toto Ordine Eccleſiaſtico.* Ex quo etiam magis Authoris leuitas, & inconſtantia perſpiciuntur. Cum Pontificis namque potentia, in eo, quod ad Eccleſiaſticos pertinet, eadem prorſus eſſet; tàm tempore Clementis, quàm Pauli; an non omninò repugnat, (cum ambo æquè rerum Eccleſiaſticarum inſtructi, ac peritiſſimi eſsēt) alterum ex Ordine Eccleſiaſtico timorem; alterum verò fiduciam percepiſſe? Et, ſi Epiſcopi ſemper, ex Auctoris ſententia, pro potentia Pontificis pugnaturi erant; quonam pacto Clemens timere potuiſſet, ne ſententia Leonis aduerſus Lutherum, reuocari poſſet in dubium? Præſertim, cum iam totus Orbis Chriſtianus, vnanimi iugiter conſenſu, Lutherum damnaſſet, Leoniſque ſententiam (vt ex Auctore paulò ante oſtendimus) confirmaſſet?

At Clementem ad Pontificatum illegitimè promotū fuiſſe, deſumptum eſt ex Guicciardinio, qui inter cætera, quæ Leoni, & Clementi impoſuit, etiam obijcit, *Cardina-*

dinalem Columnam eiuſdem Clementis acerbiſſimum inimicum, ſeſe ei ſponte ad Pontificatum adiutorem exhibuiſſe, qui ſyngrapha, propria manu ſcripta, Cancellariam, quam illo tempore obtinebat, & ades, quas ſumptuoſiſſimas olim Cardinalis Sancti Georgij exedificarat, ſibique à Leone conceſſas, Columnio ſecretò ſpopondit.

Quæ à Guicciardinio Clementi impoſita eſſe, ex eiuſmet hiſtoria facilè patet, cum, ſibi contrarius, præciſis verbis illicò referat, *creditum fuiſſe, vberes, inter cætera, beneficiorum, munerumque Eccleſiaſticorum prouentus Mediceo profuiſſe, cum Cardinales Conclaue ingreſſi, illius, qui eligeretur prouentus, inter ſe pro æquali portione diſtribuere, concordi conſtitutione, ſanciuiſſent*. Nam quo pacto ergo potuit Mediceus, in Conclaui, illud ex ſyngrapha illa polliceri Columnio, quod iam, ex *conſtitutione* illa, omnibus æque Cardinalibus publicè obſtrictum erat? Vnde, quemadmodum in poteſtate Clementis eo tempore amplius non erat earum rerum ſponſionem Columnio facere quæ (ex conſtitutione illa) inter Cardinales omnes diuidendæ erant; ſic nec credibile eſt, Columnium id ſibi, per eam ſyngrapham, obligari voluiſſe, quod iam omnibus aquè Cardinalibus, ex publica illa conſtitutione, obſtrictum eſſe ſciebat.

Sed Guicciardinius, non ſolùm ſibi contradicens, impoſturam prodit, ſed vt mendax etiam à *Iouio* reijcitur, qui Columnium, non ea de cauſa Mediceo ſuffragatum fuiſſe refert; ſed quia mandata *à Proſpero Patruo acceepiſſet, qui id è re Cæſaris fore, illum per litteras monuiſſet, & quia Columnius inſuper veritus eſſet, ne Fràciottus Cardinalis Vrſinus Pontifex eligeretur*, cum (ex relatione Auctoris pag. 39.) Vrſini, & Columnenſes contrarijs partibus adhærerent, vetuſque inter eos æmulatio, & antiquæ ſimultates eſſent.

Cum &, præter hæc, ab omni veriſimilitudine ſit alienum, Mediceum (quem Auctor pag. 29. vt *prudentiſſimum*

mum, maximèque in rebus gerendis verſatum commendat) eodemmet tempore, quo ſeueriſſima illa in Simoniacos Iulij ſecundi conſtitutio emanauerat, ſeſe tanto in negocio *acerbiſſimi* (vt ait Guicciardinius) *inimici* permiſiſſe arbitrijs; idque per Syngrapham inſuper feciſſe, ex qua nullo negocio potuiſſet conuinci; Præſertim quòd illa Syngrapha (vt potè ipſo facto irrita) ſicut Columnio vſui nunquam eſſe potuiſſet; ſic vtrumq; ex illa Iulij conſtitutione damnaret,

Et, ſi penes Cæſarem, & Columnios ſyngrapha illa reuera fuiſſet, obquam Clementem adeò timuiſſe dicit; an eos vnquam tot illis grauiſſimis offenſionibus, quas Polanus recenſet, in ſe concitaſſet? Nam (pag. 39. & infrà) Clemens Cæſari apertiſſimè aduerſus, fœdere ſeſe Gallo iunxit: Regem Chriſtianiſſimum ab eis præſtandis abſoluit, quæ à Cæſare dimiſſus, iuramento ſpoponderat, in Cæſarem ipſum, epiſtolis, criminationibus grauiſſimis, minisque refertis, acerbiſſimè inuehens, eum acritèr laceſſiuit: Columnios ipſos eidem adhærentes, bonis omnibus, vt diximus, expoliauit: ipſumque Cardinalem purpura abdicauit.

Et cum Cæſar in eum furens, Hiſpanica Regna (vt Auctor refert locis ſupra notatis) ab eius obedientia diſcedere voluiſſet: & tot alia in eum, & Neapoli, & Romæ intentaſſet, perpetuiſq; illum vexationibus exagitaſſet, quas Auctor fusè commemorat: & eouſque odia; proceſſerint, vt eius adhærentes, nec ab ipſa Vrbis inuaſione, & ipſius quin inſuper Pontificis detentione abſtinuerint; an non multò magis, eum (ſyngrapha illa prolata) ex Apoſtolico ſolio deieciſſet, ne ſibi amplius moleſtus eſſet? Siquidem, cum illo tempore Gallorum vires penitus fractæ eſſent, id vtique Cæſari armato, ac potentiſſimo difficile non fuiſſet in Pontificem, ab eius militibus detentum, cum omni propemodum Chriſtianitati imperaret, & vti aduocatus Eccleſiæ, Concilium vti aduerſus

ſus illegitimum detentorem, nullo negocio, cogere potuiſſet.

De qua Syngrapha, atq; illegitima aſſumptione omnis demum tollitur ambiguitas, quia cum Cæſar longiſſimas illas epiſtolas apologeticas (quas Auctor recenſet pag. 35.) & eidem Clementi, & Cardinalibus ſcripſiſſet, in quibus, & acerrimè in Pontificem inuectum eſſe, & quæcumque potuit eidem, omni penitus depoſita reuerentia, exprobaſſe ait; de hac tamen ſyngrapha, aut illegitima aſſumptione ne quidem verbum fecerit, ex quo illa, nec etiam aſſumi, aut vllo pacto inferri poſſint. Nam, cum præciſiſſimis verbis perhibeat, Cæſarem *nullam eidem Clementi reuerentiam ſpiritualem, aut temporalem detuliſſe, eiuſque auctoritatis paruipendendæ ſeſe exemplar cuilibet præbuiſſe*, (ac proinde illum ex reuerentia tacuiſſe dici non poſſit,) ex neceſſitate aſſumitur, nec apud eundem Cæſarem, nec penès Columnios illam re vera ſygrapham extitiſſe, ſed eſſe Guicciardinij commentum, ob eas rationes, quas ſupra tetigimus in notis ad pag. 3. vbi Leonem ab eo itidem falsò accuſatum fuiſſe docuimus.

Timor verò ex natalium vitio nullus eſſe in Clemente poterat; tùm quia, ex Auctoris teſtimonio, *ea de re nulla lege cautum, & vanos prætextus fuiſſe* dicat; tùm quia per omnes Eccleſiæ gradus, maioreſque omnes dignitates ad Summum Pontificatum euectus, iam cum eo ex neceſſitate diſpenſatum eſſet; ſed quia (ex eiuſdem Auctoris fide) legitimitatis probationes inſuper præceſſiſſent. Cum enim pag. 49. illum *Sancti Ioannis militem* ante Cardinalatum fuiſſe dicat; quis neſciat, in ea religione illas probationes ex neceſſitate præcedere, & non qualeſcumque, ſed non niſi legitimè factas admitti?

15. Lu-

15. *Lutherum, & alios, qui ab eo non dependebant, renouationi Religionis principium dediſſe.*

HISTORIA.

PAg. 46. Vt oſtendat, non Lutherum ſolum, ſed alios quoque renouationi, (vt inquit) religionis principium dediſſe, addit, eam renouationem duobus in locis, à duobus, quorum alter ab altero non dependebat, nempè Luthero in Saxonia, & Zuinglio in Zuricanis incæpiſſe.

CONFVTATIO.

SEd, recenſitis pag. 8. quæ Zuingluis in Quæſtores, & Indulgentias, & in auctoritatem Pontificis, qui eas concedebat, diſſereret, ſubdit, ſibi contrarius, *Martinum Lutherum, cum videret ſuam doctrinam audiri, & ad alias inſuper Regiones tranſire, maiores animos concepiſſe*. Nam ergo Zuinglium ſolos Martini errores diſſeminaſſe, ipſius Martini approbatione docet.

16. *Clementem cum Cæſare, non de Concilio, ſed de vi, & armis egiſſe.*

HISTORIA.

PAg. 48. & 49. Pontificem Cæſari perſuaſiſſe, vt ſeſe quàmprimùm Germaniam conferret, auctoritatemque, ac vim illicò intentaret, irrefragabilem ſententiæ Leonis, & edicto Vormacienſi executionem edicens, omnia interim reijciendo, quæ Poteſtantes afferre poſſent flagitando Concilium, aut inſtructionem maiorem, vel ſuam appellationem, ac proteſtationem, ſeu aliam excuſa-

excuſationem adducentes, quæ nonniſi impietatis prætextus eſſe poterant; ſed vim illicò in contumaces intentando, cum alijs, quę fuſiſſimè affert, vt oſtendat Clementem, non de Concilio, ſed de ſola vi, & armis locutum fuiſſe: denum concludens, huiuſmodi rationibus, tametſi indignis, quæ ex Fratris Iulij Equitis Melitenſis, (quo nomine ante Cardinalatum vocabatur.) nedũ Clementis VII. Pontificis ore prodirent, Cæſarem permotũ fuiſſe, & cum, his firmiter conſtitutis, diſcederet, Pontificem Cardinalem Campeggium illi comitem adiunxiſſe.

CONFVTATIO.

Ex ijſdem, quæ idem Campeggius fecit, huiuſce cõſilij euidentiſſima eſt impoſtura. Nam, non de vi, & armis; ſed de componendis tantummodò religionis rebus egit, eaq; de re, ex compoſito, ſe à Pontifice miſſum fuiſſe profeſſus fuit; vt aperit Auctor dicens pag. 51. *Campeggium, in prima Conuentus ſeſſione, ſua legationis literas exhibuiſſe, Orationemque latinam, ipſo Caſare praſente, habuiſſe, qua in ſumma dixit, tot Sectarum cauſam fuiſſe charitatem, ac beneuclentiam extinctas, ac doctrina, rituumque mutationem, non ſolùm Eccleſiam laceraſſe; ſed omnem politiam horribilem in modum deſtruxiſſe: cui malo cum Pontifices, miſſis ad Conuentus legationibus, fruſtrà mederi tentauerint, illum Clementem illuc allegaſſe omnia hortaturum, conſulturũ, atq; facturum, qua ad reſtituendã religionem fieri potuiſſent: &, laudato Caſare, omnes ad ea opere implenda hortatum eſſe, quę in cauſis religionis, & circà articulos fidei mandaſſet, ac decreuiſſet.*

Immò adeò abſuit Campeggius ab executione ſententiæ Leonis, & edicti Vormacienſis apud Cæſarem vrgenda; vt è contrà pag. 53. de Proteſtantiũ Confeſſione confutanda cum illo egerit: quam confutationem non aliũ

tandem

tandem exitum habere poſſe certiſſimum erat, quàm, vt ad Concilium, vel generale, vel nationale, aut colloquium aliquod reijceretur, vt iam Proteſtantes pag. 52. inſtiterant: & Cæſari itidem Auctor fuerit pag. 54. *vt cum Principibus Proteſtantibus ageret, aliquam cuique ſatisfactionem pollicendo; quàmmaximè cupijſſet, multaſque oppoſitiones, & impedimenta proponeret, quæ eorum rebus excitaturus eſſet*: quæ vtiq; Campeggij actiones dicto Clementis conſilio de directo aduerſabantur.

Et idem Cæſar, non modò executionem ſententiæ Leonis, & edicti Vormacienſis non propoſuerit: nec vim, & arma in contumaces illicò intentauerit (quemadmodum cum Pontifice ſtatuiſſe Auctor ſupponit;) ſed è contrà res pariter Religionis in diſceptationem poſuerit, eaque tandem ad colloquium reiecerit, *Conciliumque infrà ſex menſes celebrandum, promiſerit*, vt pag. 53. Quare non potuit Auctor ex veritate dicere pag. 55. ore Clementis Carolum *imperio, ac minis, eius conſilio adhęſiſſe*.

Et, non ſolùm ex ijs, quæ Campeggius fecit, detegitur illud conſilium Clementi malignè tribui; ſed quia dicat pag. 50. *eundem Clementem Legatum Campeggium ſocium Cæſari dediſſe, & vnà Petrum Paulũ Vergerium Nuncium Regi Ferdinando miſiſſe, cum inſtructione apud Regem agendi, ne quid in Conuentu de Religione agitaretur, aut decerneretur, neuè Concilium, ea de re, in Germania fieri ſtatueretur. Vtque eum Principem ſibi propitium redderet, cuius auctoritati multum ponderis fore credebat, contributionem eidem à Clero Germaniæ exigendam, ob bellum Turcicum, conceſſiſſe, ac permiſiſſe, vt aurum, & argentum Eccleſiarum ornatui dedicata, in eum vſum conuerteret*; cum omninò repugnet, Pontificem duobus hiſce miniſtris, quos, eodẽmet tempore, eademque de cauſa, miſit in Germaniam, contraria omninò mandata dediſſe; cum Campeggius in Conuentu, & extrà, nil aliud, quàm *de religionis compoſitione egerit: eaq; de re certum ſe à Pontifice miſſum fuiſſe te-*

ſe teſtatus eſſet, à quibus Vergerium omninò abſtinere in inſtructionibus precepiſſe ait. Quæ per Guicciardinũ confirmantur, qui, non modò, ne verbum quidem de illo Clementis conſilio facit; ſed immò è contrà teſtatur in lib. 19. Cæſarem Bononia diſceſſiſſe, cum *Pontifex aſſentiri Concilio promiſiſſet, ſi ad hæreſim Lutheranam extinguendam proficuum noſceretur.* Vt confirmat Fontenus pariter dicens in ſuo lib: 14. *Clementem Bononia cum Cæſare de futuro Concilio deliberauiſſe.*

Et, addens pag. 51. Campeggium Principes in Conuentu *ad arma in Turcas ſumenda hortatum eſſe, ac Pontificem inſuper eis praſtò adfuturum, nullique idcircò ſumptui parſurum promiſiſſe*, cum ex hoc aperiat, Pontificem id feciſſe pro armis Turcicis, quæ imminebant Germaniæ; eã; tamen liberalitatem ad ſibi Ferdinandi fauorem conciliandum, malignè de more, interprætatur.

At, tametſi Auctor conſilium illud, quod Clementi aſcribit, Pontificẽ indignum fuiſſe criminetur; nihilominus poſteà ſaluberrimum, & è re preſenti fuiſſe inficiari non potuit, cum, loquens de religioſa Catholici Regis in nouos hæreticos ſeueritate, præciſis verbis dicat pag. 404; *negari non poſſe, quin executiones illæ, cum alijs, quæ licèt non tàm exemplares, in dies euenère, in cauſa extiterint, vt ea Regna maxima fruerentur quiete, dum alibi cuncta ſeditionibus complerentur.* Quod non abs re inquit, cum experimento comprobatum ſit, hæreſis naſcentis progreſſus, non Concilijs, aut colloquijs, alijſue de religione congreſſibus; ſed ſolo tantummodo igne, ac ferro compeſci poſſe.

Cum verò præciſiſſimis verbis ſubijcit pag. 55. *Pontificem, accuſando Cæſarem, dixiſſe, illum, non vt Aduocatum Eccleſiæ Romanæ proceſſiſſe, ad quem, non cauſæ cognitio, ſed mera decretorum Pontificiorum executio pertineat*; patet etiam quàm falsò aſſerat, Campeggium, Germanos *ad ea opere implenda hortatum fuiſſe, quæ Cæſar in cau-*

ſa Re-

ſa Religionis, ac circà articulos fidei mandaſſet, ac decreuiſſet; cum Campeggius nonniſi ex inſtructione ac mente Pontificis procedere potuerit.

Et, cum Cæſar à Proteſtantibus impetrare non potuiſſet, vt Romanæ Religionis vſum in ſuis ditionibus, vſque ad Concilium permitterent, quod (vt ait pag. 54. & Guicciardinius confirmat loco ſupra notato) ***infrà ſex menſes indicendum ſpondebat***; hoc etiam malignè calumniatur, ſubdens, ***id commentum Legati fuiſſe, ad excitandas in ijs populis perturbationes, quia circa Concilij promiſſionem optimè ſciret, multa impedimẽta ad illud differendum, omnemque expectationem deludendam, in dies non defutura.*** Ex quibus liquidò patet, hoc ſibi ſolùm Auctorem propoſuiſſe, vt res omnes Pontificis in deteriorem partem perpetuò interprætetur.

17. ***Ad Proteſtantes, Cæſaris verba***

HISTORIA,

PAg. 53. Cæſar, de conſilio Legati, ſcripturam Proteſtantium confutari mandauit, & Ordinibus conuocatis, Proteſtantibus dixit, perpendiſſe, confeſſionem ſibi exhibitam, quam piorum, eruditorumque aliquot virorum iudicio ſubiecerit, confutationemque eius perlegi mandaſſe, in qua, pluribus eorum ſententijs iejectis, tandem fatebatur Cæſar, in Eccleſia Romana nonnulla eſſe emendatione digna, quibus prouidendum iri pollicebatur, ideòque ſe ſuæ fidei permitterent, ad Eccleſiamque redirent cum eos, quæcumque æqua poſtulaſſent, impetraturos eſſe certos faceret.

CONFVTATIO.

EX his vellet Auctor illam confeſſionem, quam A-

driano falsò attribuit, auctoritate Campeggij confirmare. Sed quàm falsò, & impiè, colligitur ex hiſtoria. Non ſolùm, quia pag. 29. apertiſsimè dixit, (vt iam notauimus) *Clementem in duobus Adrianum acriter reprahendiſſe, quòd nempè errores in Eccleſia Romana eſſe faſſus fuiſſet, eorumque emendationem promiſiſſet*; Sed quia eundem Campeggium in Germaniam, data opera, allegaſſe inſuper addidit, ei precipiendo, *vt eam confeſſionem, & promiſſionem Adriani penitùs diſſimularet*. Quare de conſilio Campeggij proculdubiò (his poſitis) fieri non potuit. Vt reuera factam non fuiſſe comprobat, quòd & demum Pontifex poſteà certioratus, Cæſarem Proteſtantium confeſſionem recepiſſe, eamque perlegi mandaſſe, & colloquium ad differentias tollendas inſtituiſſe, nominatim conqueſtum fuiſſe, referat pag. 55. *hæc, ſe inſcio, & auctoritate ſui Legati nullatenus interueniente, facta fuiſſe*.

18. *Ob promiſſionem Concilij à Cæſare factam, angebatur Clemens*.

HISTORIA

ET ſubdit, præ cæteris angebat Pontificem promiſsio Concilij, à quo adeò abhorrebat: in qua, tametſi honorifica eius auctoritatis mentio facta eſſet; tamen, cùm tempus ſex menſium illius indictioni, vniuſque anni exordio præſcripſiſſet, nil aliud eſſe dicebat, quàm in meſſem Pontificis falcem miſiſſe, primaſque partes agere, Pontificem verò ſuum Miniſtrum conſtituere.

CONFVTATIO.

QVÆ malignè nimis per authorem dicuntur, cum iam de *Concilio celebrando* inter Pontificem, & Caro-

Carolum Bononiæ actum fuiſſet, vt iam ex Guicciardinio, & Fonteno probauimus: & immò Guicciardinius præciſè inſuper addat in ſuo lib.20. *Clementem ſeſe Cæſaris ſententia permittere oſtendendo, ſtatuiſſe annuere Concilij indictionem per eum in Comitijs polliceri, dummodò in Italia celebraretur*: Ex quibus perſpectiſſimum eſt, Cæſaris promisſionem de Concilio indicendo, nonniſi, Pontifice ipſo auctore, factam fuiſſe.

Ex quo etiam per conſequens patet, Clementem, ſi poſteà omnes illicò Reges, & Principes de deliberatione illa certos fecit, illos, vt Concilio asſiſterent, hortando, id non ab eo factum fuiſſe (quemadmodum malignè inquit pag. 55.) *vt illius ſeſe deliberationis authorem per ſpeciem oſtenderet, reſque minori eius exiſtimationis iactura tranſigeretur*; Sed vt propriam tantummodò deliberationem executioni mandaret.

Addit etiam eadem pag. 55. Pontificis Miniſtros operam dediſſe, vt dictæ Clementis epiſtolæ vbique omnibus innoteſcerent, non quia ipſe, aut Romana Curia animum reuera Concilio adijcere vellent, aut cuperent; ſed, vt proxima abuſuum, errorumque correctione populorum expectationem tenerent, & ita in obedientia perſiſterent. Quæ ſunt nugæ, cum pag. 48. enucleatis verbis teſtetur, *Sanctitatem eius compertiſſimum habuiſſe, non potuiſſe cunctationem niſi perniciem, periculumque maius afferre*: & iam ipſi Cæſari dixiſſe retulerit eadem pag. 48. *Principes, & Magnates, non pietatem ſpectare, ſed quonam pacto bonis Eccleſiæ potiantur, & abſoluta poteſtate fruantur, nihili aut parui Cæſaris auctoritatem faciendo, quorum adhuc plures ab ea contagione illæſos ſeruari, quia nondum arcanum animaduertiſſent, quo ab omnibus perſpecto, eundem omnibus ſcopum fore*: cum etiam pugnet cum eo, quod dixit pag. 17. nempè, Leonem Pontificem perpendiſſe, *obedientiam eò magis ruere, quò plus Synodus differatur, quæ non alio remedio reſtitui poſſit.*

Digitized by Google

19. Aduerſus Indictionem Concilij, Proteſtantium litera.

HISTORIA.

PAg. 55. Proteſtantes ex his Pontificis literis occaſionem, & ipſi Regibus, & Principibus ſcribendi anno ſequenti ſumpſerunt, ſingulis eorum per epiſtolas cōmuni omnium nomine menſe februario ſcriptas, ſignificando, notam ipſis eſſe veterem hominum piorum querimoniam in vitia Eccleſiaſtica, per Ioannem Gerſonem, Nicolaum Clemangium, & alios in Gallia, Ioannem Collectum in Anglia, & per alios alibi notata, quod etiam his proximis temporibus accidiſſet in Germania ex occaſione deteſtabilis, & infamis lucri nonnullorum Monachorum, qui indulgentias vulgabant.

CONFVTATIO

HIſtoriæ Galliæ, ſuperius allegatæ, hanc Proteſtantium epiſtolam in primo libro recenſentes, dicunt, *eos 6. Februarij* 1531. *Regibus Galliæ, & Angliæ ſcripſiſſe quò ſeſe ab eis purgarent, quæ eorum Aduerſarij in eos, eorumque religionem obijciebant.* Vnde querimonias, quas Polanus in dictis Epiſtolis addit, ab eo commentas eſſe patet; præſertim cum illæ, quas recenſet, iam ſopitæ eſſent. Et nullo pacto dicere potuiſſent, homines pios his temporibus queſtos fuiſſe ob indulgentias; quandoquidem Lutherus idem (ex eius relatione pag. 73.) dixiſſet Vergerio, *ſe adVſque tempora Leonis X. nonniſi indulgentiarum abuſus animaduertiſſe.* Nam ſolum ergo Lutherum, non homines pios ea animaduertiſſe docet. Qui quidem prior queſtus fuit, non quia illos ægrè ferret abuſus; ſed ob queſtum ſibi ereptum, vt Auctor docuit. Nam

vti-

Vtiquè pij homines queri non potuiſſent Pontificem, ob vrgētisſimas eas totius Chriſtianitatis neceſsitates, quas paulò ante in notis ad pag.3.recenſuimus, ad opem, in tanto Reipublicæ diſcrimine, ferendam, Indulgentias euulgaſſe; quando, vt oſtendimus, non alia de cauſa per Leonem publicatæ fuiſſent, quàm pro expeditione in Turcas,

HISTORIA.

SEcundo, Et proſequendo epiſtolam, ait: Proteſtantes addidiſſe, eorum aduerſarios in id intentos eſſe, vt varijs calumnijs Cæſarem, alioſq; Reges in eos excitent: quas calumnias, quemadmodum in Germania reiecerāt, itidem facilius in generali totius Orbis Concilio reijcerent; cui ſeſe permitterent; dummodò illud ſit, in quo, nec præiudicijs, nec affectibus locus futurus ſit.

CONFVTATIO.

VErùm, ſi Pontifex (quem nomine aduerſariorum deſignant) Cæſarem, & alios Reges in eos excitare intentus fuiſſet, non vtique de Concilio peragendo cum Cæſare condixiſſet, nec ad illud proſequendum, eas literas iam Principibus omnibus dediſſet, nec illud tandem indixiſſet. De armis verò in Hæreticos expediendis, idem Auctor docet, tunc ſolùm bellum per Cæſarem, ac Ferdinandum, faciendum fuiſſe, *cum remedijs Eccleſiaſticis, ſpiritualibuſque locus amplius non eſſet*. Et, ſi obiectiones, ſeu calumnias in Concilio generali reijcere volebant; cum de eo celebrando iam ſtatutum eſſet, cur non in illud conſenſerunt? Cur Martinus librum ſtatim de Concilio edidit, dicens, *non opus eſſe Concilio*? Nam, vt Fontenus in lib.12. recenſet, Marchio Brandeburgenſis in Comitijs Auguſtanis, Lutheranis reſpondendo

dendo dixit, optimè ſcire Lutherum, cum Vormatiæ eſſet, omninò Concilia contemnere, cum ab eo obtinere non potuiſſet, vt ſeſe Concilij determinationi ſubijceret, quod propediem celebrandum eſſet, quorum authoritatem, atque exiſtimationem ſcriptis apud populos minuere nunquam poſteà prætermiſerit.

HISTORIA.

TErtio Inter calumnias ſibi impoſitas, eam præcipuã eſſe, per eos Magiſtratus damnari, legumque Maieſtatem minui: quod, non ſolùm verum non ſit; ſed immò (vt in Comitijs Auguſtanis oſtenderunt) eorum doctrinam honorem Magiſtratibus deferre, legum vim validius, quàm in alijs vnquam ætatibus aſſerere, oſtendendo Magiſtratibus, ipſorum ſtatum, illudque vitæ genus Deo gratiſſimum eſſe, populiſque prædicando, honorem, & reuerentiam Magiſtratibus deberi; ex præcepto diuino, nec impunes fore contumaces, cum Imperium ex precepto diuino Magiſtratui deferatur.

CONFVTATIO.

QVæ quanta impudentia, & falſitate iactarint, facilè Auctor in eademmet pag. oſtendit, dum per totam Germaniam Imperialis decreti notitia delata, & accuſatione illicò in eos, qui nouæ religioni adhærerent apud Cameram ſpirenſem inſtituta, multiſque Fiſco attributionibus, in Principes, Vrbes, ac priuatas perſonas factis, ait, *nulli prorſus locum fuiſſe, niſi contrà aliquos, quorum bona in Catholicorum ditione extitiſſent; cum cæteri magno, non tam Cameræ, quàm ipſius Cæſaris dedecore, ſententias omninò ſpreuiſſent: & Principes, & Ciuitates Proteſtantes* (præter id, quòd iudicia Cameralia paruifacerent) *interſe fædere iuncti, ſeſe defenſioni paraſ-*

paraſſent, & externis etiam auxilijs, & clientelis itidem cõmuniſſent: Quibus profectò exemplis, re ipſa vnà ſimul oſtendebant, & prædicabant, an ex precepto Diuino obedientiam, ac reuerentiam, Magiſtratibus, & Principibus reuera deferrent.

HISTORIA.

AC demum concludunt, ipſis ſe Regibus, ac Principibus perſcribere, quia, cum authoritate polleant, intercedere apud Cæſarem velint, vt quam primùm, ad vtilitatem Eccleſiæ, Concilium pium, ac liberum in Germania cogat, eò vſque abſtinens à vi, quò res agitata, ac legitimè definita ſit.

CONFVTATIO.

EX quo ſuam in Cæſarem, & Eccleſiam contumaciam magis aperiunt, cum iam Cæſar illis (vt dixit) *Concilium iafrà ſex menſes indicendum, & intra annum incipiendum promiſiſſet*: & iam Pontifex, ea de re, illas Principipibus ſcripſiſſet epiſtolas, quarum occaſione Proteſtantes hæc eiſdem Principibus ſcripſiſſe recenſet.

20. *Nouitates ab altiori cauſa, quàm ab opere Zuinglij, ac Lutheri proceſſiſſe.*

HISTORIA

PAg. 57. Zuinglio, & Ecolampadio mortuis, ait, Catholicos vtriuſque obitum Diuinæ prouidentiæ aſcripſiſſe, quæ Nationem Helueticam miſerata, diſcordiæ miniſtros ſuſtuliſſet, ac mulctaſſet: addens, pium equidem, ac religioſum eſſe euentuum diſpoſitionem ſupernæ prouidentiæ tribuere, ſed ad quem finem ab ea dirigan-

rigantur decernere, parum à temeritate diſtare: & quæ poſt illa tempora euenerint oſtendiſſe, poſt horum duorum exitum, Pagos Euangelicos appellatos, magis in doctrina, quam receperunt, profeciſſe; quod certiſſimum argumentum ſit, illa ab altiori cauſa, quàm ab opere Zuinglij prouenifſe. Quemadmodum, & mortuo Luthero, ait pag. 144: quæ poſteà vſque ad noſtra tempora conſecuta ſunt, aperuiſſe, Martinum vnum tantummodò è Miniſtris fuiſſe; cauſas verò alias potentiores, ac magis reconditas extitiſſe.

CONFVTATIO

Ipſa Diuina Sapientia, quæ docuit *neceſſe eſſe, vt ſcandala veniant*, dixit itidem, *væ homini illi, per quem ſcandalum veniet*, vt doceat, Deum ſcandalorum auctorem non eſſe, licèt ea toleret. Quarè nimis impiè Polanus nouos hæreticorum errores, & ſcandala Deo tribuere, ex eo potiſſimùm ſatagit, quia in aliqua ſeſe regione diffuderint, aut progreſſus fecerint. Nam ex hoc nimis abſurdè aſſumendum eſſet, alias etiam hæreſes, quæ ſeſe præteritis ſeculis ampliſſimè diffuderunt, immò nefariam ipſam Mehemeticam Sectã à Deo ſimiliter fuiſſe. Sed ex argumento Polani, quemadmodum inferri poteſt, Doctrina Catholica, a ſuo exordio, ad hæc vſq; tempora, per mille ſexcentos, & amplius annos, ſemper manſit, ac viguit, & per totum Orbem terrarum, feliciter ſemper propagata fuit, & adhuc propagatur, ergò eſt à Deo; ita etiam concludi poteſt, vna tantùm doctrina eſt à Deo: hæc non niſi Catholica eſſe poteſt, cum à ſuo primordio adhæc vſque tempora perpetuò ſemper creuerit, & profecerit; adeò vt portæ inferi nunquàm præualere potuerint aduerſus eam, nec eam hæretica vnquam corrumpere prauitas, nec pagana potuerit ſuperare perfidia; ergo nulla alia, quæ illi aduerſetur eſſe poteſt

teſt à Deo. Præſertim quia omnes aliæ, vel deſierint; vel in alias Sectas degenerauerint, vt Lutheranam præcipuè, quam Zuinglius, & Ecolampadius profitebantur, feciſſe, omnibus perſpectiſſimũ eſt, & Vergerius ipſi Luthero dixit loco ſupra notato: & Illyricus perhibuit, qui *nullum iā purum Lutheranum inueniri* affirmauit.

21. Conditiones, quas recipiendas non eſſe ſciebat, Clemens, pro Concilio celebrando, propoſuit.

HISTORIA.

PAg. 58. Clemens, qui Concilium omninò reſpuebat; requiſitus à Cæſare, cum apertè negare non poſſet, aſſenſum præbuit, ſed ea ratione, quam ſciret ab omnibus reſpuendam fore; proponendo ad illud celebrandum aliquam è Ciuitatibus ditionis Eccleſiaſticæ, vel Mantuam ex electione Germanorum, quibus etiam plenum, & amplum ſaluumconductum pollicebatur: & circà rationem rerum in Concilio definiendarum, dicens, de illa agere neceſſe non eſſe, cum in hoc diffi cultas eſſe non poſſet, ni tamen nouam Concilij formam, præter conſuetam ſemper in Eccleſia, inſtitui vellent.

CONFVTATIO.

QVas conditiones Pontifex propoſuit, non ob illum finem, quem ei Polanus calumnioſè tribuit: Sed quia res aliter expediri non poſſet. Nam, circà rationem agendi, vtiquè re cedi non poterat ab vſu perpetuò in Eccleſia ſeruato: &, cum locus opportunus, & tutus eligendus eſſet, nonniſi Italia eligi potuiſſet, cum in Germania Proteſtantes ipſi Cæſari præualerent (vt oſtendit pag. 56. per ea verba, quæ paulò ante recenſui-

mus in notis ad pag. 55. numero 3.) quandoquidem, præter Iudiciorum Cameralium contemptum, & mutua inter ſe hæreticorum fœdera, quæ auxilijs etiam externis munierant, ſic Cæſarem paruifaciebant, vt hoc eodem tempore (vt refert hac eadem pag. 58.) Lantgrauius Haſſiæ Ferdinandum Regem Ducatu VVitembergico vi expoliauerit: & Proteſtantes contumaciter renuentes ſubſidia conferre aduerſus Turcas, qui imminebant Germaniæ, Cæſarem ipſum ad eis pacem publicam religionis dandam coegerint. Si enim Proteſtantes adeò Cæſari prçualebant; an potuiſſent cæteræ nationes illic eam Synodum habere, in qua de eiſdem Proteſtantibus damnandis agendum eſſet? eòque magis, quia nec in ipſo Cæſare, ſi viribus etiam præpolluiſſet, ſatis tutelæ eſſet, cum non alium illi ſcopum fuiſſe auctor referat pag. 76., quàm *Concilio (omni Pontificia obedientia reſtituendæ conſideratione poſthabita) ad ſuas duntaxat machinationes in Imperio Germanico ſuis hereditarium faciendo, abuti*. In quem finem, quæ ipſi non placuiſſent (illo congregato) ſe ex arbitrio euerſurum eſſe non dubitabat; & alia in Pontificem grauiſſima per Synodum moliretur, quæ Auctor ſupra pag. 35. recenſuit.

Quarè, cum nulla omninò ſecuritas in Germania eſſet: & Gallia, & Hiſpania; tum Germanis; tum ſibi inuicem ſuſpectæ eſſent; vtiquè nonniſi Italia: & in ea, ſola Pontificia ditio erat, vbi res ſtatim, nullo negocio, perfici potuiſſet. Nam, vt experimento comprobatum fuit, nec Dux Mantuæ ſuam Ciuitatem: nec Veneti Vicentiam, etiam poſt longam negociationem, multiſque arduiſſimis conditionibus requiſitis, concedere voluerunt, vt Author narrat. Et, cum Pontifex, ad difficultates tollendas, quæ alibi neceſſariò occurriſſent, propriam ditionem, idoneamque ſimul cautionem exhibuiſſet: quod nam certius de ſyncera illius mente argumentum?

Vt

Vt etiam ex alijs conditionibus, ab eo propoſitis, patet. Cum enim, circà rationem rerum in Synodo definiendarum, *ab vſu perpetuò in Eccleſia ſeruato* recedere nollet, vt inquit pag. 58. profectò, non ſolùm æquiſſimam; ſed neceſſariam conditionem proponebat. Quid enim ęquius quàm perpetuis præteritorum omnium ſeculorum veſtigijs inſiſtere? Et quid iniquius, quàm antiquis; ac perpetuò ſeruatis ritibus poſthabitis, noua, & anteà nunquam audita inducere; nempe Proteſtantes Laicos vocem; tum conſultiuam; tum deliberatiuam in Concilio habere, vt poſtulabant? At enim quando reis vnquam permiſſum fuiſſe legitur, poſt damnationem, Tribunal, ad ius in propria cauſa dicendum, conſcendere? Et quandò vnquam Laicis vocem in Concilijs habere permiſſum fuit: vel de rebus Eccleſiaſticis protulerunt ſententiam; aut legem in Eccleſia dixerunt? An non profectò ſatis eis factum eſſet, ſi poſt damnationem, nihilominus admiſſi, atque auditi fuiſſent? vel ſi Pontifex, res à ſuis prædeceſſoribus, tanta maturitate, & conſultatione ſtatutas, iterum in contentionem (vt eis indulgeret) vocari ſiuiſſet, vt Clemens, de begnitate Apoſtolica, annuebat?

Petebant etiam Proteſtantes, res, ex ſola ſcriptura Diuina, decerni, quod eo conſilio faciebant, ne res vnquam ad exitum perduceretur. Cum enim Sacra Scriptura proprios ſenſus declarare per ſe nequeat; vtique ex ea ſola, difficultates enodari non poſſe certiſſimum eſt: & neceſſe eſt ideo Sanctos Patres conſulere, qui eam diuinitus edocti, expoſuerunt: Ad Romanos Pontifices, Petri ſucceſſores, pro cuius fide Chriſtus rogauit: & ad ſacra Concilia, quibus Spiritus Sanctus affulxit, accurrere. Nam Sancti Patres (vt Legatus, & Præſidentes dixerunt, pag. 357.) *non aliud fundamentum ponunt, quàm Sacram Scripturam*: & Deus ipſe ad difficultates enodandas, non Reges, aut Principes, ſed ſolos *Sacerdotes* conſtituiſ-

ſtituiſſe, declarauit, vt re ipſa oſtenderunt Apoſtoli dicentes, *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*. Et, ſi, nonniſi ex ſola ſcriptura decernendum eſſet; quonã pacto quęſtio de Circumciſione Gentilium dirimi potuiſſet; cum eos circumcidendos non eſſe nulla ſcriptura decernat? Et cur etiam traditiones non ſcriptæ reijcidebent, quas recipiendas eſſe Concilia generalia decreuerunt? Cum namq; multa ex ſola traditione credantur (vt Author ipſe, ex aliorum tamen aſſertione refert pag. 440;) ex ſola etiam ſcriptura decerni non poſſent. Quarè, quemadmodum patet, Lutheranos, qui noua, & anteà nunquam audita petebant, rem nunquam terminari voluiſſe; ſic è contrà neceſſariò dicendum eſt, Pontificem, qui conſuetudini perpetuò in Eccleſia ſeruatæ inſiſtebat, Conciliũ reuera promouiſſe, expeditionemque verè ex animo deſideraſſe.

22. *Pacem religionis Cæſarem Proteſtantibus iniſtè didiſſe*.

HISTORIA.

PAg. 60. Cum Cæſar pag. 59. pacem religionis Proteſtantibus publico decreto dediſſet, ait, de hoc decreto, varia vbique iudicia fuiſſe. Alij commendabãt pietatem, ac prudentiam Cæſaris, cum periculum ex armis Turcharum, qui de directo religionem oppugnant, Chriſtianis imminens, alijs rebus anteruliſſet, cum eis reſiſtere non potuiſſet, ni Proteſtantes itidem Chriſtianos (tametſi in aliquibus præcipuis ritibus ab alijs diſcrepantes, quæ diſcrepantia tolerabilis eſt) tutos reddidiſſet. Axioma adeo Romæ decantatum, plus hæreticos, quàm infideles armis perſequendos eſſe, dominio equidem Pontificio, non autem Chriſtianitatis beneficio conſentaneum eſſe.

CON-

CONFVTATIO.

SEd, & hęc, & quæ ſubdit, nonniſi deliramenta ſunt. Nam primùm, ſi religionem Chriſtianam (nèpè Catholicam, ſeu Romanam) de directo oppugnant, qui in ſuis ditionibus nullum ipſius exercitium permittunt; hęretici, ſed præſertim noſtri temporis Sectarij, eam verius, quàm Turcæ de directo oppugnare dicendi ſunt, licèt ſibi de nomine Chriſtiano blandiantur; cum Turcæ in ſuis regnis publicum eius exercitium permittant, quod non faciunt hæretici, vt docet Auctor pag. 54. qui, nec priuatum eius exercitium in ſuis Terris admittant, & vbi prænalent, & Sacerdotium, & ſacramenta, & ſacrificium, & quodcumque veræ Religionis veſtigium abolenerint; adeò vt parum differant ab Atheis; & Turcæ (vt Cardinalis Farneſius, ex relatione Polani pag. 89. Cæſari dixit) *in id intendant, vt corpora tantummodò, hæretici verò vt corpora ſimul, & animas in ſeruitutem pertrahant.*

Axioma verò illud, non eſt Romæ duntaxat, ſed per totum vbique Chriſtianum Orbem decantatum, illudque ſemper Eccleſiæ Patres, & Doctores omnes aſſeruerunt, ac docuerunt, & ſufficiat pro omnibus, Apoſtolos ipſos adeò hæreticos vitandos eſſe, voluiſſe, vt ne quidem eis, *Aue*, dici permittant. Qui quidem, cum ea preceperunt; profectò de Romanæ Curiæ commodis cogitare non potuerunt, quæ adhuc in rerum natura non erat.

Quod Axioma, quàm publicæ tranquillitati accomodetur, ſatis experimento probamus, cum Sectarij, ac Nouatores, vtpotè qui non de religione, ſed de Imperio ſolliciti ſunt, obtentu religionis nunquam à nouitatibus, & ſeditionibus ceſſent, vt docent miſeræ illæ Prouinciæ, quas illa peſtis inuaſit. Turca pluries quidẽ Germaniam, aliaſque Prouincias aggreſſus eſt, breui quieuit, diſceſſitque. At exortis religionis motibus, quod nam tem-

temporis momentum quietum adhuc Germania habuit? & quòuſque hæretici in Belgio, & in Gallijs viguerunt, quiſnam vnquam modus calamitatibus fuit? Quis earũ Prouinciarum excidia, cædes, populationes, incendia numerare poſſet? Quare Auctor idem (pag. alibi ſupra notata 404.) negari non poſſe expreſſiſſimis verbis perhibet, quin executiones à Philippo II. Rege Catholico rigidè contra hæreticos factæ in cauſa fuerint, *vt ea regna tranquillitate fruerentur, dum alibi cuncta ſeditionibus flagrarent.* Melius vtique Germaniæ conſultum eſſet rem cum Turcis, iniquis etiam conditionibus componendo, quàm, pace religionis cum hæreticis conſtituta, tempus naſcenti hæreſi radices altius figendi permittendo. Si namque leunculis nullum creſcendi ſpatium dediſſent, eos poſteà in ſe, Germania ſæuientes non vidiſſet. Quo quidem exemplo ſatis ſuperque inſtruimur, ab omni ratione diſcrepare, quod Auctor, non minori impietate, quàm leuitate ſubdit; nempè, *tempora ſubſequentia documento extitiſſe, ac perpetuò fore eam Cæſaris deliberationem, tàm humanis, quàm Diuinis legibus omnibus conſentaneum extitiſſe.* Quæ enim leges inter politicas, & humanas, diuiſiones, quæ ſeſe inuicem oppugnent, in religione admittunt? & quæ etiam inter Diuinas, ſi *omne regnum in ſeipſum diuiſum, ex neceſſitate deſolari*, idem veritatis Auctor affirmat? Et vbi nam hæc magis elucet veritas, quàm in calamitatibus, quæ ea de cauſa Imperium poſtmodum Germanicum funditus propemodum euerterunt? ſi itaq; Carolus, obſiſtendo principijs, opportunè diuiſionibus in religione obijcem poſuiſſet; an ſibi, ac populis ſuis; an vnius verò Romanæ Vrbis commodis conſuluiſſet, vt Polanus inſulſiſſimè ait? Quibus ineptijs alias ineptias addit, quæ ex ſe patent, nec elucidatione indigent.

Digitized by Google

23. Deliberationi, nullum habendi Concilium, Pontifex inſiſtit.

HISTORIA.

PAg. *61*. Cæſar illud requirebat Concilium, quo Germaniæ malis ſuccurri poſſet, quod eſſe non poterat, ni Proteſtantes in eo partem haberent. Pontifex in eadem deliberatione nullum Concilium habendi inſiſtebat, vel ne ſaltem, ſi id neceſſitas vrgeret, extrà Italiam celebraretur, neue in eo ſuffragiorum ius eſſet, niſi quibus Pontificio iure competit. Cuius voluntati Cæſar acquieuiſſet, ſi qua ratione Proteſtantes ea probaſſent: vtque id Pontifex certum haberet, Nuncium per eundẽ Pontificem in Germaniam mitti, ſe verò Legatum, ad formam, modumque his difficultatibus inueniendam, miſſurum propoſuit, pollicendo, Legatum ſuum à voluntate Nuncij minimè diſceſſurum eſſe. Quam conditionem Pontifex recepit, licèt non omninò Cæſari acquieſceret, haud dubius, Carolum; ſi hæ legationes caruiſſent effectu, non omiſſurum, quin ſatis Germaniæ fieret: & ex tunc Gallo iungi ſtatuit, vt eius ope, Cæſaris quandocumque propoſitionibus obſiſteret. Àddens pag. *64*. dum hæc agerentur, Pontificem, qui ea, quæ Germani reſponſuri eſſent præuidebat, quique iam Bononiæ parum ſpei ex Cæſare conceperat, ab eius omninò amicitia diſceſſiſſe, quia in cauſa inter ſe, & Ducem Ferrariæ a biter, conſtitutus, ſecundùm Ducem pronunciaſſet: Eiſque de rebus ſe fœdere Gallo iunxiſſe, idque etiam ſponſalibus Henrici ex Regijs filijs ſecundi cũ Catharina Medicea eius Pronepti firmaſſe, ad eaque complenda, ſe, cum Rege congreſſurum, Maſſiliam contuliſſe. Cuius itineris cauſam (cum ab omnibus, vtpotè ſola propriæ Domus commoda, non aliquod bonum publicum

blicum reſpicientem, repræhendi acciperet) cohoneſtabat, dicendo, ſe iter inſtituiſſe, Regi perſuaſurum, vt Concilio, ad Lutheranam hæreſim abolendam, faueret. Addens, in eo loco Pontificem, præter alias tractationes, officijs apud Reges inſtitiſſe vt cum Proteſtantibus ageret, & cum Haſſiæ præſertim Lantgrauio, qui Regem propediem illuc conuenturus erat, quò à Concilij petitione deſiſterent, eis proponendo, vt quauis alia ratione de diſſidijs componendis peragi vellent, ſuamq; ampliſſimè operam, ac fidem ſuo tempore polliceretur.

CONFVTATIO.

QVæ ſunt mendacia. Nam Guicciardinus ea de re loquens, ait lib. 20. *Clementem nullas conditiones cum Rege ſtatuiſſe, vt Cęſar & alij crediderunt.* Immò ſubdit, *inter Pontificem, & Imperatorem mutuam obligationem fuiſſe, nullas nouas conditiones, aut fœdera cum Principibus, citrà mutuum aſſenſum ineundi.* Vt magis patet ex Thuano, qui in ſuo primo lib. apertiſſimè itidem inquit; *At Pontifex, qui pace cum Cæſare contracta, patriam; hoc eſt Florentinorum Rempublicam, euerterat, vt quod in prouerbio eſt, contrà noctem procelloſam duabus anchoris nauem firmaret, affinitatem etiam cum Franciſco contraxit; indictoque eo anno Mantuæ Concilio, Maſſiliam venit; & Catherinam Laurentij ex Magdalena Turria filiam, Henrico, ex Franciſci liberis ſecundo, in matrimonium tradidit.* Si enim Concilium iam per Pontificem *indictum erat* (vt ait Thuanus:) & Pontifex nullum cum Gallo fœdus ſtatuerat (vt perhibet Guicciardinius;) vtique patet, falſa eſſe, quæ Polanus dicit; nempè, & Clementem *in deliberatione euitandi Concilij perſtitiſſe: & ſe Gallo in eum finem iunxiſſe, vt eius ope, propoſitionibus Cæſaris de Concilio obſiſteret: & ea de re Maſſiliam contendiſſe: officijſque egiſſe, vt Proteſtantes à petitione Concilij deſiſterent: vel fœdus cum Rege, ea*

ge ea de cauſa, inſiſte: & alia omnia, quæ Pontifici, ad effectum euitandi Concilij, poſtmodum attribuit.

Repugnat etiam, Pontificem, ſi verè (vt ait Polanus) magis timebat Concilium Nationale, & Conuentus, & Colloquia religionis, quàm ipſum Generale Concilium, fœdera illa cum Gallo iunxiſſe. Nam ita Cæſari, ad ea facienda, non ſolùm ſtimulos addidiſſet; ſed neceſſitatem, quin etiam intuliſſet, cum dicat pag. 60. *Cæſarem Proteſtantibus promiſiſſe (ni Concilium haberetur) Conuentum cogere, vt ratio ſatis eis faciendi iniretur:* & pag. 68. *Cardinales perpendiſſe, cum Cæſar Concilium promiſerit, fidem eius promiſſionis tandem impleri oportere, cum alioquin periculum eſſet, ne Cæſar ad alia moioris pro Eccleſia iactura, ac detrimenti procedere adigeretur.*

Quarè, cum Concilium iam *indictum* eſſet, non potuerunt ea officia, (dato etiam, quòd reuera facta fuerint) ad eum finem dirigi, vt Proteſtantes deſiſterent à petitione Concilij; ſed, vt conditionibus potius, circà locum, & alia acquieſcerent, vt Pontificem etiam per ſuum Nunciũ petijſſe recenſet pag. 62. Et Clemẽtis quoque Succeſſorem (quem eãdem aſſumpſiſſe negociationẽ credibile eſt) itidẽ per ſuos Nuncios petijſſe refert pag. 75. præſertim quia penitus incredibile videatur, Pontificem, ſe adeo Proteſtantibus liberè, eo tempore, aperuiſſe, quo hęreticorum odia in Romanam Eccleſiam in augmento feruoris erant.

At licèt Polanus *Mantuanam Indictionem* omninò prętererierit, quia, cum effectu caruerit, omnem eius forſan memoriam perijſſe crediderit (Ex quo patet eum, vel diſſimulaſſe, vel non vidiſſe Thuanum, alioſque Auctores, qui de ea meminerunt, & ipſum Indictionis Diploma, quod extat) non ſic tamen cautus fuit, quin ex eius etiã verbis appareat. Siquidem recenſendo poſtmodum, quæ Paulus III, Clementis ſucceſſor, fecit, ait, pag. 72. *Propoſitio Nuncij ab eo miſſi* (nempè Vergerij) *continebat, il-*

lud tempus eſſe Concilij adeò deſideratum, cum Pontifex apud Cæſarem, alioſque Principes de illo ſeriò non vt alias per ſpeciem cogendo egerit: & Vergerium dixiſſe, Paulum, ne vlterius differatur, Mantuam eligere decreuiſſe, vt duobus iàm ante annis cum Cæſare ſtatutum fuerat. Nam ex his liquidò aperit, & Concilium aliàs, (hoc eſt tempore Clemẽtis) coactum, ſeu indictum fuiſſe: & duobus ante annis (nempè tempore itidem Clementis) de eo Mantuę habẽdo, cum Cæſare ſtatutum eſſe. Quod etiam malignè tacuit Polanus, recenſendo, quæ cum Cæſare eo tempore agitata fuerunt. Ex quo magis, magiſque inſtruimur, eius narrationem, non maiori prudentia, quàm fide compoſitam eſſe.

24. *Henrici VIII. Regis Angliæ cum Catharina eius Vxore Diuortium.*

HISTORIA.

PAg. 65. Vt Apoſtaſiæ Regis Angliæ culpam in Clementem reijciat, inquit: Hoc anno Pontifex Angliæ obedientiam amiſit, cum in quadam cauſa plus iræ, atque affectui, quàm prudentiæ tribuerit. Catharina Hiſpaniæ Infans Caroli V. Imperatoris Amita, matrimonio iuncta erat Henrico VIII. Angliæ Regi. Hæc in primo matrimonio nupſerat Arturo Valliæ Principi, fratri natu maiori Henrici. Poſt eius mortem, eorum pater, illam Henrico VIII. ſucceſſori, ex diſpenſatione Iulij II. Pontificis, vxorem tradidit. Hæc Regina pluries grauida, ſemper vel abortum, vel breuiſſimæ vitæ filios enixa erat, præter vnicam tantummodo filiam. Henricus, vel infenſus Cæſari, vel Maſculæ prolis deſiderio, vel ob quamuis aliam cauſam, matrimonium validum non eſſe ex religione veritus, re cum ſuis Epiſcopis expenſa ab vxoris congreſſu ſponte abſtinuit. Epiſcopi cum Regina, vt

na, vt diuortio annueret, officijs egerunt, aſſerendo diſpenſationem Pontificis, nec validam, nec veram eſſe: eaque recuſante, & ad Pontificem reclamante, Rex itidẽ apud eum pro repudio inſtat. Pontifex, qui adhuc profugus Vrbe veteri morabatur, & vtiles ſuis rebus conditiones ſperabat, ſi, & Gallus, & Anglus, ab auxilijs ſibi præſtitis non ceſſantes, negotium Cæſari in Regno Neapolitano facerent, Cardinalem Campeggium in Angliã dirigit, cui vnà cum Cardinali Eboracenſi cauſæ cognitionem delegat. Qui vnà, & Pontifex de ſententia tandẽ, ſecundum eum pronuncianda ſpem Regi faciunt: immò, ad deliberationem faciliorem reddendam, ne iudicij ſolemnia rem longius diſtraherent, etiam Breue conſtruitur, quo Rex ab illo matrimonio, clauſulis, quàm aliàs vnquam in aliquo alio Põtificio Diplomate ampliſſimis, ſolutus declarabatur: quod in Angliam ad Cardinalem, cum eis mandatis miſerunt, vt, probationibus nonnullis præmiſſis, quas nullo negocio faciendas fore certum erat, illud exhiberet: quod Anno 1528. contigit. Sed, cum Clemens ad ea, quæ aduerſus Florentiam moliebatur; commodius cenſuiſſet (vt ſuo loco narratum eſt) Cæſari potius, quàm Gallo, & Anglo adhærere, Franciſcum Campanam anno 1529. ad Campeggium mittit, qui Breue comburi, remiſſiuſq; in cauſa procedi mandaret. Qui rem primùm diſtrahere, ac dein eorum, quæ Regi ſpoponderat executionem difficultatibus implicare, cæpit. Vnde Rex, Iudicis cum ſuis Aduerſarijs colluſione agnita, Vniuerſitatibus Italiæ, Germaniæ, & Galliæ, cauſam conſultandam miſit, vbi Theologos, partim ſibi aduerſos, partim fautores habuit: Pontificemque demum cauſam ad ſe aduocaſſe concludit.

CONFVTATIO.

QVæ omnia, in his, quæ Pontifici tribuit, falſitate laborant,

borant, vt probatur auctoritate Franciſci Baronis Angli, qui in ſua hiſtoria Regni Henrici VII; eiuſdem Henrici VIII. patris, hęc pręciſiſſima verba habet pag. 120. *Quin, & Catharina nouam à Papa Bullam procurari fecit, ad matrimonium melius corroborandum, cum clauſula illa (vel forſan cognitam) quæ in priore bulla comprahenſa non erat. Datum etiam in euidentijs fuit, dum cauſa diuortij tractaretur, ſcomma quoddam facetum, &c.* Quo ſolo conuincitur, falsò aſſeri per Authorem (qui id quoque ex Guicciardinio forſan deſumpſit) illud *breue* Clementis, quo ait, Henricum declaratum fuiſſe ſolutum à matrimono Catharinę. Nàm, cum altera illa Bulla, cum clauſula (*vel forſan cognitam*) emanaſſet à Pontifice, & inſuper exhibita eſſet (vt ait) *in euidentijs* (hoc eſt in probationibus) in eadem cauſa diuortij; vtiqne Clemens non potuiſſet per aliud Breue, matrimonium illud auctoritate, ac diſpenſatione Pontificis factum, & iam ratum, & conſummatum, ſub eo prętextu irritum declarare, quia Catharina forſan ab Arturo primo viro cognita eſſet, (quod erat vnicum Henrici Regis fundamentum;) quandoquidem ſuper hoc etiam nominatim cum ea, per Pontificem, diſpenſatum eſſet: & Diſpenſatio in actis iudicialiter in eadem cauſa diuortij, exhibita.

Quod confirmatur etiam auctoritate Thuani, qui de aſſerto illo breui abſolutionis à matrimonio, in eius facti narratione, nullum verbum facit. Immò tergiuerſationem Clementis, eo in negocio, ſoli timori ex Cæſare tribuat, qui illo tempore victor, & potentiſſimus erat in Italia; ait enim libro primo, *miſſi Romam, ex VVolſai conſilio, Stephanus Gardinerus, & Franciſcus Brianus, qui Pontificiam auctoritatem diuortio interponi poſtularent: Clemens, qui ſecundum repudium pronunciare metueret, nec Henricum de ſe optimè meritum, quique defenſoris Eccleſiæ elogium à Leone X. edito contrà Lutherum libro, meruerat, irritare vellet, viam inuenit, qua ſe perplexo negotio expediret.*

diret. Laurentium Campeggium Cardinalem delegat, qui cum VVolſæo de cauſa cognoſcat. Campeggius, quantum poterat, litem, vt iuſſus erat, in longum extrahebat; cumque nondum pronunciata ſententia, de Lautraci deleto exercitu certior à Pontifice factus eſſet, qui victorem Cæſarem irritare tutum ſibi non exiſtimabat, poſt longas tergiuerſationes, & procraſtinationes, tandem ex Anglia, re infecta, non ſine magna Regis offenſione, diſceſſit: & rem infectam ex eo potiſſimùm reliquiſſe dicendum eſt, quòd ex illa bulla, cum clauſula (*vel forſan cognitam*) omnis difficultas circà validitatem matrimonij Henrici, cum Catharina penitus ſublata eſſet: nec poſſet Clemens rem ob diſpenſationem Pontificiam, legitimè, ac validè factam retractare, irritamue facere.

Quanti verò ſit in hoc facienda fides Baronis, non ſolùm ex eo patet, quia, cum eſſet Anglus, & res ſui Regis perſcriberet, illam bullam Catharinæ nihilominus non reticuit, ex qua factum, & memoria Henrici octaui damnabatur. (quod vtique non tuliſſet Rex idem Henricus VIII, cui librum dedicauit, ni verum fuiſſet;) ſed ex eo quin etiam, quia cum cauſa, iam auctoritate Apoſtolica, duobus illis Cardinalibus delegata eſſet, non poterat lis, niſi per ſententiam diffinitiuam dirimi. Nec opus ideò erat matrimonium *per breue* irritum declarari. Et quemadmodum ideò patet, Breue illud ab Auctore, ſeu à Guicciardinio commentum malignè fuiſſe, vt eius mali culpam in Pontificem Clementem reijcerent, eique, Regis *Apoſtaſiam* aſcriberent; ſic veram eius Apoſtaſiæ cauſam malitioſè reticuit; nempè veſaniam Henrici, qui Annam Bolenam, cuius amore deperibat, ſibi iungere voluit, vt notum eſt omnibus. Quod etiam fecit, vt Regem ab ea turpitudine aliqua ex parte eximeret.

75. Hen-

*25. Henrici à Sede Apoſtolica Apoſta-
ſia defenſio.*

HISTORIA

PAg. 67. De hac Regis actione variæ fuerunt hominū ſententiæ: alij prudenter actum putabant, quia, nulla in religione nouitate facta, euitatis popularium ſeditionum periculis, nec rem permittendo Concilio, à ſubiectione Romana ſe ſubtraxiſſet. Non enim percipi poterat, quonam pacto Concilium Eccleſiaſticis perſonis conſtans, Pontificiæ ſemper potentiæ non ſuffragaturum eſſet, quæ ipſorum Ordinis fulcimentum ſit; Cum, vnà cum Pontificatu, cuique Regi, atque Imperatori præferatur, ſine quo ſubiaceret; quandoquidem nemo ex Eccleſiaſticis, vno dempto Romano Pontifice, principatum cum ſuperioritate habeat.

CONFVTATIO.

QVod dicit, vt Apoſtaſiam Henrici defendat. Sed cum pag. 47. retulerit, *Pontificem reſpectu Epiſcoporum timuiſſe, authoritatem Pontificiam, ex celebratione Concilij, penitus labefactandam iri* (vt iam ſupra notauimus) ſatis Auctoris euincitur inconſtantia, cum pro arbitrio, ex eadem re, modò ſecuritatem, modò timorem Pontifici tribuat, & malignè omnia interpraetetur, vt facit etiam in eis, quæ hac de re ſubdit.

26. Circa formam Concilij nullis alijs conditionibus Pontifex aures præbere volebat, quàm quæ è re Romana eſſent.

HISTORIA.

PAg. 68. Pontifex, & maior Cardinalium pars, viden-

tes

tes impoſſibile eſſe, Lutheranos ad eam formam Concilij recipiendam trahere, quæ è re Romana eſſet, nullis alijs conditionibus aures præbere firmiter decreuerunt.

CONFVTATIO

Contrarium tamen poſtmodum oſtendit, cum immemor pag: 70. dicat, *in Conſiſtorio die 16. Ianuarij 1535. decretum fuiſſe Nuncios ad Cęſarem, alioſque Principes Chriſtianos allegare, expoſituros, Pontificem, & Collegium Concilium omninò celebrare decreuiſſe*. Inter quos Nuncios Vergerium fuiſſe addit, *in Germaniam magis peculiari mandato remiſſum, vt mentem Proteſtantium, circa formam in Concilio agendi, exploraret, quò, qua neceſſaria in ea re eſſent, perpenderent*. Nam ſi *Proteſtantium mentem* circa formam in Concilio agendi explorare, & *rem perpendere* volebant, non firmiter ergò decreuerant, *nullis alijs conditionibus aures præbere*, vt Auctor malignè ſupponit.

27. *Cardinales Sede vacante, eo animo iurant, vt ad Pontificatum aſſumpti, pactis non ſtent.*

HISTORIA.

Pag. 69. Sede Vacante mos eſt Cardinalibus modulum quendam formare pro reformatione gubernij Pontificis, quem omnes ſeruare iurent, ſi aſſumantur ad Pontificatum; licèt ex omnibus præteritorum temporum exemplis, conſtet, quemque eo animo iurare, vt, ſi aſſumantur, pactis non ſtent, & ſtatim creatos, ſe ab illa obligatione eximant, Pontificatuſque acceſſione ſoluant,

Digitized by Google

CONFVTATIO.

CVI aſſertioni, vel ex eo contradicit (ne à re noſtra diuagemur) quòd appoſitam in eis capitulis conditionem, *Concilij celebrandi*, ab omnibus religioſiſſimè obſeruatam fuiſſe, perſpectum in ſua narratione, & præſertim in hac eadem pag. faciat, quamuis etiam pacta iuramento firmata non eſſent.

28. *Paulus III. Concilium velle ſimulabat.*

HISTORIA.

EAdem pag: *69*. Paulus III. inter omnes alias ſuas virtutes, nullam magis, æque ac diſſimulationem faciebat. Concilium, vt Clementem, non timere oſtentabat; immò in ea ſententia erat, vt eius omninò habendi voluntatem, deſideriumque ſimulare, Pontificatus rebus conduceret, &c. Ideòque ſtatim creatus propalauit, ſe, tametſi pacta, Sede Vacante à Cardinalibus facta, iuramento firmata non eſſent, illud nihilominus de conuocatione Concilij, obſeruare ſtatuiſſe, quod id in Dei gloriam, & Eccleſiæ beneficium eſſet.

CONFVTATIO.

SEd hæc non per ſimulationem, aut oſtentationem, eũ dixiſſe, ſtatim rebus ipſis aperuit, vt docet Author, illicò ſubdens pag. 70; *in Conſiſtorio 16. Ianuarij 1535. deliberatum fuiſſe, Nuncios ad Cæſarem, alioſque Chriſtianos Principes allegare, expoſituros, Pontificem & Collegium Cõcilium omninò, ad vtilitatem Chriſtianorum celebrare decreuiſſe, eoſdemque, vt fautores adeſſent hortando, ac tempore cele-*

celebrationis, vellent quietem, tranquillitatemq; tueri.

Vt adamuſſim per Pontificem ſeruatum, re ipſa fuiſſe aperit, quandò, ex Auctoris relatione pag. 71. cum omnibus Regibus, ac Principibus, eam rem agitauerit: & 75. cum ipſo Cæſare ſtrictè egerit, qui ſeſe idcircò, data opera, Romam contulerat, deque Concilio indicendo inter ſe condixerant; & pag. 97. & 101. promiſſa poſteà, iteratò, Lucæ, & Buſſeti conuenientes, rata habuit, Nunciosque illicò, nulla interpoſita mora, non ſolùm ad omnes Principes, ſed ad ipſos quin etiam Proteſtantes, miſiſſet, vt fusè narrat pag. 71. 73. 74. 79; & ad Conuentũ Spirenſem pag. 98. Vbi etiam Vrbem Tridentinam pro crelebratione, ſpontè propoſuit, quò Proteſtantium petitionibus annueret, qui (vt ait pag. 75. & 78.) *locum in finibus Imperij* flagitauerant; quæ recepta fuit.

Quibus argumentis, Paulum ſatis, ſuperque declaraſſe liquet, ſe non ſimulatè, aut per ſpeciem; ſed reuera voluiſſe Concilium. Præſertim, quia illud ſimulandi tempus non eſſet, cum Cæſar iam Proteſtantibus promiſiſſet, *ſe, ni Concilium obtineri poſſet, Conuentum ad differentias religionis componendas, indicturum eſſe*, à quo Pontifices magis, quàm à Concilio abhorruiſſe perhibuit locis alibi ſuprà relatis.

Et irrefragabiliter ex eo quin etiam confirmatur, quia locum celebrationis, non alia de cauſa pluries mutauerit, quàm vt ſatis Germaniæ Principibus faceret, vt alibi ſuprà, teſtimonio Thuani, probauimus. Ex quo ſatis etiam colligitur, quàm malignè Polanus pag: 70. dixerit, *in Inſtructione magis arcana Nunciorum fuiſſe, vt, circà locum, Principum mentem, ſua dexteritate explorarent, quò ſingulorum ſcopo, rebuſque perſpectis, eos inuicem opponere poſſet, adhòc vt eos impediret, ſuumque finem aſſequeretur.*

Et, cum Concilium celebrari non poſſet, ni Cæſar, & Chriſtianiſſimus, (Chriſtianitatis eo tempore arbitri)

concurriſſent, quod fieri non poterat, ni prius inter ſe conciliati eſſent; certiſſimum optimæ voluntatis Pontificis argumentum ſit, quòd Thuanus (cui, & alij ſubſcribunt) referat, *Paulum, Niceæ cum Franciſco congreſſum, decem annorum inducias, quò Concilium celebrari, & bellum aduerſus Turcas commodius inſtrui poſſet, inter Cæſarem, & Franciſcum firmaſſe: & conſilia pacis, ſemper amplexum fuiſſe, nec effœta ætate ſenem dubiam valetudinem committere mari dubitaſſe, quò duos Potentiſſimos Principes inter ſe conciliaret, eaque de cauſa poſteà Lucam, & Buſſetum ad Cæſarem, quamuis irrito ſucceſſu, veniſſe*, vt etiam Auctor pag 97. recenſet. Nam ſi Concilium ſola eorũ Principum diſcordia præpediebatur; an non illud Paulus ex conſequenti promouebat, dum concordiam inter eos, tot ſuis laboribus, & per ſe, & per ſuos Miniſtros ſerere ſtudebat, vt etiam pag. 100. idem Auctor retulit?

Quibus, alijſque argumentis, quæ ſuo loco recenſebimus, liquidò patet, Paulum reuera voluiſſe Concilium, & de illo ſyncerè, ac verè celebrando cogitaſſe, & re ipſa egiſſe: impedimenta verò, non ab eo, ſed ex Proteſtantium tergiuerſationibus proueniſſe, qui nullo modo Concilium volebant: & ob Principes etiam, & bella, quæ Chriſtianitatem eo tempore afflixerunt, quæ Auctor idem fuſiſſimè declarat.

Siquidem, Proteſtantes inſiſtebant (vt ait 74.) Concilium in Germania celebrari, vbi non erat tutus acceſſus; tum quia Cæſari præualerent, vt iam probauimus; tum quia in Conuentu Smalcaldico (ad quem ſe contulit Nũcius Vergerius, vt Proteſtantes nomine Pontificis inuitaret) erant (ex relatione Polani pag. 74.) *quindecim Principes & 30. ſimul cum eis fœderatæ Vrbes*, præter exterorũ auxilia: & eò magis, quia, cum regio illa (vt Vergerius Proteſtantibus dixit pag. 72.) *Anabaptiſtis, Sacramentarijs, alijſque Sectis, plerumque dementia, & furore percitis abundaret, tutum alijs Nationibus non fuiſſet, in eum locum,*

ad

ad eorum doctrinam damnandam, conuenire, vbi ea multitudo potentiſſima erat: adeò vt idem Cæſar ex fide Polani pag. 117. dixerit, *in eum numerum Proteſtantes creuiſſe, vt vis eorum inſuperabilis eſſet.*

Nec ſe tueri poterant exceptionibus, quas loco per Pontificem deſtinato obijciebant, dicendo pag. 78. locũ contrà decreta Comitiorum Imperialium, eſſe: nec ſe, qualibet cautione accepta, illuc, citrà periculum ituros eſſe: cũ enim Pontifex per totam Italiam adhærentibus polleret, qui doctrinam Proteſtantium odio acerbiſſimò proſequuntur, inſidijs, occultiſque machinationibus ſubiacerent: & in Germania nota, aut conſueta, vt alibi, ea occulta conſilia, & clandeſtinæ fraudes non eſſent, quibus mortalibus parentur inſidiæ.

Nam Proteſtãtes locum (ex relatione Polani pag. 65.) *in Imperij limitibus petierant, Tridentumque ideò à Pontifice electum, acceperant*; Vbi nulla ſuſpicio, aut periculum eſſe poterat (quæ tamen calumnioſè prætexebant) cum in ditione Cæſaris, & ipſi ſub eiuſdem tutela eſſent.

De Mantua etiam dicebant, eadem pag. 78. nolle ſe de ſitu, & opportunitate ipſius digladiari, ſed cum bellum in Italia ſit, non poſſe ſuſpicione carere. De cuius Vrbis Duce ſatis ſit fratrem illi è primoribus Curiæ Cardinalibus eſſe.

Licèt de armis Italicis timere non poſſent, cum penès Cæſarem, & Regem Galliæ tantummodò eſſent, de quibus vereri non poterant; tum quia Cæſari maximè conduceret (ob ea, quæ maxima in Germaniam per Concilium moliebatur) Proteſtantes ad Concilium allicere, ibique tutos ſeruare; & publica eos fide, & quauis alia inſuper cautione (vt ait eadem pag: 71.) tutaretur; tum quia Gallus, ex Auctore pag: 75. ob vtilitatem propriam eis faueret, vt dicunt etiam hiſtoriæ Galliæ alibi ſuprà notatæ. Et ſi Dux Fratrem Cardinalem habebat; cur non magis perpẽdere Ducẽ ipſum Cæſaris feudata-

rium fuiſſe; adeòque illi intimè iunctum, vt Mediolani gubernium (hoc eſt ſui in Italia Imperij pignora) alteri Ducis fratri, eodem tempore cõmiſiſſet? Qui Dux erat inſuper à rebus Pontificijs alieniſſimus vt docuit, cum de ſua Vrbe, pro celebratione Concilij à Pontifice requiſitus, conditiones dignitati atque auctoritati Sedis Apoſtolicæ prorſus repugnantes requiſiuerit, quas idem Auctor pag. 79. recenſet.

Addebant quoque, Rempublicam Chriſtianam pio, ac libero Concilio indigere, ſeque ad huiuſmodi appellaſſe: nec aliud ſignificare, non agi prius de ratione, & forma, quàm quia libertas in eo futura non ſit, ſed cuncta auctoritati Pontificis deferri debeant. Quod nil aliud erat (vt eundem Imperatorem Proteſtãtibus reſpondiſſe ait pag. 122.) *quàm præuenire & de eo ſuſpicionem ſumere, quod non apparebat, & grauamina ex rebus futuris prætendere, eius rei iudicium faciendo, quæ nondum aderat.* Nam, licèt ſubdãt, cum iam Pontifex, toties eorum religionem damnaſſet, ſi Iudex futurus ſit, Concilium liberum non eſſet, & cum ipſe ſuorum opinionem, crudelibus etiam edictis defendens, partem litis ſuſtineat, æquum eſſet actionis rationem, & formam per Principes decerni; tamẽ Nuncij, per Pontificem ad Principes allegati, id præcipuè in mandatis habuerant, ex relatione Auctoris pag. 70. vt de ratione, & forma agerent; quæ vtiq; ſemper ab eiſdem Concilijs ſtatuta fuerunt. Quare de eis alibi, quàm in Concilio ſtatuere libertati illi penitus repugnaſſet, quam tãtop ere vrgere ſimulabant, & quam Principibus permitti volebant, qui eis de rebus nunquam, lege, aut priuilegio ſtatuere conſueuerant; tametſi nec eorum etiam determinationi acquieturi fuiſſent, edocti exemplo Lutheri eorum magiſtri, qui hortatus, vt ſe Cæſaris, Conuentuſque Imperialis iudicio permitteret, reſpondit (pag. 13. *Prophetam dixiſſe, non eſſe in Principibus, neque in filijs hominum confidendum, quorum iudicio nil minus, quàm*

diuinum

diuinum verbum permittendum eſſet.

Cumque Pontifex propoſuiſſet Concilium, *iuxtà morē in Eccleſia ſeruatum*, non ergò iudex ipſe eſſe volebat, cū notiſſimum ſit, iudicium in Concilijs penès Patres ſemper fuiſſe, vt nominatim in Tridentino perpetuò ſeruatum eſſe, iam patefecimus. Non ideò tamen à ſuis Legatis, & Nuncijs illuc de more mittendis, abſtinere debebat, quemadmodum, & alij itidem Principes ſuos Oratores mittebant, cum fas, aut æquum non eſſet, Concilium à ſuo capite ſeiungi, aut Pręſidentibus, per quos actio dirigeretur carere. Præſertim, quia ex Præſidentia illa, libertas nullatenus diminuta fuerit, vt fusè docuimus.

Dicebant item, Concilium non eſſe Tribunal Summi Pontificis, nec Presbyterorū tantùm; ſed omnium Eccleſiæ ordinum, etiam ſecularium; volentes laicos quoque contrà Ius, faſque, de rebus eis non proprijs, hoc eſt de cauſis religionis, & articulis fidei, decernere, quod ſolis Miniſtris à Deo conſtitutis competit, quibus ea poteſtas, non autem Laicis, data fuit à Chriſto.

Aequum etiam non eſſe, opponebant, Pontificem, & qui eidem iuramento ſint obſtricti, iudicies in Concilio eſſe: addentes, Pontifices, tametſi locum in Conſultationibus Imperatori concedant, nihilominus decernendi poteſtatem ſibi ſolis reſeruare: nec poſſe in iudicio Pontificis conſentire, quì nil aliud ſibi, quàm eorum doctrinam extirpare propoſuerit, quam hæreticam appellabat, vt in omnibus diplomatibus ſuis, etiam in quo indicebat Concilium, eam appellabat, dicendo, velle ſe hereſim Lutheranam extirpare, & in eos re ipſa animaduertens, qui eam profiterentur: nec locum accuſationibus in Pontificem, eiuſque adhærentes, fore, ſi Iudex eſſe velit: eiuſque Diploma approbare, nil aliud eſſet, quàm in eius iudicio conſentire: ideòque ſemper Concilium liberum, Chriſtianumque petijſſe; non tàm, vt cuique li-

berè

berè loquendi facultas ſit, & ab eo Turcæ, & infideles excludantur; ſed vt ij, qui iuramento, alijſque conditionibus ſibi inuicem ſunt obſtricti, non ſint iudices.

In quibus ſibi primùm contradicunt, cum repugnet, Pontificem ſibi ſoli in Concilio decernendi facultatem reſeruare, & Epiſcopos ſimul Iudices cum eo eſſe: & præter id, in nullo vnquam Concilio Pontifices ſoli Iudices fuerint, cum, præſente Pontifice, determinationes fiant *approbante Concilio*, ac præuia Patrum deliberatione, quamuis decreta ſolo Pontificis nomine, ſed tamen approbante Concilio, euulgentur, quando, Pontifice præſente, non deceat decreta, niſi per eum pronunciari, qui os Domini eſt.

Et Epiſcopi eatenus iuramento ligentur, quatenus nō repugnet legi Diuinę, vel, etiam in minimo, non lędat iuſtitiam, aut æquitatem, vt certum eſt ex ſacris Eccleſiæ Sanctionibus.

Cum verò doctrina Lutherana, propoſitionibus, iam alias, vt hæreticis damnatis, conſtaret, poterat etiam iuremeritò & hæretica appellari, eiuſque profeſſores, vt hæretici puniri.

Et, circà libertatem, cum prima conditio Concilij à Pontifice propoſiti eſſet (ex recenſione Auctoris) *vt cuilibet de rebus proponendis, liberè loquendi, & quæ proponenda eſſe viderentur, ſuggerendi facultas daretur*, qua conditione ſaluuſcōductus a Pōtifice exhibitus ſemper fuit: loqui etiam: & proponere: & accuſare: & oppugnare: & defendere: & quæcumque alia liberè facere potuiſſent, vt re ipſa factum fuiſſe oſtendimus.

At hæretici non deſiderabant Conciliū ad veritatem habendam: dicebant enim pag. 78. Eccleſias, *cum multi Doctores, & Miniſtri illuc ſe ſe perſonaliter transferre deberent (quòd rem tanti ponderis per procuratores agitari æquum non eſſet) deſolatas remanſuras eſſe* Sed Concilium, ad Pōtificē duntaxat opprimendū volebant. In hoc enim caſu,

nulla

nulla religione tangebantur, ſi eorũ Eccleſię, deſolarę relinquerentur, cũ dicerent (vt addit) non ſolùm, *ſi immodica Pontificis potentia in ordinem redigenda eſſet, eorum Theologos, ſed alios etiam complures, qui ad præſens oppreſſi, latitant, induſtriam pro Eccleſia reformatione collaturos eſſe*.

Demumque calumnioſè concludunt, nota eſſe, quæ in Concilio Cõſtantienſi Sigiſmundo Cæſari acciderint; cuius ſaluuſconductus per Concilium violatus, ipſeque tantam contumeliam ſuſtinere coactus fuerit.

Siquidem, cum ea Synodus, decreto publico, omnibuſque vulgato, ſtatuiſſet, vt *in hæreticos, non obſtantibus Cæſaris, Regum, Principumque ſaluis conductibus, nihilominus iudicialiter procederetur*, quemadmodum, & Polanus itidem refert; violatum Sigiſmundi ſaluumconductum dici non poterat, Et Hieronymus Pragenſis pœnas tulerit, non ob hæreſes, quas profitebatur ante Concilium, ob quas ſolas ſaluumconductum à Cæſare impetrauerat; ſed quia, eis hæreſibus publicè in Synodo abiuratis, ac venia impetrata, in eadem poſteà Synodo palinodiam recantans, iteratò, publica eorum hæreſum profeſſione, relapſus, in nouum incidiſſet crimen, quod in ſaluoconducto compræhenſum non erat, qui pro hæreſibus ab eo ante Concilium profeſſis, non pro reatibus in futurum committendis, tantummodò conceſſus fuerat.

Et quibus nugis, & cauillationibus ſatis, ſuperque perſpicitur, Hæreticos nullo modo Concilium voluiſſe, cum æquiſſimas, honeſtiſſimaſque ſemper conditiones reiecerint, & indigna, ac nunquam in præteritis ſeculis audita poſtularent; adeoque in ea pertinacia perſtiterint, vt bellum à Cæſare ſibi, ea de cauſa, illatum ſubire potius, quàm ſeſe Concilio ſubijcere, elegerint. Et hæc de impedimentis ex Proteſtantibus.

De Principibus verò ait 75. *eos impugnaſſe Concilium* 79. *Gallum illud non approbaſſe*; Ducemque Mantuæ, cum ſuam Vrbem pro celebratione Concilij promiſiſſet, à

promiſ-

Digitized by Google

promiſſis receſſiſſe 85. Cæſarem, *ad res religionis tractandas, colloquium in Germania inſtituiſſ.*: 122. *alium Conuentum, ea de re, ſimiliter habuiſſe*: 87. *Concilium ſuſpendi operam dediſſe*. Vnde inquit, 97. *Ioannem Moronium Mutinæ Epiſcopum, ad Conuentum ſpiræ per Pontificem miſſum, mandatis ſibi præſcriptis inſiſtendo, de Concilio expoſuiſſe, eandem, quę ante fuiſſet, Pontificis mentem eſſe; nempe Concilium aliquandò tandem celebrari; quandoquidem illud, volente Cæſare, ſuſpendiſſet, quò aliquem concordiæ aditum aperiret: qua vanè tentata, ad priorem deliberationem, celebrationem amplius non differendę, redijſſet.* Addens, *varia, quæ acciderant, in cauſa fuiſſe, ne Cæſar, eis temporibus, animum Concilio adijcere poſſet*: & 97. Venetos, qui Vicentiam pro celebratione conceſſerant, à promiſſis receſſiſſe: & demum 99. & 102. Concilij impedimenta à Gallo, Cæſaris teſtimonio, emanaſſe concludit. Quæ itidem Cæſari tribuit, referens 216. Cæſarem, non ſolùm Proteſtantes ab eo, ingentibus per Pontificem collatis auxilijs, ſubactos, ad Concilium, iam congregatum non coegiſſe; ſed eis immò ſuæ Religionis vſum conceſſiſſe, ea etiam addita cautione, vt *liberum eius exercitium haberent*. Cum Namque contumacius, ob eam facultatem, obſtitiſſent, omnem etiam Pontificis ea in re ſollicitudinem irritam fecit, vt alibi notauimus.

Quod verò pertinet ad bella, inquit pag: 75. & 77. ea, ob Mediolanum, illo tempore, ſęuiſſima inter Cæſarem, & Gallum, orta eſſe: Indeque impedimentum Concilio emanaſſe, idem Imperator aſſeruit pag. 97., quem, & addidiſſe recenſet, *Clementi, & Paulo illud celebrandi voluntatem non defuiſſe*. Quæ bella iteratò inter eoſdem (quemadmodum pag. 99. refert) excitata, cum diu protracta eſſent, Concilij tractationes ſilentio obuoluiſſe narrat pag. 100. & 103. Ex quibus liquidò patet, Paulum Concilij celebrationem, ex parte ſua, procuraſſe, aliunde verò impedimenta proceſſiſſe: eoque magis, quia, Synodo

nodo poſteà coacta : & colloquia religionis in Germania inſtituerentur, per quæ, & auctoritas, & dignitas Eccleſiæ maximoperè læderentur Concilium nihilominus diſſoluere noluiſſe recenſeat vt alibi notauimus.

29. Pontifex Impediendo Concilio materiam ſubminiſtrat.

HISTORIA.

PAg. 69. Vt Pontifex materiam obiectionibus ſubminiſtraret, quas pro opportunitate, in rem ſuam verteret, ſubiunxit, quemadmodum Ordo Eccleſiaſticus in Concilio reformandus erat; ità è dignitate Cardinalium non fore, eos reformatione indigere, eoſque immò ſuam illicò reformationem, incipere neceſſe eſſe, cum fructum è Concilio elicere omninò velit, cuius preceptis parùm roboris foret, ni effectus prius in Cardinalibus apparerent: eaque de re in omnibus Conſiſtorijs multa verba feciſſe, ſæpiùs iterando, neceſſarium ideo eſſe, prius Curiam, & potiſſimùm Cardinales reformari. Quod alij zelo, ipſiuſque rei deſiderio dictum interpratabuntur; alij verò quò Curia, & Cardinales impedimenta Concilio, ad reformationem euitandam, excogitarent.

CONFVTATIO.

QVid calumnioſiùs, cum ſubdat, *illicò, reformationis Cardinalium opinionem, ac timorem euanuiſſe, ex quo Pontifex in proximo Menſe Decembri Alexādrum Farneſium ex Petro Aloyſio Nepotem, & Guidonem Aſcanium Sfortiam, ſuum itidem Nepotem, illum decimum quartum, hunc decimum ſextum ætatis annum agentes, Cardinales creaſſet; cum non aliundè magis, quàm ab ætate, promonendorumque natalibus exordium reformationi faciendum*

eſſe videretur? Quare addit, *Pontificem quoque eâ de re amplius verba facere omiſiſſe, cum propriam mentem laruare, ex actione illa, impediretur.*

Et quid etiam inſulſius, cum paulò antè pag.68. dixerit, *Cardinales in ea opinione fuiſſe, vt, cum Cæſar Concilium Proteſtantibus promiſiſſet, neceſſe eſſet, ad maiora pericula, & damna vitanda, rem, artibus omnibus ſemotis, ſeriò, & cum effectu aggredi?* Nam quo pacto ergo artes, ad Concilium impediendum, excogitabant?

Illum verò reformationis timorem gratis Cardinalibus tribui, etiam ex eo facilè coniici poteſt, quia, non ſolùm ſemper (ex relatione Auctoris) Sede Vacante, de Concilio faciendo condixerint; ſed eiſdem inſuper tẽporibus, Adrianum VI. Marcellum. II. & Paulum IV. Pontifices elegerint, quos acerrrimos reformatores eſſe, notiſſimum erat: demumque Pium IV. qui ex Auctoris itidem fide pag.407. *præcipuas in Conclaui, apud Cardinales eſſumendi Concilij partes egerat.*

30. *Pontifex Principum ſcopum, circà locum, ad illos inter ſe inuicem opponendos, explorare ſatagit.*

HISTORIA.

PAg.70. In eo Conſiſtorio deliberatum fuit Nuncios ad Cæſarem, & Chriſtianiſſimum, alioſque Chriſtianos Principes allegare: eiſque exponi precepit, Pontificem, & Collegium Concilium celebrare decreuiſſe; ſed Sanctitatem Suam nondum de tempore, & loco deliberaſſe. Quos etiam Nuncios, Principum mentem circà locum cautè expiſcari in inſtructione magis arcana precepit, vt quid è re ſingulorum, quique eorum ſcopus eſſet explorato, eos inuicem, ad ea impedienda, & propria executioni mandanda, inter ſe opponere poſſet.

CON-

CONFVTATIO.

QVÆ propria eſſe commenta detegit, addens poſteà pag.71. Vergerium (vnum ex eis Nuncijs) in Germaniam reuerſum, Pontificis mandata, primùm Ferdinando, dein Principibus Proteſtantibus expoſuiſſe, dicendo, *illud tempus adeò exoptatum Concilij eſſe, quod, ne diutius differatur, ſe Mantuam, iuxta id, quod duobus iam ante annis cum Cęſare ſtatutum fuerat, pro loco eligere decreuiſſe*: de cuius etiam Vrbis conditionibus ſermonem fecit: Quemadmodum, & Luthero pari modo Vergerium dixiſſe refert, pag.72. *Pontificem celebrationi Concilij Mantuam deſtinaſſe*. Ex quibus contradictionibus ſatis docemur, eas artes, quas tribuit Pontifici, quò rem ambagibus protraxiſſe, & nonniſi machinationibus egiſſe oſtendat, eius figmenta eſſe. Nam, an non patet falsò aſſeri, Pontificem Nuncijs exponere mandaſſe, ſe *nondum de loco deliberaſſe*: idque in eum finem, vt, Principum mente explorata, eos inter ſe inuicem opponeret, ſi Vergerius enucleatis verbis eiuſdem Pontificis nomine; tum Regi Ferdinando, tum Principibus proteſtantibus, & Luthero ipſi expoſuit, Sanctitatem Suam *Mantuam elegiſſe*?

Ex quo etiam colligitur, quæ fides illi habenda ſit in reliquo earum Inſtructionum: & quàm malignè ſubdat pag.71. Curiam, & qui hæc cum Pontifice intimè agitabant, *licèt Pontifex adeò apertè oſtenderet, ſe Concilium, ea conditione, velle, vt ſatis Germanię faceret, illudque cogeret; nihilominus affirmaſſe, Concilium non alibi, quàm in Italia celebrari, nec alium in ea locum eligi poſſe, quàm Mantuam*. Nam hæc omnia mendacia, & imposturas eſſe liquet, cùm iam Vergerius ex Inſtructione, & mandato Pontificis, eiuſdem Pontificis nomine, palàm expoſuiſſet, *Sanctitatem Suam, iuxtà condictum iam duobus ante*

 annis,

annis, cum Imperatore, Mantuam elegiſſe. Hæc enim intimi Pontificis, cum quibus eadem intime agitaſſe perhibuit, indubitanter ignorare non potuiſſent.

31. *Lutheri, ad Vergerium Nuncium Apoſtolicum, reſponſa.*

HISTORIA.

PAg.73.Recenſet Auctor reſponſa Lutheri ad Vergerium, Nuncium Apoſtolicum, & inter cætera reſpondiſſe ait, faſſum ingenuè Nuncium fuiſſe, ſe Theologiam non callere:quod etiam euidens ſit ex rationibus ab eo propoſitis; cum eius doctrina noua appellari non poſſit, niſi ab eis, qui crederent, Chriſtum, Apoſtolos, Sanctoſque Patres ita vlxiſſe, vt in præſenti ſeculo viuunt Pontifices, Cardinales, & Epiſcopi.

CONFVTATIO.

QVæ eſt aſſumptio ſtultitia,ac vanitate plena. Siquidem doctrina, qua in fide inſtruimur, à moribus omninò ſecernitur, à quibus non ſemper fidei rectitudo arguitur. Nam ſi Catholicus, exempli gratia, perditis moribus ſit:non tamen indè rectè contrà eius fidei rectitudinem argueretur quemadmodum, nec à bonitate morali Turcarum, hæreticorum, aut Gentilium, rectam eorum eſſe fidem aſſumi poſſet. Quare ſtulta eſt Lutheri aſſumptio,rectitudinem doctrinæ à moribus arguendo.Et quid etiã abſurdius,aut iactantia plenius quã. Lutheranorum vitam (cum ſuæ doctrinæ veritatẽ à moribus comprobari innuat)Sanctorum Patrum, & Apoſtolorum, immò, & ipſiuſmet quoque Chriſti vitæ comparare? An adeò vnquam ſibi arrogarunt in Eccleſia Catholica tot Patres, probitate, innocentia, ac ſanctitate probatiſſimi?

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIA

SEcundò reſpondit Lutherus: non poſſe ex ſeditionibus in Germania ortis contrà eãdem doctrinam argui, niſi ab eo, qui ſcripturas non legerit, & inſtructus nõ ſit, hoc Verbi Diuini, atque Euangelij peculiare eſſe, vt vbi prædicentur, excitent turbas, & tumultus, etiam; vſque ad ſeparationem patris à filio.

CONFVTATIO.

SEd vergerius, ex recenſione Auctoris dixerat, ipſius Lutheri doctrinam iam à decem, & octo annis in lucẽ editum, innumerabiles Sectas protuliſſe, quarũ altera, alterã deteſtatur, & tot ſeditiones populares, innumerabiliumque hominum cædes, & deſtructiones excitaſſe: idque perpendendo, eam eſſe à Deo aſſumi non poſſe. Vnde reſponſio Lutheri non eſt ad rem. Aliud eſt enim, & multum inter ſe differunt, excitare turbas, & tumultus, patremque à filio ſeparare, & *excitare Sectas innumerabiles, quarum altera, alteram deteſtetur*, vt dixit Vergerius. Nam excitare Sectas numero, alijſque conditionibus deteſtabiles, non eſt effectus ille, qui procedit ex prædicatione Verbi Diuini, quo omnes credẽtes adeò in vna fide, ac religione per charitatem coniunguntur, vt mori potius, quàm ab vnitate Eccleſiæ ſeparari eligãt, & per quam etiam homines fideles in oues conuertuntur, quæ ſui Paſtoris vocem humiliter audiunt, illumque ſequuntur, non autem in ſeuiſſimos lupos, vt hæretici faciunt, dum, religionis cauſa, ſeſe mutuò immaniter trucidant, miſerèque laniant.

HISTORIA.

TErtiò reſpondit, Romanos in eo magis communiter errare, quòd artibus ab humanis rationibus erutis Eccleſiam, perinde ac ſi temporalis ditio eſſet, ſtabilire velint.

CONFVTATIO.

QVæ ſunt ineptiæ, cum Eccleſia à Chriſto ſuam firmita-

mitatem, ſtabilitatemque acceperit, fulcriſque idcirco non indigeat humanis.

Cumque concluſerit Lutherus, non poſſe in coetibus Doctorum, literatorumq; ſperari, quia, cum ira Dei ferueat, nil adeò abſurdum, & præter rationem ſit, quod Sathan non perſuadeat, hiſq; ſapientibus magis; quos Deus propria doctrina inflatos vult ſua maieſtate confundere; quid mirum, ſi Lutherus, falſiſſima propriæ doctrinæ opinione inflatus, & circumactus à Sathana, non potuerit, vt addit, à Vergerio induci, *vt ne minimum quidem à ſua firmitate recederet; cum immò diceret, ſe ſuam doctrinam perinde conſtanter tenere, ac ſi oculis cerneretur, & Nuncium, & Pontificem eius facilius amplexuros eſſe fidem, quàm ipſum receſſurum ab ea?*

32. Circa electionem loci Regum Galliæ, & Angliæ ad Smalcaldicos epiſtola.

HISTORIA.

PAg. 75. Ad eundem Conuentum Smalcaldæ, Reges Galliæ, & Angliæ, Legatos miſerunt. Gallus, cum obijſſet Franciſcus Sfortia Dux Mediolani, & de bello ideò Italico cogitaret; requiſiuit, ne ſe, & Anglo inconſultis, locum pro celebratione Concilij, reciperent, cum, & ipſi idem facturi eſſent.

CONFVTATIO.

HIſtoriæ Galliæ alibi ſupra notatæ, dicunt, *Galielmum de Bellai, Oratorem ad eos anno 1535. Smalcaldæ coactos, cum perſpiceret, eoſdem nolle in foedere cum Rege aduerſus quoſcumque conuenire (cum Imperium, & Cæſarem exciperent) re infecta, domum rediſſe, eos tamen nomine Regis hortando, ne pro celebrando Concilio Mantuam, quam Ponti-*

Pontifex proponebat, aliumue locum reciperent, niſi prius Regibus Gallo, & Anglo conſultis, qui itidem, nil, eis irrequiſitis deliberaturi eſſent. Quæ erant veræ cauſæ; tum dictæ Legationis; tum procraſtinationis Concilij, non illæ, quas Auctor calumnioſè effinxit.

33. *Pontifex. Vt Concilium impediat Cæſarem ad bellum aduerſus Lutheranos hortatur.*

HISTORIA.

EAdem pag.75. Vergerius in principio anni 1536. reuerſus ad Pontificem, retulit in ſumma, Proteſtantes nullum Concilium recepturos eſſe, niſi liberum, in loco opportuno; &, inhærendo promiſſis Imperatoris, in finibus Imperij: & de Luthero, eiuſque complicibus, nullam omninò ſpem eſſe, nec niſi de eis bello opprimẽdis cogitari poſſe. Et, cum Pontifex Cæſarem ad illud bellum ſtimularet, addit, eundem Cæſarem, mente Pontificis internè perſpecta, ſeſe eadem diſſimulatione perſuaſum, atque ad bellum Germanicum propenſum oſtendiſſe; æquum eſſe tamen dicendo, ne totum mundum aduerſum haberet, iuſtitiam cauſæ optimè patefacere, Conciliumque indicendo, oſtendere ante, nullam aliam rationem intentatam relictam eſſe. Ideoque Pontificem oſtentantem, ſe Cæſari acquieſcere, Indictionem promulgaſſe.

CONFVTATIO

HÆC nonniſi Auctoris commenta ſunt, quòd illicò ſubdat pag:77. *eam Indictionem cuilibet, etiam mediocriter verſato parum illo tempore opportunam viſam eſſe, cum bella inter Cæſarem, & Gallum in Veromanduis, Prouincia, & Pedemontio feruerent.* Nam, cum omninò repugnet, Pontificem, virum ſapientiſſimum, eo tempore, ad

re, ad difficillimum bellum in Germania aggrediendum, Cæſarem excitare voluiſſe, quo tribus alijs grauiſſimis bellis detinebatur; leuitas per ſe patentiſſima eſt.

34. *De Concilio armis, tutelæ ſpecie, circumuallando, Pontificis cogitatio.*

HISTORIA.

IBidem. Sed ſtultitiam ſtultitiæ addendo, ſubdit, ingratum Pontifici non fuiſſe, cum tandem Concilium indicendum eſſet, id eo tempore fieri, cum, occupatis iam per Gallum Sabaudia, & Pedemontio, tota Italia bello conflagratura eſſet, quòd ſpecioſiſſima illi daretur opportunitas, Concilium, armis, tutelæ, ac patrocinij obtentu, circumuallandi.

CONFVTATIO.

QVÆ calumnia ex eo perſpicitur, quòd illicò ſubdat, *Cæſarem, qui ob recentem victoriam in Aphrica, animum valdè elatum, vaſtiſque machinationibus occupatum habebat, reputaſſe, ſe intrà biennium, victorem in Inſubribus fore, & Gallo vltra montes clauſo, omnibus amotis impedimentis, rebus Germanicis incumbere, Concilium, in duobus ſibi vſui eſſe volebat, vt primum, bello Italico, durante, Pontificem compeſceret, ſi ſe de more Pontificum, ad vires æquilibrandas, Gallo adiungere cogitaret: dein, vt ſibi Germaniam obſequentem faceret, quod potiſſimùm meditabatur, cum Pontificis obedientiam inter poſtrema, & accidentaria poneret: &, cum locus illi Mantua probaretur, in reliquo nihili faciebat, quas conditiones Pontifex apponeret, quia, Concilio coacto, quæ ſibi non probarentur, mutare, in ſua poteſtate foret.* Quibus poſitis, quique facilè videt, quàm repugnet, Pontificem ea conſilia, illo tempore,

pore,

pore, agitare potuiſſe, quo Cæſar victor, armatus, ac potentiſſimus, Concilio, tanquam froeno, Pontificem cohibere decreuerat. Cum, & præter id, experientia docuerit, quàm Pontifex ab eis machinationibus abeſſet, cum poſteà, Concilio Tridenti coacto, & eadem bellorũ opportunitas eſſet, id, etiam requiſitus, facere renuiſſet, vt Auctor ipſe docet.

35. Clericorum concubinas Eccleſiaſtico foro ſubijci.

HISTORIA

PAg.79. Venenum in Eccleſiaſticos euomens, quos calamo inſectandos ſibi propoſuit, ait, Perſonas Eccleſiaſticas, eorumque familias exemptas eſſe à foro ſeculari: idque adeò verum eſſe, vt Doctores vnanimiter affirment, etiam Presbyterorum Concubinas, foro Eccleſiaſtico ſubijci.

CONFVTATIO.

SEd Doctores loquuntur de eis locis, & temporibus, quibus Clericis vxorem ducere vetitum non erat: quæque ſine dote, & non ſolemniter ducebantur, & licèt verè, ac realiter vxores eſſent, tamen concubinæ dicebantur, vt docet Bellar. de Concil. auctoritate lib. 2. cap. 8.

36. Cum alij Mantuæ fortiores eſſent, Pontifex eam Vrbem reſpuit.

HISTORIA.

PAg.80. Pontifex conditiones requiſitas à Duce Mãtuę, quò ſineret Concilium in ea Ciuitate celebrari, vtpotè duras, & præter mores antiquos, & à Sedis Apo-

ſtolicæ dignitate, ac libertate Eccleſiæ alienas reiecit,ac memor, quænam Ioanni XXIII. euenerint, qui Concilium habuit, vbi alij præpollebant, Concilium amplius Mantuæ nolle decreuit, illudque ſuſpendere ſtatuit.

CONFVTATIO

AT quo pacto, ſi illud, & Vicentiam, ditionis Venetorum, & demùm Tridentum illicò tranſtulit, vbi Cæſar iura dabat, qui Concilium, contrarijs in eundem Pontificem ſtudijs, vrgebat,ac celebrauit?ſed Thuanus, loco aliàs citato, impoſturam detegit, referens, id per Pontificem factum fuiſſe, *vt ſatis Germaniæ Principibus faceret.*

37. *Aduerſus Indictionem Concilij, Regis Angliæ literę.*

HISTORIA

EAd:pag. Rex Angliæ ſcriptum hoc tempore, ſuo,ac Procerum ſui Regni nomine aduerſus illam Pontificis Indictionem,velut aduerſus eum,qui poteſtate careret,euulgauit,quod ſummatim Auctor recenſet. & iteratò etiam aduerſus Indictionem Vicẽtinam pag.82. Quę Regis leuitas, ſatis ex ſuo Libro, quem aduerſus Lutherum paulò antè vulgauerat, redarguitur. Quarè eius nugæ noſtris non indigent confutationibus:præſertim cum ex ſuprà adductis aduerſus oppoſitiones Proteſtantium, eius etiam obiectionibus, vtpotè eiuſdem farinæ, ſatis, ſuperque reſponſum fuerit.

38. *Concilium non celebrari, Pontifici aſcribebatur.*

HISTORIA.

PAg. 80. Liberè per Italiam dicebatur, Pontifici tribuendum eſſe (licèt ipſe culpam in Ducem Mantuæ

tuæ reijceret) ni Concilium celebraretur: & ex eo manifeſtè apparere, quia eodem tempore, Diploma reformationis Curiæ, euulgaſſet, eamque curam quatuor Cardinalibus demandaſſet, cui, cum nullus eſſet à Duce, nec ex alio, qui ab eius nutu non penderet, obex, de ea tamen nullum amplius verbum fieret. Quibus diffamationibus occurſurus, eam rem per Congregationem Prælatorum exagitari mandauerit, qui corrigenda collegerint, in ſcriptiſque redegerint, quæ ſummatim recenſet.

CONFVTATIO

CAlumnia ſatis reiecta eſt per Thuanum, vt ex eis, quę ſuprà adduximus: & Auctoris malignitas ex eo quin etiam patet, quia, cum Pontifex Concilium Vicentiam tranſtuliſſet, vt ſatis Germaniç Principibus faceret, quemadmodum idem refert Thuanus, ipſe tamen (ne eius depræhendatur impoſtura) id omninò in ſua hiſtoria nihilominus prætereierit; cum nil aliud dixerit, quàm *Pontificem, menſe Nouembri inſtante, Diploma Indictionis Concilij Vicentiæ celebrandi vulgaſſe, treſq; illuc Legatos deſtinaſſe*, vt pag. 82.

Reformatio verò Curiæ omiſſa fuit, ob impedimenta Concilij, in quo perficienda erat, vt oſtendit Auctor narrans pag. 104. Pontificem, inter cætera Cæſari ſcripſiſſe, *ſe reformationis cupidum eſſe, quemadmodum pluries, indicto Concilio, declarauit*. In quo eam religioſiſſimè factam fuiſſe quiſque percipiet, qui dictum reformationis ſummarium Romæ factum, quod Auctor recenſet, conferet cum decretis reformationis in iiſdem materijs Tridenti ſtatutæ, & alijs bullis, quas ea de re Pontifices promulgarunt, de quibus Polanus pluries itidem mentionem in hiſtoria facit.

39. A Concilio proſequendo, Pontifex alienus.

HISTORIA

PAg. 83. Præſtituta die, Legati Vicentiam iuerunt, eodemq; tempore Pontifex ſe Niceam Prouinciæ contulit, interfuturus colloquio Cæſaris, & Chriſtianiſſimi à ſe procurato, euulgando, ſe iter illud, ad eos tantummodò magnos viros inuicem conciliandos ſuſcepiſſe, licèt magis de Ducatu Mediolanenſi in ſuam Domum inferendo cogitaret; in eoque loco, inter cætera, cum ambobus egit, vt ſuos Oratores ad Concilium mitterent, ſuoſque Prælatos, quos apud ſe illic haberent, cæteroſq; ſuorum Regnorum illuc impellerent. Sed de illis mandatis Epiſcopis dandis, vterque obiecit, neceſſe prius fore ſeſe, vnà cum eis Prælatis de ſuarum Eccleſiarum neceſſitatibus inſtruere, & eis, qui illic præſentes eſſent ſuadere, vt ſoli, non prius cum cæteris communicatis conſilijs, irent, difficile foret. Quibus excuſationibus adeò ſe facilem præbuit, vt quam in partem magis inclinaret, dubium reliquerit.

CONFVTATIO.

NON potuit, non fateri optimam Pontificis intentionem, tametſi eam obſcurare aliqua ex parte nitatur. Sed quàm malignè iam ſatis oſtendimus auctoritate Thuani, apertiſſimis verbis perhibentis, Pontificem *illud iter ſuſcepiſſe, ad illos potentiſſimos Principes conciliandos, quò Concilium celebrari, bellumque aduerſus Turcas commodius inſtrui poſſet.*

40. *Pontificio gladio vim in hominum opinione eſſe.*

HISTORIA.

PAg. 83. Cum Rex Angliæ ab Eccleſiæ Romanæ obedientia receſſiſſet, ſeque anno 1534. Anglicanæ Eccleſiæ caput declaraſſet, Paulus III. Pontifex, immediatò poſt ſuam aſſumptionem, per Imperatorem, ob proprias vtilitates, & per Romanam Curiam, quæ Angliam ea ratione, vel recuperare, vel euertere opinabatur, ad fulmen in eum Regem intorquendum perpetuò ſtimulatus fuit. Quod ipſe, vti in rerum cognitione verſatus, parum ad rē facere exiſtimabat. Si ſuorum enim prædeceſſorum fulmina nunquam effectum eis temporibus ſortita erant, quibus omnium opinione, ac reuerentia timebantur; multo minus illis roboris fore, poſtquam doctrina, quæ illa paruipendit, vulgata, atque à multis recepta erat. Prudentis conſilij eſſe credebat, gladium illum in vagina continere, cui vis in ſola eorum opinione ſit, contra quos exerebatur.

CONFVTATIO.

OMiſſis, quæ de Eccleſiaſticorum fulminum exitu paſſim per Auctores ſcribuntur, ipſemet Polanus, à quo diſcedere nolumus, tremendum eorum effectum ſatis declarat, dum pag. 436. refert, *Regem Hiſpaniæ, nullum alium titulum, aut iuris fundamentum in poſſeſſione Regni Nauarræ habere, quàm excommunicationem Iulij II.* Et ſufficiat pro omnibus, ſententia per Pontificem in Regem Angliæ, eique adhærentes pronunciata. Nam, cum eſſet (vt ſubdit pag. 84.) *ſub pœna priuationis Regni, omniumque poſſeſſionum; ſubditoſque ab eius obedientia recedere: omneſque aduerſus Regem, eique fidos arma capere, iubdret:*

ret: eorumque ſubſtantias depredationi; perſonas verò ſeruituti ſubijceret; non ſolùm hæc omnia, iuſto Dei iudicio, executioni demandata viderimus; ſed, quod magis perpendendum, horrendumque eſt, & omnem forſitan in futuris ſeculis fidem exceder, ipſiuſmet tandem Regis caput; caput inquam illud, quod ſe, nefario auſu, ſupra Eccleſiam Anglicanam extollebat, in tantę temeritatis, nunquam delendum opprobrium, viliſſima inſuper carnificis manu, in publico totius Regni Theatro, ſuorum ſubditorum ſententia damnatum exemplo nunquam forſitan, ab orbe condito, audito, ignominioſè ac miſerè amputatum; Maieſtatem turpiſſimè conculcatam; Regale Solium euerſum: Stirpem Regiam, fidoſque extorres, omnibuſque bonis priuatos, miſerabile ſpectaculum mundo factos; vt pateat omnibus, Reges nonniſi per Deum regnare; ipſumque eſſe, qui ſolo nutu, Imperia, & Regna diſſipet, euellat, plantet, ædificet, atque diſperdat.

41. *Henricus VIII. Pontificem de mendacio redarguit: a quo inſuper eius laudantur actiones.*

HISTORIA.

PAg. 86. Henricus VIII. vt Pontificem mendacij redargueret, quem doctrinam hæreticam in ſuo Regno vulgaſſe in ſuo Diplomate obiecerat, articulos aliquot omnes catholicos in ſuo Regno profitendos, edicto publico promulgauit.

CONFVTATIO.

QVaſi Anglicanæ ſe Eccleſiæ caput conſtituere: ab Eccleſiæ, ac Sedis Apoſtolicæ obedientia recedere; & alia huiuſmodi, quæ ex illo edicto ſublata non erant, cum ſana doctrina congruerent.

HI-

HISTORIA.

MIrum quidem eſt, quo pacto Pontifex, qui pacuis ante diebus, in eum Regem fulmen intorſerat, eius actiones laudare, eumque Imperatori vti exemplar imitatione dignum, proponere cogeretur; adeò, cum in rem noſtram eſt, eundem & laudamus, & vituperamus.

CONFVTATIO.

QVO dato, valdè intereſt inter laudare, & vituperare, ſimul eandem perſonam, vel eandem actionem: eadem perſona laudari quidem ſimul, ac vituperari poteſt; non eadem actio. Henricus, dum obſeruantiam doctrinæ catholicæ precipit, iure optimo laudatur. At, dum ſe caput Eccleſiæ conſtituit: ab obedientia Sedis Apoſtolicæ recedit: Sanctorum reliquias comburit, & alia ſacrilega perpetrat, vituperari, atque anathemate percuti iure meritò debuit.

41. Dilationum Concilij Pontifex auctor.

HISTORIA.

PAg. 87. Expedito Epiſcopo Montiſpolitiani, cũ Pontifex perſpiceret ſe (tametſi conuocando Concilium & præſtitutum poſtmodùm terminum differendo, homines otioſa expectatione traduceret;) non parum tamen à propria exiſtimatione decedere, è re eſſe duxit, ab illa ambiguitate diſcedere, quæ, & ſi mundum in præterito ludificatus eſſet, progreſſu tamen perniciem aliquam parere potuiſſet, ſeque aperiendo, ambiguitates tollere. Quare, expoſita in Conſiſtorio, rerum ante actarum ſerie, ac neceſſe eſſe propoſito, aliqua ratione firmiter, ſtabiliterque decernere, rem conſultationi ſubiecit. E Cardinalibus nonnulli, vt ſe à timore penitus eximerent, qui omnem aliam diem eis formidabilem reddebat, ſuſpenſionem damnabant, expreſsèque declarari vrgebant,

gebant, Concilium celebrandum non eſſe, quia non ſatis conſtaret quanam ratione, non conſtituta prius inter Principes pace, obijces remoueri poſſent, cum nulla Concilij celebrandi ſpes eſſe poſſet, pace prius non conſtituta. Alij verò prudentiores, ob iſtum, aliumque timorem animo ſuſpenſi erant, ne res ſcilicet ad Concilia Nationalia, vel alia remedia Concilio generali deteriora inclinaret; ideoque plerisque conſultius viſum, Concilium ad libitum ſuſpendi, cogitantes, ſi id fortè vtilitatis ratio non exequi ſuaſiſſet, ſuſpenſio, obtentu diſcordiarum inter Principes, vel alio colore protrahi potuiſſet: & ſi quod Concilij nationalis, colloquiorum, aut ſimiliũ, ſeſe periculum obieciſſet, Concilio generali propoſito, eique locum, & tempus aſſignando, imminenentibus ſtatim occurreretur, deliberaturi poſteà ex opportunitatibus, an celebrandum eſſet nec ne. Quod conſilium, cũ placuiſſet, diploma die 13. Iunij formatum fuit, quo Cõcilium indictum, ad libitum Pontificis, ac Sedis Apoſtolicæ, ſuſpendebatur.

CONFVTATIO.

CVm dicat poſtea pag. 97. *In hoc rerum ſtatu abſolutus eſt annus* 1541. *& in ſequenti Pontifex miſit Spiram (vbi præſente Ferdinando, comitia celebrabantur) Ioannem Moronium Epiſcopum Mutinæ, qui mandatis ſibi datis inſiſtens, circà Concilium, expoſuit, mentem Pontifici eandem eſſe, quæ in præterito fuerit; nempè, vt Concilium tandem aliquando celebretur; cum illud, volente Cæſare, ſuſpendiſſet, quò aliquis ante Concordia aditus in Germania pateret: atque, ea vanè tentata, ad priorem non differendæ celebrationis deliberationem rediſſe*; vtique docet, ſuſpenſionẽ Cõcilij, non, ad populorum expectationem ludificandam; ſed ad concordiam cum Germanis ineundam, *ſic volente Cæſare*, factam fuiſſe.

Vt

Vt itidem oſtenderat pag. 90. referendo, *Nuncium Cãpeggium, miſſum ad Vormatia colloquium, inhærendo inſtructioni Pontificis, habito in ſuo ingreſſu ſermone, dixiſſe, Pontifices tranquillitati Germaniæ ſemper ſtuduiſſe, & Paulum III. præcipuè, qui Concilium generale ea de cauſa ad Vicentiam indixiſſet, licèt illud in aliud tempus differre compulſus eſſet, quia nemo illuc acceſſiſſet, illud ad præſens iteratò in loco magis opportuno, indicere decreuiſſe, vtque res religionis in eo proficuè ageretur, Colloquium Germaniæ haberi Cæſari permiſerat, quod velut præludium eſſet ad diſponendam celebrationem Concilij.*

Quare, & eundem Cæſarem in ſolemnibus Ratiſpenſibus Comitijs faſſum fuiſſe ait pag. 92. Concilium, non per Pontificem, ſed ob impedimenta ex bellis dilatum fuiſſe, dicens *propoſitum eſſe nomine Cæſaris, quo pacto Maieſtas eius pacificandæ Germaniæ ſemper aditum quæſiuiſſet. Cumq; Concilium ad id ei maximè commodum viſum eſſet, ſeſe in Italiam, data opera, tranſtuliſſe, vt cum Clemente ageret, & cum ad exitum res perduci non potuiſſet, ſe cum Paulo actarum Romam iteratò contuliſſe, qui ſe paratiſſimum oſtenderat; ſed, cum ob varia bellorum impedimenta exequi non potuerit, ea demum conuocaſſe Comitia.*

Cum, & Thuanus, dilationes Proteſtantium cauſa factas fuiſſe perhibeat, in ſuo primo libro, dicens, vt pluries notauimus, *Concilium primùm Mantuæ à Paulo III. indictum; dein, renuentibus Proteſtantibus, Vicentiam tranſlatum fuiſſe: &, cum ne in eum quidem locum conſentirent Germaniæ Principes, poſtremò Tridenti celebrando Concilio, locum aſſignatum fuiſſe.*

Nec idem Auctor diffiteatur pag. 79. Ciuitatem Mantuæ poſt indictum in ea Concilium, *per Ducem denegatam fuiſſe: Legatóſque Pontificis Vicentiam deſerere coactos eſſe, quòd vanè illic per ſeptem menſium ſpatium* (vt ait pag. 83.) *nemine prorſus comparente, in ea commorati eſſent.* Immò Cæſarem, horum omnium dilationum cauſam in Chri-

Digitized by Google

ſtianiſſimum reieciſſe, narret inſuper pag. 99.

Ex quibus facilè perſpici poteſt, quàm calumnioſè poſtmodum pag. 96. Pontificem, vti eius dilationis authorem, ore Principum Germanorum, accuſet.

43. *Aliqua de Concilijs: & in Pontificem.*

HISTORIA.

PAg. 96. Ait ore Theologorum Proteſtantium, magnũ Conciliorum numerum, non tam Nationaliũ, quàm paucorum etiam Epiſcoporum eſſe, quæ de fidei controuerſijs decreuerint, deque moribus Eccleſiæ inſtituta ediderint, in Syria, Græcia, Africa, Italia, Gallia, Hiſpania contrà Samoſateni, Arrij, Donatiſtarum, Pelagij, aliorumque Hæreticorum errores, quorum determinationes, citrà impietatem, vanæ, aut irritæ, dici non poſſint: ac Romanæ Sedi principem quidem locum datum fuiſſe, & Epiſcopo Romæ, vt inter Patriarchas prærogatiuæ auctoritatis eſſet, neminemque ex Patribus eum Eccleſiæ, Conciliorumque caput appellare, ſolumque Chriſtum Caput Eccleſiæ, Paulum, Apollo, Cepham eius Miniſtros eſſe. Et quidnam ab Vrbe Roma expectare poſſent, ſatis ex diſciplina, quæ in ea tot iam ſeculis obſeruetur, & ex tergiuerſatione, ad legitimum Concilium congregandum, patere.

CONFVTATIO.

QVÆ quidem Auctor nonniſi ore Proteſtantium proferre potuit. Nam primùm, quod ad tergiuerſationem Pontificis, ad differendum Concilium pertinet, id, non ab eo, ſed alijs de cauſis, & ab ipſis potiſſimùm Proteſtantibus fuiſſe, iam ex Authore probauimus: Concilia Nationalia, paucorumque Epiſcoporum ſanctiones non inanes, aut irritæ dicuntur, ſed

eas

eas ſolas Nationes, non Eccleſiam Vniuerſalem reſpicere, cui legem dare non poſſunt.

Romanum verò Pontificem Caput viſibile Eccleſiæ à Concilijs generalibus, & Patribus Orthodoxis vocari docuit Cardinalis Bellarminus; & alij, quos recenſere opus non eſt, cum hæc apud eos videri poſſint, & ſint hodiè tritiſſima.

Et quæ diſciplina Romæ obſeruetur, & perpetuò obſeruata per tot ſecula fuerit, ſatis liquet ex ſacris canonibus, ſummorumque Pontificum ſanctionibus, quæ omnibus vbique patent, & calumniantium maledicta continent.

44. Cæſare, & Chriſtianiſſimo de Concilio à Pontifice petendo conuenientibus, ab eo præueniuntur.

HISTORIA.

PAg. 105. Pax inter Cæſarem, & Gallum ſtatuta fuit; in qua vterque, inter cætera, de antiqua religione defendenda, & de vnitate Eccleſiæ, deque reformatione Curiæ Romanæ, à qua diſſenſiones omnes emanabant procuranda, conuenit; atque ad eum effectum Pontificem iunctim requirerent, vt Concilium congregaret; Pontificemque ob caput Concilij, & reformationis Curiæ territum non fuiſſe &c. ac cenſuiſſe, ſi, eis requirentibus, conuocaſſet Concilium; credendum fore, ſe id coactum feciſſe, quod non ſine magna ſuæ exiſtimationis diminutione accidiſſet, eiſque animos dediſſet, qui auctoritatis Pontificiæ moderationem moliebantur: atque idcircò, antequam præueniretur, Concilium iterum ad Tridentum indixiſſe.

CONFVTATIO.

HÆC malignè aſcribi Pontifici patet ex eis, quæ ſupra retulit, de quibus Polanus oblitus eſt. Nam,

non eo tempore, nec eis de cauſis Pontifex Concilium celebrare decreuit, cum eam deliberationem, iam diu antè feciſſe docuerit, pag. 91. dicens, *ea, quæ in Comitijs Ratiſponenſibus euenerant, Pontificem induxiſſe, non tàm ad aſſentiendum, vt prius; Sed ad totis viribus Concilij celebrationem vrgendam*. Quemadmodum, & aperit ex epiſtola, quam Pontificem Cæſari ſcripſiſſe itidem retulit pag. 104. in qua dicebat, *ſe reformationis cupidum eſſe idque ipſa indictione Concilij declaraſſe, quam pluries feciſſet; & ſemper, cum aliqua illius congregandi ſpes aſſulſit: &, licèt illuc vſque fruſtrà; non tamen ſuo officio defuiſſe, cum ob vniuerſale Chriſtianitatis, & peculiare Germaniæ beneficium, Concilium vnicum rebus omnibus remedium deſideraret: indictumque iam eſſe: ipſiuſque ideo Cæſaris eſſe viam aperire, quo celebrari poſſet, pacem ſanciendo, aut differendo bellum, dum in Concilio res religionis tractantur.*

Eòque magis cum dicat pag. 124. *è re Pontificis non fuiſſe in eo ſtatu continuare, & Concilium ſuſpenſum tenere, & illud de die in diem trahere, quo nulla deterior deliberatio eſſet, ob magnam, ac perpetuam, quæ inde emanare poſſent iacturam.*

Cumque pag. 85. dixerit, *nouas controuerſias in Germania religionis cauſa à mala forſan intentionis hominibus, qui ſesè eo prætextu tegebant excitatas fuiſſe*: patet etiam quàm malignè dicat, *diſſenſiones omnes à Curia emanaſſe*.

45. *Contra Valdenſes Hæreticos, Gallorum ſæuitia.*

HISTORIA.

PAg. 115. In Gallia armis ſeuitum fuiſſe ait in aliquot Valdenſium reliquias, qui Prouinciæ alpes incolebant, ſeque ab obedientia Romanæ Sedis immunes ſeruauerant: quique diuerſi ab ea doctrina, & ritibus admodum rudibus, & imperfectis, viuentes, poſt renoua-

tionem

tionem Zuinglij, eius doctrinam propriæ miſcuerāt, ſuoſque ritus, eo tempore ad aliquam Formam redegerant, cum Geneua reformationem recepit. In quos, cum iam aliquot annis ſententia fulminata eſſet à Senatu Aquenſi, quæ non dum executioni demandata erat, Rex hoc tempore, eam executioni demandari precepit. Subdens verò, de eis erudiendis, aut terrendis, quò à ſuis opinionibus diſcederent, nullatenus actum fuiſſe, ſuam de more malignitatem, leuitatemque prodit. Cum non deeſſent enim in Regno, qui populos de veritate catholica erudirent: & Rex contrà hæreticos tot edicta vulgaſſet, que Auctor recenſet; & ipſi è contra, proprijs ſpretis Doctoribus, Regiſque iuſſionibus conculcatis, Zuinglium potius, & Geneuenſes adire voluiſſent; quis non videat, eorum malitiam completam fuiſſe, & ſola peruerſitate contumaces eſſe voluiſſe? Et, cum illa eſſet executio ſententiæ in eos, iam diu ante fulminatæ (quæ citationes, & monitiones præcedentes neceſſariò ſupponit;) quis etiam non videat, eas inſuper benignitate, ac patientia Regis multo tempore peruicaciter abuſos fuiſſe, eorumque contumaciam nullum idcirco locum miſericordiæ amplius reliquiſſe?

46. Parmam, & Placentiam à Duce, quàm ab Eccleſia recuperare facilius Cæſari fuiſſet.

HISTORIA.

PAg. 117. Non ingratum Cæſari erat, Parmam, & Placentiam per Pontificem nepotibus dari, quòd facilius eſſet eas à Duce, quàm ab Eccleſia recuperare.

CONFVTATIO.

CVm Eccleſia *directum ſibi earum Vrbium dominium reſeruaret*, vt inquit pag. 124. An ſapientiſſimus Imperator

perator ignoraſſet, ſibi in poſterum cum duobus rem fore, cum Farneſijs ſcilicet, & cum Pontifice? Quod notamus, non quia prò, aut contrà faciat; ſed vt pateat, qua temeritate, ac leuitate Auctor alijs intentiones attribuat, & hiſtoriam ideò, non ex veritate, ſed pro arbitrio tantummodò, confinxiſſe.

47. *In cauſa Archiepiſcopi Colonienſis inter Pontificem, & Cæſarem, ob fori competentiam, diſſenſio.*

HISTORIA.

PAg. 121. Cum Cæſar in ius coram ſe vocaſſet Archiepiſcopū Coloniæ ob cauſas religionis, vt dixit pag. 120. Pontifex eum itidem, ob eandem cauſam, coràm ſe vocauit. Quarè ait, controuerſum reliquiſſe, quànam ratione Archiepiſcopus ſeſe duobus ſiſtere potuiſſet, qui, ob eandem cauſam illum eodem tempore, ad diuerſa loca trahebant, & in quo ad Chriſti honorem ſpectaret ea, de competentia fori contentio.

CONFVTATIO

QVaſi indubitati iuris non ſit, eum, qui hoc modo à duobus vocetur, nonniſi illi ſe ſiſtere debere, cuius iuriſdictioni ſubiacet: & perſonæ Chriſti ſeruitio dicatæ, ad eum non pertineant, cum ipſe, quæ ſunt Dei, Deo reddenda eſſe preceperit.

48. *Aduerſus Tridentinum Proteſtantium ſcriptum.*

HISTORIA.

PAg. 122. Proteſtantes, cum Vormatia diſceſſiſſent, edito libro, dixerunt, ſe Tridentinum, vt Conciliū non habere, cum iuxtà promiſſiones Adriani, & Cæſaris, in Germania congregatum non eſſet, quibus ſatisfacere oſten-

oſtentantes eligendo Tridentum nil aliud eſſe, quàm totum mundum irridere, quando Tridentum in Germania dici non poſſit, niſi quatenus eius Vrbis Epiſcopus ſit Princeps Imperij, ſed in eo, quod pertinet ad ſecuritatẽ, æquè benè, ac ipſam Romam in Italia ac Pontificis poteſtate eſſe.

CONFVTATIO

CVm Adrianus Pontifex miſiſſet ſuum Nuncium ad Comitia Norimbergenſia, de Concilio actum, & Proteſtantes illud in aliquo Germaniæ loco, nẽpe Argentinæ, Moguntiæ, Coloniæ, ac Metis celebrari petiiſſent, ait pag. 26. *Nuncium circà petitionem Concilij replicaſſe, ſcire ſe, eam non eſſe à Pontifice improbandam, ſi verbis magis congruis petiſſent, eaq; penitus omitti requiſiuiſſe, quæ aliquam Pontifici ſuſpicionem dare poſſent, veluti illa, Concilij in vna magis, quàm in alia Ciuitate celebrandi. Nam arbitrio Pontificis, ni amouerentur, detrahere velle videbantur*. Ex quibus ne verbum quidem, nedum ſponſionem Synodi in Germania celebrandæ, per Adrianum factum fuiſſe patet. Et, cum Proteſtantes, vt refert pag. 65. *Locum Germaniæ propinquum nominatim*, & pag. 75. *inter fines Imperij* approbaſſent, idcircò Tridentina Ciuitas in Germaniæ, & Italiæ finibus ſita, & de aſſenſu etiam, vt inquit Thuanus, Principum Germaniæ, electa fuit. Qui locus cum *ſubiectus Cæſari eſſet, eiuſque armis propinquus*, vt ait, 296. non ſolùm non erat in poteſtate Pontificis, ſed Proteſtantibus tutiſſimus, quos idem Cæſar, ſua fide, & protectione tutabatur, Sed Proteſtantes, qui Concilium nullo modo volebant, non verebantur à condicto recedere, cum ipſi reuera, & Pontificem, & Cæſarem, & totum verè mundum ludificarent.

49. *Quâ ratione, circa ſuffragia in Concilijs reddenda, ad conſuetam in his temporibus ſit peruentum.*

HISTORIA.

RECenſito quâ ratione, in præcedentibus temporibus, ſuffragia in Concilijs redderentur, nempe per capita, concludit dicendo pag. 132. Principibus à rerum Eccleſiaſticarum tractationibus omnino excluſis, huius Concilij vſus (nempe quod à Principibus conuocabatur) euanuit, illudque ſolum remanſit, quod ab eiſdem Eccleſiaſticis conuocatur, quod etiam totum ferè in ſe ſolum Romanus Pontifex deriuauit, ſuos Legatos præſidentes allegando, quocumque de Concilio celebrando peragi audiebat: & poſt alicuius temporis lapſum, eam quoque facultatem ſibi tribuit, quâ Romani Principes pollebant, conuocandi, è tota Imperiali ditione Concilij, in eiſque, ſi præſentes fuiſſent, præſidendi ſin vero abſentes mittendi, qui ſuo nomine præſiderent, actionemque moderarentur. Sed in Prælatis in Synodo conſtitutis, Principis mundani timore adempto, per quem in officio continebantur; quemadmodum rerum mundanarum cauſæ in immenſum creſcebant, ex quo indecentia multiplicabatur, materias ſecreto, ac priuatim digeri, & ordinari cœptum eſt, quò decus in publico conſenſu, ſeruaretur. Quo poſteà pro forma vſurpato, in Concilijs, præter Seſſiones, congregationes aliquorum, ad materias inſtruendas, inſtitutæ fuerunt, quæ à principio, quando multiplices erant, diuidebantur, peculiarem cuique congregationem aſſignando. Cumque ne id quidem, ad omnia indecentia tollenda, ſat eſſet, cum per eos, qui non interueniſſent, quique ab aliorum ſcopo abeſſent, difficultates publicè excitarentur, præter peculia-

culiarem, generalis quoque Congregatio ante ſeſſionem, inſtituta fuit, in qua omnes adeſſent: quæ, ſi ritus antiquus inſpiciatur, verè eſt actio conciliaris; quandoquidem ſeſſio, cum rem actam agat, pura ſit cæremonia. Vix ſeculum effluxit, cum propriæ vtilitatis rationes aliquam inter diuerſarum Nationum Epiſcopos æmulationem, excitarunt. Nam, cum remotæ, quę exiguo numero erant, minimè ferentes, ſe à vicinioribus numero pollentibus, ſuperari, ad æqualitatem inter eos ſeruandam, neceſſe fuit, vnamquamque ſeorſum congregari, & ſuffragiorum numero ſuam deliberationem facere, vniuerſalemque definitionem, non per ſingulorum ſuffragationem, ſed per pluralitatem ſuffragiorum Nationum ſtatui. Ita in Concilijs Conſtantiæ, & Baſileæ ſeruatum fuit. Qui vſus, vti admodum proprius, vbi liberè gubernatur, qualis tunc temporis erat, cum Mundus Pontifice careret; ita parum è re Tridentina fuiſſet, vbi Concilium Pontifici ſubiectum requirebatur: Et hæc cauſa fuit, cur Legati Tridenti, & Curia Romæ adeò de forma procedendi, & de conditione, authoritateque præſidentiæ, ſoliciti eſſent.

CONFVTATIO.

IN omnibus Concilijs, vſque ad Conſtantienſe & Baſileenſe ſeruatum fuiſſe fatetur, vt ſuffragia per capita redderentur. In his enim duobus, inquit, non per capita, ſed per Nationes, ſuffragium latum fuiſſe. Quod qua ratione factum fuerit, docet Iacobatius de Concilio lib. 5. artic. 4. dicens, *poſſe etiam pro omnibus ſimul Synodum reſpōdere, quod factum nouiſſimè videtur in Concilio Conſtantienſi in prima ſeſſione, verſiculo Quia verò, vbi ad Schedulam officialium deputatorum in Concilio Cardinalis alta voce interrogans ſciſcitatus eſt, vtrum omnia, & ſingula in ſupradicta Schedula contenta ipſi Synodo placerent, omneſque, & ſinguli*

Prælati in Synodo exiſtentes, (concordes, nemine diſcrepante) reſponderunt, placent. Et ſimiliter in Concilio Baſileenſi ad inſtar Conſtantienſis, vbi Epiſcopus Conſtantienſis alta, & intelligibili voce ſciſcitatus eſt, ſi placerent, quæ erant lecta, Cardinaliſque præſidens, primò, deinde cœteri omnes, & ſinguli Prælati, nullo diſcrepante, reſponderunt vna voce, placent.

Quare ſuffragia etiam in his Concilijs, *à ſingulis* dicebantur, licèt omnes ſimul reſponderent: & ſolùm in ſeſſionibus, nonnulli ab ipſis Nationibus conſtituti reſpondebant. Quæ eſt conſuetudo ſeruanda in omnibus Concilijs generalibus, vt patet ex ipſo Concilio Conſtantienſi in capitulo poſito in fine dicti Concilij, cui titulus, *Modus obſeruandus in publica ſeſſione Conciliorum generalium practicatus, & obſeruatus in Concilio generali Conſtantienſi*, vbi dicitur, *peractis orationibus idem Præſidens, vel celebrans, & omnes alij Prælati ſedent, & ponunt mitras in capitibus ſuis. Et tunc vnus Prælatorum ad hoc deputatus, legit decreta in illa ſeſſione expedienda. Et in eodem ambone cum dicto Prælato legente ipſa decreta, erant Præſidentes Nationum tempore Concilij Conſtantienſis, & reſpondebat quilibet Præſidens, Placet, pro Natione ſua. Præſidens verò generalis in dicta ſeſſione, reſpondebat etiam, Placet, etiam pro ſacro Concilio, & Collegio generali.* Qui modus, cum reducatur ad puram cæremoniam, ad effectum decoris in ſeſſione publica ſeruandi, nil ex eo deduci poteſt, cum nihilominus *ex ſingulorum ſuffragatione* deliberandum eſſet. Quare malignè Polanus ait, *hæc ratio è re Tridentina non fuiſſet, vbi Concilium Pontifici ſubiectum requirebatur.* Eòque magis, cum concludat, *indè factum fuiſſe, cur Legati Tridenti, & Curia Romæ adeo formam procedendi & conditionem, authoritatemque Præſidentiæ ſibi proficuas cenſerent;* cum iam oſtenderimus, de hac ratione procedendi, nullum omninò verbum in ea ſtatuenda, factum fuiſſe; ſed ab omnibus patribus, nemine aduerſante, ſtatu-

tam.

tam eſſe, vt recenſuit Auctor idem pag: 134. & in Præſidentibus conditiones Pontificem duntaxat, illi tempori, ac negocio neceſſarias, opportunaſque elegiſſe: nec eis auctoritatem, niſi *vnà cum Patribus decernendi* attribuiſſe. Et hæc de ratione procedendi, ſeu ſuffragia in Concilio reddendi.

Sed impudentius, turpiuſq; imponit, dum itidem ait, Principes, eorumque Præfectos Concilia congregaſſe, Actionem moderatos eſſe, eiſque præſediſſe, vt exemplis obtendit Colloquij Catholicorum, & Donatiſtarum, Concilij Epheſini, Calcedonenſis, & alijs, quæ enumerat, cum huiuſmodi impoſturæ eò magis inexcuſabiles ſint, quòd Polani tẽporibus non defuerint, qui hæc omnia perperam ab hæreticis obiecta fuiſſe probauerint. Et pro omnibus ſufficere poſſit Eminentiſs. Bellarminus, qui ea refellendo, luce ipſa meridiana clarius aperit, in omnibus Concilijs generalibus, Legatos Apoſtolicos pręſediſſe: Principes verò, & Imperatores, eorumque Præfectos, & Iudices, non conuocaſſe, præſediſſe, aut actionem moderatos eſſe; ſed ad ſolam tantummodò Synodi defenſionem, ſuam auctoritatem interpoſuiſſe. Quarè lectorem ad eundem Bellarminum, & etiam Baronium, alioſque reijcimus.

Malignè etiam euertit ibidem locum Sancti Cypriani, dicens, omnes Chriſtianorum Eccleſias, vnam, & Epiſcopatus omnes vnum itidem eſſe, ita formatum, cuius vnuſquiſque partem teneat, non tanquam propriam, ſed ita, vt omnes totum regere debeant; ſingulis tamen magis occupatis in ea regenda, quæ ipſorum curæ ſpecialiter demandata eſſet. Nam Diuus Cyprianus, non dicit Chriſtianorum Eccleſias vnam eſſe, & Epiſcopatus omnes vnũ eſſe, ſed omninò contrà, nempè vnã eſſe Eccleſiã, vnumque Epiſcopatum, illumq; ſolius Petri eſſe, dicens, vt ſunt eius verba: *loquitur Dominus ad Petrum, ego dico tibi* (inquit) *quia tu es Petrus, & ſuper iſtam Petram,*

ædificabo Eccleſiã meam & portæ inferi non vincent eã: & tibi dabo claues Regni cælorũ, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in Cælis, & quæcumque ſolueris ſuper terram erunt ſoluta, & in Cælis. Et iterum eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit, Paſce oues meas. Quæ verba explicat Diuus Cyprianus ſubdens, *ſuper illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas. Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat; & dicat, ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum; ſi cui remiſeritis peccata; remittuntur illi, ſi cui tenueritis, tenebuntur; tamen; vt vnitatem manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem, ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique, & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis; ſed exordium ab vnitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur. Et Paſtores ſunt omnes, ſed grex vnus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur.* Et poſt multa concludit, *Epiſcopatus vnus eſt; cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur;* Sed addit: *Eccleſia quoque vna eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento fæcunditatis extenditur, quomodò ſolis multi radij, ſed lumen vnum: & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum; & cum de fonte vno riui plurimi diffluunt, numeroſitas, licèt diffuſa videatur ex vndantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine,* cum alijs, quæ addit, quibus confirmat vnam eſſe Eccleſiam ſupra Petrum ædificatam; vnumq; Epiſcopatum, non plures Eccleſias, aut plures Epiſcopatus, vt Polanus, ad diuiſionem, & ſciſſuras faciendas in Eccleſia, perperam, ex Diuo Cypriano obtrudere ſatagit.

50.06.

50. *Oblectiones, & Conciones, inter Epiſcopos, & Regulares, contentiones; & alia de Regularibus.*

HISTORIA.

PAg. 156. De lectionibus, & Concionibus grauiſſimæ controuerſiæ fuerunt. Fratres Regulares earũ functionum poſſeſſionem ſibi totis viribus vindicabant; tum quia illas priuilegio Pontificum obtinuiſſent; tum quia ſoli eas per trecentos fermè annos exercuiſſent: & Prælati allegantes, ea ſui muneris propria eſſe, ſibique vſurpata, reſtitui poſtulabant. Et pag. 164. iterum ait, in agendo de lectionibus, & concionibus, omnes Epiſcopi, ſed potiſſimum Hiſpani, querebantur, quia, cum Chriſtus ſua doctrina homines imbui preceperit (idque fiat concione in Eccleſia, & lectione ergà magis idoneos) adhòc, vt populis erudiendis apti ſint, cura regendi quoſcumque alios, qui ea miniſteria exerceant, ad ſolum Epiſcopum pertineat, quòd Apoſtoli ita conſtituerint, Sanctique Patres fecerint. Sed eis temporibus hoc munus omninò Epiſcopis, ob priuilegia, ablatum fuiſſe, adeò vt, nec minimum quidem eis relictum ſit: indeque, precepto Chriſti euerſo, omnia peſſum abijſſe. Vniuerſitates ſe ita exemptionibus ab Epiſcopis ſubtraxerunt, vt quæ doceant ſcire non poſſint: Conciones ex priuilegio Fratribus demandantur, qui Epiſcopum nullatenus recognoſcunt: nec ſe ea in re ingerere permittunt. Quarè Epiſcopi omninò Paſtoris officio priuantur &c. contrà, qui antiquitus ſolis plangendis peccatis inſtituti erant, quibus docere, & concionari, ſub ſeueris poenis omninò vetitum eſſet, id ſibi munus aſſumpſerunt, vel vt proprium eis tributum eſt; & grex omninò & paſtore, & mercenario caret, cum hi Prædicatores ambulatorij, qui modò

dò huc, modò illuc per diuerſas Vrbes diſcurrunt, non æquè ac proprius Paſtor, qui ſemper cum grege viuit, eiuſque neceſſitates,& infirmitates noſcit,& exigentiam, & captum populi,nec eius erudiendi, aut ædificandi occaſiones norunt. Cum &, præter id, eorum concionatorum ſcopus, non ædificatio, ſed priuatum ex eleemoſynis, ſui, aut ſuorum Monaſteriorum lucrum ſit, quod vt fructuoſius euadat, animarum vtilitate poſthabita, in eo toti ſunt,vt delectent, aſſententur, aut cupiditatibus obſequantur, quò maius inde ſibi quæſtum comparare poſſint,& populus pro doctrina Chriſti, vel nouitatibus, vel vanitatibus paſcitur. Vnum ex his Lutherum fuiſſe,qui, ſi in peccatis plangendis in ſua cella manſiſſet, his Eccleſia Chriſti calamitatibus non affictaretur: eiſque incommodis vnicum eſſe remedium,priuilegia omnia penitùs abrogare: docendi,& concionandi curam Epiſcopis reſtituere, qui eos ſibi cooperatores eligant, quos,& eo miniſterio dignos, & illud ex charitate exercere paratos agnoſcant.

CONFVTATIO.

CVm decretum fuiſſe dicat pag.180. *Si Concionator hæreſes prædicauerit, Epiſcopus contrà eum ex iuris diſpoſitione, aut conſuetudine procedat*; profectò aperit, Epiſcopos, tam ex iuris diſpoſitione, quàm ex conſuetudine, auctoritatem in Concionatores,etiam ante Synodum Tridentinam, re ipſa exercuiſſe. Quemadmodum,& cum Legatos regulares redarguiſſe dicat pag.167. quòd *honeſtatis per eos limitibus tranſgreſſis, priuilegijs nimium abuſi eſſent*; nec illam regulares redargutionem reiecerint; vtique eà priuilegia *intrà terminos honeſtatis* fuiſſe; nec quicquam perconſequens de auctoritate, ac iure Epiſcoporum ex eis priuilegijs deperijſſe perſpectiſſimum facit. Quibus per auctorem poſitis, patet.

Pri-

Primùm, non potuiſſe Epiſcopos, pro ſuæ auctoritatis re integratione, ea in re, iure agere, cum per priuilegia regularium, nullo vnquam tempore læſa, aut imminuta fuerit.

Secundò, non potuiſſe iure conqueri, ſe Concionatores in officio continere non poſſe: vel non potuiſſe ſe in eis rebus ingerere; aut quicquam ad doctrinam ſanam conſeruandam, facere, cum eos coercendi poteſtatem, & lege, & conſuetudine, quocumque tempore, exercuerint, vt ipſimet etiam Epiſcopi fatentur in dicto decreto, ab eiſdem pro maiori dictæ legis, & conſuetudinis corroboratione, facto.

Tertiò, cum dicat, paucos, aut nullos ex Epiſcopis reſidere, ob eas cauſas, quas recenſet, ſed præſertim, *quia ius nominationis habentes, ineptos vt plurimùm præſentent*, vt ait; non ſolùm, non poterant iuſtè de Pontificibus conqueri, ſed eos potius ſummoperè laudare, ſi, ipſis Epiſcopis in munere docendi, & concionandi deficientibus, regulares ſubrogauerint, qui eorum vice, munia illa adeò neceſſaria exercerent. Immò incredibile omninò videtur, Epiſcopos, (cum regularium opera, adeò illis ex vſu eſſet) ſeſe eo auxilio (pro eorum priuilegiorum abrogatione inſtando) deſtituere voluiſſe: & ſuſpicari, ideo meritò poteſt, an hæc Epiſcoporum querelæ in his terminis conceptæ fuerint.

Quartò, quàm ineptè, immò ridiculè ſupponat, Pontifices hæreſum diſſeminationes, ob ea priuilegia tuliſſe, aut permiſiſſe. Cum omnes enim hæreſes populos neceſſariò ab obedientia, & vnitate Sedis Apoſtolicæ ſeparent, vt dixit loco alibi ſupra relato; incredibile prorſus eſt, eos illa voluiſſe, quæ in ipſorummet iacturam recaſura eſſent, & contrà propria ideo commoda laboraſſe. Et quorſum nam exempla Martini Lutheri, qui, quando hæreſes ſeminauit, iam à religione apoſtauerat? Verius equidem pronunciaſſet, ſi potius dixiſſet, nemi-

ni amplius ex Epiſcopis poteſtatem eſſe poſſe, ſi qui forſan eorum (quod Deus auertat) id tentare vellent, errores diſſeminandi, aut ſanam doctrinam corrumpendi, ob paratum vbique locorum obijcem regularium, vt experientia docuit, cum huiuſmodi nouatoribus oportuerit) ſi quando Sathanæ ſpiritu agitati fuerunt) Angliam, aliaſue ſimiles regiones adire, vbi ſuum venenum euomerent, vt Auctor Vergerio, iis temporibus, accidiſſe dixit pag. 150. & Spalatenſi noſtra ætate contigiſſe vidimus.

Cæterùm, cum ait, non ad aliud antiquitus regulares inſtitutos fuiſſe, quàm *vt peccata plangerent, quibus docere, & concionari, ſub grauiſſimis pænis expreſſè vetitum eſſet*, ſibi contradicit, cum dixerit pag. 166. antiquitus *monaſteria, & domus Canonicales* (quas *regularium Sedes maiori ex parte fuiſſe* ait pag. 215. *nil aliud, quàm Collegia, & Scholas fuiſſe, earumque adhuc reliquias in Cathedralibus remanere, vbi eſt dignitas Scholaſtici cum prabenda, qui eſt caput Lectorum*.

HISTORIA,

ADdit poſteà pag. 165. Legatos à duabus partibus ſtimulatos, de magis ſibi intimorum conſil io, Romam ſcribere, & reſponſum expectare decreuiſſe, & Pontificem rem ad Congregationem reieciſſe: ibique illicò perſpectum fuiſſe, quidnam Epiſcopi obtenderent; nempè, vt omnes in ſuis Dioeceſibus, Pontifices fierent, cum, priuilegio, & exemptione Pontificia ſublatis, omnibuſque ideo ab eis, & nemine à Pontifice dependente, omnis illicò Romanæ Vrbis adeundæ ratio ceſſaſſet. Perpendebant, ab antiquiſſimis temporibus, Pontificibus Romanis peculiare, Primatus ſibi à Chriſto traditi conſeruandi arcanum fuiſſe, Epiſcopos ab Archiepiſcopis, & Abbates ab Epiſcopis, eximere, & ita deuinctos ad illum tuendum habere.

Digitized by Google

CONFVTATIO

SEd quinã,quęſo,illi magis intimi Legatorum erant,ſi, eis totis viribus paulò ante adnitẽtibus,vt,reformatione penitus poſthabita, de ſolis dogmatibus ageretur, omnes ad vnum, nemine prorſus axcepto (vt vidimus pag. 140.) eiſdem etiam inuitis, ac repugnantibus Legatis, vnà quoque de reformatione peragi, decreuiſſe perhibuit?

Sine riſu poſteà legi non poteſt arcanum illud,Epiſcopos ab auctoritate Archiepiſcoporum, & Abbates ab Epiſcopis eximendi, eo fine, vt deuotos haberent, qui Primatum Romanũ defenderent.Si Archiepiſcopos enim à ſe ab alienaſſent, dum Epiſcopos ab eorum ſuperioritate eximunt: Et Epiſcopos itidem amiſiſſent, regulares ab eorum poteſtate ſubtrahendo; quinam in Concilijs (vbi potiſſimùm eorum Primatus exagitari potuiſſet, vt accidit in Tridentino) eos defendiſſent? An contrà Archiepiſcopos, & Epiſcopos omnes, ſoli forſan Abbates? An hæc ſunt Romanæ Curiæ arcana, an tua potius deliramenta Polane? Et, ſi tu idem, Romanum Primatum à Deo eſſe fateris; quid magis impium, quàm fulcris humanis illum per Põtifices ſuſtentari oportuiſſe affirmare?

HISTORIA.

SVbdit verò, perſpectiſſimum eſſe, Primatum Sedis Apoſtolicæ, ab anno ſexcenteſimo per Monachos Benedictinos exemptos, & Congregationes poſteà Cluniacenſem, & Ciſtercienſem, aliaſque Monachales ſuſtentarum fuiſſe, quouſque Deus Ordines mendicantiũ excitauit, à quibus defenſus vſque ad eam diem fuerit: & eorum priuilegia abrogare, nil aliud idcircò fuiſſet, quàm Pontificatum directè,non eos Ordines oppugnare.

non eo tempore, nec eis de cauſis Pontifex Concilium celebrare decreuit, cum eam deliberationem, iam diu antè feciſſe, docuerit, pag. 91. dicens, *ea, quæ in Comitijs Ratiſponenſibus euenerant, Pontificem induxiſſe, non tam ad aſſentiendum, vt prius; Sed ad totis viribus Concilij celebrationem vrgendam.* Quemadmodum, & aperit ex epiſtola, quam Pontificem Cæſari ſcripſiſſe itidem retulit pag. 104. in qua dicebat, *ſe reformationis cupidum eſſe, idque ipſa indictione Concilij declaraſſe, quam pluries feciſſet; & ſemper, cum aliqua illius congregandi ſpes affulſit: &, licèt illuc vſque fruſtrà; non tamen ſuo officio defuiſſe, cum ob vniuerſale Chriſtianitatis, & peculiare Germaniæ beneficium, Concilium vnicum rebus omnibus remedium deſideraret: indictumque iam eſſe: ipſiuſque ideo Cæſaris eſſe viam aperire, quo celebrari poſſet, pacem ſanciendo, aut differendo bellum, dum in Concilio res religionis tractantur.*

Eòque magis cum dicat pag. 124. *è re Pontificis non fuiſſe in eo ſtatu continuare, & Concilium ſuſpenſum tenere, & illud de die in diem trahere, quo nulla deterior deliberatio eſſet, ob magnam, ac perpetuam, quæ inde emanare poſſent iacturam.*

Cumque pag. 85. dixerit, *nouas controuerſias in Germania religionis cauſa à mala forſan intentionis hominibus, qui ſesè eo prætextu tegebant, excitatas fuiſſe:* patet etiam quàm malignè dicat, *diſſenſiones omnes à Curia emanaſſe.*

45. *Contra Valdenſes Hæreticos, Gallorum ſeuitia.*

HISTORIA.

PAg. 115. In Gallia armis ſeuitum fuiſſe ait in aliquot Valdenſium reliquias, qui Prouinciæ alpes incolebant, ſeque ab obedientia Romanæ Sedis immunes ſeruauerant: quique diuerſi ab ea doctrina, & ritibus admodum rudibus, & imperfectis, viuentes, poſt renoua-

tionem

tionem Zuinglij, eius doctrinam propriæ miſcuerāt, ſuoſque ritus eo tempore ad aliquam Formam redegerant, cum Geneua reformationem recepit. In quos, cum iam aliquot annis ſententia fulminata eſſet à Senatu Aquenſi, quæ non dum executioni demandata erat, Rex hoc tempore, eam executioni demandari precepit. Subdens verò, de eis erudiendis, aut terrendis, quò à ſuis opinionibus diſcederent, nullatenus actum fuiſſe, ſuam de more malignitatem, leuitatemque prodit. Cum non deeſſent enim in Regno, qui populos de veritate catholica erudirent: & Rex contrà hæreticos tot edicta vulgaſſet, que Auctor recenſet; & ipſi è contra, proprijs ſpretis Doctoribus, Regiſque iuſſionibus conculcatis, Zuinglium potius, & Geneuenſes adire voluiſſent; quis non videat, eorum malitiam completam fuiſſe, & ſola peruerſitate contumaces eſſe voluiſſe? Et, cum illa eſſet executio ſententiæ in eos, iam diu ante fulminatæ (quæ citationes, & monitiones præcedentes neceſſariò ſupponit;) quis etiam non videat, eas inſuper benignitate, ac patientia Regis multo tempore peruicaciter abuſos fuiſſe, eorumque contumaciam nullum idcirco locum miſericordiæ amplius reliquiſſe?

46. Parmam, & Placentiam à Duce, quàm ab Eccleſia recuperare facilius Cæſari fuiſſet.

HISTORIA.

PAg. 117. Non ingratum Cæſari erat, Parmam, & Placentiam per Pontificem nepotibus dari, quòd facilius eſſet eas à Duce, quàm ab Eccleſia recuperare.

CONFVTATIO.

CVm Eccleſia *directum ſibi earum Vrbium dominium reſeruaret*, vt inquit pag. 124; An ſapientiſſimus Imperator

perator ignoraſſet, ſibi in poſterum cum duobus rem fore, cum Farneſijs ſcilicet, & cum Pontifice? Quod notamus, non quia prò, aut contrà faciat; ſed vt pateat, qua temeritate, ac leuitate Auctor alijs intentiones attribuat, & hiſtoriam ideò, non ex veritate, ſed pro arbitrio tantummodò, confinxiſſe.

47. *In cauſa Archiepiſcopi Colonienſis inter Pontificem, & Cæſarem, ob fori competentiam, diſſenſio.*

HISTORIA.

PAg. 121. Cum Cæſar in ius coràm ſe vocaſſet Archiepiſcopũ Coloniæ ob cauſas religionis, vt dixit pag. 120. Pontifex cum itidem, ob eandem cauſam, coràm ſe vocauit. Quarè ait, controuerſum reliquiſſe, quanam ratione Archiepiſcopus ſeſe duobus ſiſtere potuiſſet, qui, ob eandem cauſam illum eodem tempore, ad diuerſa loca trahebant, & in quo ad Chriſti honorem ſpectaret ea, de competentia fori contentio.

CONFVTATIO

QVaſi indubitati iuris non ſit. eum, qui hoc modo à duobus vocetur, nonniſi illi ſe ſiſtere debere, cuius iuriſdictioni ſubiacet: & perſonæ Chriſti ſeruitio dicatæ, ad eum non pertineant, cum ipſe, quæ ſunt Dei, Deo reddenda eſſe preceperit.

48. *Aduerſus Tridentinum Proteſtantium ſcriptum.*

HISTORIA

PAg. 122. Proteſtantes, cum Vormatia diſceſſiſſent, edito libro, dixerunt, ſe Tridentinum, vt Conciliũ non habere, cum iuxtà promiſſiones Adriani, & Cæſaris, in Germania congregatum non eſſet, quibus ſatisfácere oſten-

oſtentantes eligendo Tridentum nil aliud eſſe, quàm totum mundum irridere, quando Tridentum in Germaniæ dici non poſſit, niſi quatenus eius Vrbis Epiſcopus ſit Princeps Imperij, ſed in eo, quod pertinet ad ſecuritatẽ, æquè benè, ac ipſam Romam in Italia ac Pontificis poteſtate eſſe.

CONFVTATIO

CVm Adrianus Pontifex miſiſſet ſuum Nuncium ad Comitia Norimbergenſia, de Concilio acturum, & Proteſtantes illud in aliquo Germaniæ loco, nẽpe Argentinæ, Moguntiæ, Coloniæ, ac Metis celebrari petiiſſent, ait pag. 26. *Nuncium circà petitionem Concilij replicaſſe, ſcire ſe, eam non eſſe à Pontifice improbandam, ſi verbis magis congruis petijſſent, eaq; penitus omitti requiſiuiſſe, quæ aliquam Pontifici ſuſpicionem dare poſſent, veluti illa, Concilij in vna magis; quàm in alia Ciuitate celebrandi. Nam arbitrio Pontificis, ni amouerentur, detrahere velle videbantur*. Ex quibus ne verbum quidem, nedum ſponſionem Synodi in Germania celebrandæ, per Adrianum factum fuiſſe patet. Et, cum Proteſtantes, vt refert pag. 65. *Locum Germaniæ propinquum nominatim*, & pag. 75. *inter fines Imperij* approbaſſent, idcircò Tridentina Ciuitas in Germaniæ, & Italiæ finibus ſita, & de aſſenſu etiam, vt inquit Thuanus, Principum Germaniæ, electa fuit. Qui locus cum *ſubiectus Cæſari eſſet, eiuſque armis propinquus*, vt ait, 296. non ſolùm non erat in poteſtate Pontificis, ſed Proteſtantibus tutiſſimus, quos idem Cæſar, ſua fide, & protectione tutabatur, Sed Proteſtantes, qui Concilium nullo modo volebant, non verebantur à condicto recedere, cum ipſi reuera, & Pontificem, & Cæſarem, & totum verè mundum ludificarent.

Digitized by Google

49. *Qua ratione, circa ſuffragia in Conciliis reddenda, ad conſuetam in his temporibus ſit peruentum.*

HISTORIA.

Recenſito qua ratione, in præcedentibus temporibus, ſuffragia in Concilijs redderentur, nempe per capita, concludit dicendo pag. 132. Principibus à rerum Eccleſiaſticarum tractationibus omnino excluſis, huius Concilij vſus (nempe quod à Principibus conuocabatur) euanuit, illudque ſolum remanſit, quod ab eiſdem Eccleſiaſticis conuocatur, quod etiam totum ferè in ſe ſolum Romanus Pontifex deriuauit, ſuos Legatos præſidentes allegando, quocumque de Concilio celebrando peragi audiebat: & poſt alicuius temporis lapſum, eam quoque facultatem ſibi tribuit, quâ Romani Principes pollebant, conuocandi, è tota Imperiali ditione Concilij, in eiſque, ſi præſentes fuiſſent, præſidendi ſin vero abſentes mittendi, qui ſuo nomine præſiderent, actionemque moderarentur. Sed in Prælatis in Synodo conſtitutis, Principis mundani timore adempto, per quem in officio continebantur; quemadmodum rerum mundanarum cauſæ in immenſum creſcebant, ex quo indecentia multiplicabatur, materias ſecreto, ac priuatim digeri, & ordinari cœptum eſt, quò decus in publico conſenſu, ſeruaretur. Quo poſteà pro forma vſurpato, in Concilijs, præter Seſſiones, congregationes aliquorum, ad materias inſtruendas, inſtitutæ fuerunt, quæ à principio, quando multiplices erant, diuidebantur, peculiarem cuique congregationem aſſignando. Cumque ne id quidem, ad omnia indecentia tollenda, ſat eſſet, cum per eos, qui non interueniſſent, quique ab aliorum ſcopo abeſſent, difficultates publicè excitarentur, præter peculia-

culia-

culiarem, generalis quoquè Congregatio ante ſeſſionem, inſtituta fuit, in qua omnes adeſſent: quæ, ſi ritus antiquus inſpiciatur, verè eſt actio conciliaris; quandoquidem ſeſſio, cum rem actam agat, pura ſit cæremonia. Vix ſeculum effluxit, cum propriæ vtilitatis rationes aliquam inter diuerſarum Nationum Epiſcopos æmulationem, excitarunt. Nam, cum remotæ, quę exiguo numero erant, minimè ferentes, ſe à vicinioribus numero pollentibus, ſuperari, ad æqualitatem inter eos ſeruandam, neceſſe fuit, vnamquamque ſeorſum congregari, & ſuffragiorum numero ſuam deliberationem facere, vniuerſalemque definitionem, non per ſingulorum ſuffragationem, ſed per pluralitatem ſuffragiorum Nationum ſtatui. Ita in Concilijs Conſtantiæ, & Baſileæ ſeruatum fuit. Qui vſus, vti admodum proprius, vbi liberè gubernatur, qualis tunc temporis erat, cum Mundus Pontifice careret; ita parum è re Tridentina fuiſſet, vbi Concilium Pontifici ſubiectum requirebatur: Et hæc cauſa fuit, cur Legati Tridenti, & Curia Romæ adeò de forma procedendi, & de conditione, authoritateque præſidentiæ, ſoliciti eſſent.

CONFVTATIO.

IN omnibus Concilijs, vſque ad Conſtantienſe & Baſileenſe ſeruatum fuiſſe fatetur, vt ſuffragia per capita redderentur. In his enim duobus, inquit, non per capita; ſed per Nationes, ſuffragium latum fuiſſe. Quod qua ratione factum fuerit, docet Iacobatius de Concilio lib. 5. artic. 4. dicens, *poſſe etiam pro omnibus ſimul ſynodum reſpõdere, ſicut factum nouiſſimè videtur in Concilio Conſtantienſi in prima ſeſſione, verſiculo Quia verò, vbi ad Schedulam officialium deputatorum in Concilio Cardinalis alta voce interrogans ſciſcitatus eſt, vtrum omnia, & ſingula in ſupradicta Schedula contenta ipſi Synodo placerent, omneſque, & ſinguli*

Prælati in Synodo exiſtentes, (concordes, nemine diſcrepante) reſponderunt, placent. Et ſimiliter in Concilio Baſileenſi ad inſtar Conſtantienſis, vbi Epiſcopus Conſtantienſis alta, & intelligibili voce ſciſcitatus eſt, ſi placerent, quæ erant lecta, Cardinaliſque præſidens, primò, deindè cœteri omnes, & ſinguli Prælati, nullo diſcrepante, reſponderunt vna voce, placent.

Quare ſuffragia etiam in his Concilijs, *à ſingulis* dicebantur, licèt omnes ſimul reſponderent: & ſolùm in ſeſſionibus, nonnulli ab ipſis Nationibus conſtituti reſpondebant. Quæ eſt conſuetudo ſeruanda in omnibus Concilijs generalibus, vt patet ex ipſo Concilio Conſtantienſi in capitulo poſito in fine dicti Concilij, cui titulus, *Modus obſeruandus in publica ſeſſione Conciliorum generalium practicatus, & obſeruatus in Concilio generali Conſtantienſi*, vbi dicitur, *peractis orationibus idem Præſidens, vel celebrans, & omnes alij Prælati ſedent, & ponunt mitras in capitibus ſuis. Et tunc vnus Prælatorum adhoc deputatus, legit decreta in illa ſeſſione expedienda. Et in eodem ambone cum dicto Prælato legente ipſa decreta, erant Præſidentes Nationum tempore Concilij Conſtantienſis, & reſpondebat quilibet Præſidens, Placet, pro Natione ſua. Præſidens verò generalis in dicta ſeſſione, reſpondebat etiam, Placet, etiam pro ſacro Concilio, & Collegio generali.* Qui modus, cum reducatur ad puram cæremoniam, ad effectum decoris in ſeſſione publica ſeruandi, nil ex eo deduci poteſt, cum nihilominus *ex ſingulorum ſuffragatione* deliberandum eſſet. Quare malignè Polanus ait, *hæc ratio è re Tridentina non fuiſſet, vbi Concilium Pontifici ſubiectum requirebatur*. Eòque magis, cum concludat, *indè factum fuiſſe, vt Legati Tridenti, & Curia Romæ adeo formam procedendi & conditionem, authoritatemque Præſidentiæ ſibi proficuas cenſerent*; cum iam oſtenderimus, de hac ratione procedendi, nullum omninò verbum in ea ſtatuenda, factum fuiſſe; ſed ab omnibus patribus, nemine aduerſante, ſtatutam.

tam.

tam eſſe, vt recenſuit Auctor idem pag: 134. & in Præſidentibus conditiones Pontificem duntaxat, illi tempori, ac negocio neceſſarias, opportunaſque elegiſſe: nec eis auctoritatem, niſi *unà cum Patribus decernendi* attribuiſſe. Et hæc de ratione procedendi, ſeu ſuffragia in Concilio reddendi.

Sed impudentius, turpiuſq; imponit, dum itidem ait, Principes, eorumque Præfectos Concilia congregaſſe, Actionem moderatos eſſe, eiſque præſediſſe, vt exemplis obtendit Colloquij Catholicorum, & Donatiſtarum, Concilij Epheſini, Calcedonenſis, & alijs, quæ enumerat, cum huiuſmodi impoſturæ eò magis inexcuſabiles ſint, quòd Polani tẽporibus non defuerint, qui hæc omnia perperam ab hæreticis obiecta fuiſſe probauerint. Et pro omnibus ſufficere poſſit Eminentiſs. Bellarminus, qui ea refellendo, luce ipſa meridiana clarius aperit, in omnibus Concilijs generalibus, Legatos Apoſtolicos pręſediſſe: Principes verò, & Imperatores, eorumque Præfectos, & Iudices, non conuocaſſe, præſediſſe, aut actionem moderatos eſſe; ſed ad ſolam tantummodò Synodi defenſionem, ſuam auctoritatem interpoſuiſſe. Quarè lectorem ad eundem Bellarminum, & etiam Baronium, alioſque reijcimus.

Malignè etiam euertit ibidem locum Sancti Cypriani, dicens, omnes Chriſtianorum Eccleſias, vnam, & Epiſcopatus omnes vnum itidem eſſe, ita formatum, cuius vnuſquiſque partem teneat, non tanquam propriam, ſed ita, vt omnes totum regere debeant, ſingulis tamen magis occupatis in ea regenda, quæ ipſorum curæ ſpecialiter demandata eſſet. Nam Diuus Cyprianus, non dicit Chriſtianorum Eccleſias vnam eſſe, & Epiſcopatus omnes vnũ eſſe, ſed omninò contrà, nempè vnã eſſe Eccleſiã, vnumque Epiſcopatum, illumq, ſolius Petri eſſe, dicens, vt ſunt eius verba: *loquitur Dominus ad Petrum, ego dico tibi* (inquit) *quia tu es Petrus, & ſuper iſtam Petram,*

ædificabo Eccleſiã meam & portæ inferi non vincent eã: & tibi dabo claues Regni cælorũ, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata, & in Cælis, & quæcumque ſolueris ſuper terram erunt ſoluta, & in Cælis. Et iterum eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit, Paſce oues meas. Quæ verba explicat Diuus Cyprianus ſubdens, *ſuper illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas. Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat; & dicat, ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum Sanctum; ſi cui remiſeritis peccata; remittuntur illi, ſi cui tenueritis, tenebuntur; tamen; vt vnitatem manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem, ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique, & cæteri Apoſtoli, quod, fuit Petrus, pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis; ſed exordium ab vnitate proficiſcitur. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur. Et Paſtores ſunt omnes, ſed grex vnus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur.* Et poſt multa concludit, *Epiſcopatus vnus eſt; cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur;* Sed addit: *Eccleſia quoque vna eſt, quę in multitudinem latiùs incremento fæcunditatis extenditur, quomodò ſolis multi radij, ſed lumen vnum: & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum: & cum de fonte vno riui plurimi diffluunt, numeroſitas, licèt diffuſa videatur ex vndantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine,* cum alijs, quæ addit, quibus confirmat vnam eſſe Eccleſiam ſupra Petrum ædificatam; vnumq; Epiſcopatum, non plures Eccleſias, aut plures Epiſcopatus, vt Polanus, ad diuiſionem, & ſciſſuras faciendas in Eccleſia, perperam, ex Diuo Cypriano obtrudere ſatagit.

✠

50. Ob.

50. *Obiectiones, & Conciones, inter Epiſcopos, & Regulares, contentiones; & alia de Regularibus.*

HISTORIA.

PAg. 156. De lectionibus, & Concionibus grauiſſimæ controuerſiæ fuerunt. Fratres Regulares earũ functionum poſſeſſionem ſibi totis viribus vindicabant; tum quia illas priuilegio Pontificum obtinuiſſent; tum quia ſoli eas per trecentos fermè annos exercuiſſent: & Prælati allegantes, ea ſui muneris propria eſſe, ſibique vſurpata, reſtitui poſtulabant. Et pag. 164. iterum ait, in agendo de lectionibus, & concionibus, omnes Epiſcopi, ſed potiſſimum Hiſpani, querebantur, quia, cum Chriſtus ſua doctrina homines imbui preceperit (idque fiat concione in Eccleſia, & lectione ergà magis idoneos) adhòc, vt populis erudiendis apti ſint, cura regendi quoſcumque alios, qui ea miniſteria exerceant, ad ſolum Epiſcopum pertineat, quòd Apoſtoli ita conſtituerint, Sanctique Patres fecerint. Sed eis temporibus hoc munus omninò Epiſcopis, ob priuilegia, ablatum fuiſſe, adeò vt, nec minimum quidem eis relictum ſit: indeque, precepto Chriſti euerſo, omnia peſſum abijſſe. Vniuerſitates ſe ita exemptionibus ab Epiſcopis ſubtraxerunt, vt quæ doceant ſcire non poſſint: Conciones ex priuilegio Fratribus demandantur, qui Epiſcopum nullatenùs recognoſcunt: nec ſe ea in re ingerere permittunt. Quarè Epiſcopi omninò Paſtoris officio priuantur &c. contrà, qui antiquitus ſolis plangendis peccatis inſtituti erant, quibus docere, & concionari, ſub ſeueris poenis omninò vetitum eſſet, id ſibi munus aſſumpſerunt, vel vt proprium eis tributum eſt, & grex omninò & paſtore, & mercenario caret, cum hi Prædicatores ambulatorij, qui modò

dò huc, modò illuc per diuerſas Vrbes diſcurrunt, non æquè ac proprius Paſtor, qui ſemper cum grege viuit, eiuſque neceſſitates,& infirmitates noſcit,& exigentiam, & captum populi,nec eius erudiendi, aut ædificandi occaſiones norunt. Cum &, præter id, eorum concionatorum ſcopus, non ædificatio, ſed priuatum ex eleemoſynis, ſui, aut ſuorum Monaſteriorum lucrum ſit, quod vt fructuoſius euadat, animarum vtilitate poſthabita, in eo toti ſunt,vt delectent, aſſententur, aut cupiditatibus obſequantur, quò maius inde ſibi quæſtum comparare poſſint,& populus pro doctrina Chriſti, vel nouitatibus, vel vanitatibus paſcitur. Vnum ex his Lutherum fuiſſe,qui, ſi in peccatis plangendis in ſua cella manſiſſet, his Eccleſia Chriſti calamitatibus non affligeretur: eiſque incommodis vnicum eſſe remedium,priuilegia omnia penitùs abrogare: docendi,& concionandi curam Epiſcopis reſtituere, qui eos ſibi cooperatores eligant, quos, & eo miniſterio dignos, & illud ex charitate exercere paratos agnoſcant.

CONFVTATIO.

CVM decretum fuiſſe dicat pag. 180. *Si Concionator hæreſes prędicauerit, Epiſcopus contrà eum ex iuris diſpoſitione, aut conſuetudine procedat*; profectò aperit, Epiſcopos, tam ex iuris diſpoſitione, quàm ex conſuetudine, auctoritatem in Concionatores, etiam ante Synodum Tridentinam, re ipſa exercuiſſe. Quemadmodum,& cum Legatos regulares redarguiſſe dicat pag. 167. quòd *honeſtatis per eos limitibus tranſgreſſis, priuilegijs nimium abuſi eſſent*; nec illam regulares redargutionem reiecerint; vtique eà priuilegia *intrà terminos honeſtatis* fuiſſe; nec quicquam perconſequens de auctoritate, ac iure Epiſcoporum ex eis priuilegijs deperijſſe perſpectiſſimum facit. Quibus per auctorem poſitis, patet.

Pri-

Primùm, non potuiſſe Epiſcopos, pro ſuæ auctoritatis reintegratione, ea in re, iure agere, cum per priuilegia regularium, nullo vnquam tempore læſa, aut imminuta fuerit.

Secundò, non potuiſſe iure conqueri, ſe Concionatores in officio continere non poſſe: vel non potuiſſe ſe in eis rebus ingerere; aut quicquam ad doctrinam ſanam conſeruandam, facere, cum eos coercendi poteſtatem, & lege, & conſuetudine, quocumque tempore, exercuerint, vt ipſimet etiam Epiſcopi fatentur in dicto decreto, ab eiſdem pro maiori dictæ legis, & conſuetudinis corroboratione, facto.

Tertiò, cum dicat, paucos, aut nullos ex Epiſcopis reſidere, ob eas cauſas, quas recenſet, ſed præſertim, *quia ius nominationis habentes, ineptos vt plurimùm præſentent*, vt ait; non ſolùm, non poterant iuſtè de Pontificibus conqueri, ſed eos potius ſummoperè laudare, ſi, ipſis Epiſcopis in munere docendi, & concionandi deficientibus, regulares ſubrogauerint, qui eorum vice, munia illa adeò neceſſaria exercerent. Immò incredibile omninò videtur, Epiſcopos, (cum regularium opera, adeò illis ex vſu eſſet) ſeſe eo auxilio (pro eorum priuilegiorum abrogatione inſtando) deſtituere voluiſſe: & ſuſpicari, ideo meritò poteſt, an hæc Epiſcoporum querelæ in his terminis conceptæ fuerint.

Quartò, quàm ineptè, immò ridiculè ſupponat, Pontifices hæreſum diſſeminationes, ob ea priuilegia tuliſſe, aut permiſiſſe. Cum omnes enim hæreſes populos neceſſariò ab obedientia, & vnitate Sedis Apoſtolicæ ſeparent, vt dixit loco alibi ſupra relato; incredibile prorſus eſt, eos illa voluiſſe, quæ in ipſorummet iacturam recaſura eſſent, & contrà propria ideo commoda laboraſſe. Et quorſum nam exempla Martini Lutheri, qui, quando hæreſes ſeminauit, iam à religione apoſtauerat? Verius equidem pronunciaſſet, ſi potius dixiſſet, nemini.

ni.

CONFVTATIO

SEd quinã, quæſo, illi magis intimi Legatorum erant, ſi, eis totis viribus paulò ante adnitẽtibus, vt, reformatione penitus poſthabita, de ſolis dogmatibus ageretur, omnes ad vnum, nemine prorſus axcepto (vt vidimus pag. 140.) eiſdem etiam inuitis, ac repugnantibus Legatis, vnà quoque de reformatione peragi, decreuiſſe perhibuit?

Sine riſu poſteà legi non poteſt arcanum illud, Epiſcopos ab auctoritate Archiepiſcoporum, & Abbates ab Epiſcopis eximendi, eo fine, vt deuotos haberent, qui Primatum Romanũ defenderent. Si Archiepiſcopos enim à ſe ab alienaſſent, dum Epiſcopos ab eorum ſuperioritate eximunt: Et Epiſcopos itidem amiſiſſent, regulares ab eorum poteſtate ſubtrahendo; quinam in Concilijs (vbi potiſſimùm eorum Primatus exagitari potuiſſet, vt accidit in Tridentino) eos defendiſſent? An contrà Archiepiſcopos, & Epiſcopos omnes, ſoli forſan Abbates? An hæc ſunt Romanæ Curiæ arcana, an tua potius deliramenta Polane? Et, ſi tu idem, Romanum Primatum à Deo eſſe fateris; quid magis impium, quàm fulcris humanis illum per Põtifices ſuſtentari oportuiſſe affirmare?

HISTORIA.

SVbdit verò, perſpectiſſimum eſſe, Primatum Sedis Apoſtolicæ, ab anno ſexcenteſimo per Monachos Benedictinos exemptos, & Congregationes poſteà Cluniacenſem, & Ciſtercienſem, aliaſque Monachales ſuſtentatum fuiſſe, quouſque Deus Ordines mendicantiũ excitauit, à quibus defenſus vſque ad eam diem fuerit: & eorum priuilegia abrogare, nil aliud idcircò fuiſſet, quàm Pontificatum directè, non eos Ordines oppugnare.

CONFVTATIO.

ET ſe oblitum oſtendit, paulò ante dixiſſe, *Regulares, non ad aliud antiquitus inſtitutos fuiſſe, quàm ad peccata plangenda, quibus docere, & concionari, ſub grauiſſimis pœnis, expreſſè vetitum erat.* Immò, cum addat pag. 125. *numeroſa, & magna Monaſteria ædificata fuiſſe, quæ per Abbates magnæ famæ, & virtutis regebantur: & ob conſpicuas eorum virtutes, Epiſcopos obſcurabant: & cum aliquæ idcircò inter hos, & illos contentiones oborirentur; Abbates, vt ſe ab his incommodis, ſeu veris, ſeu commentitijs eximerent, & ſeſe à debita ſubiectione ſubtrahendo, ambitus notam effugerent, ſub Sancti Petri protectione, recipi, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubdi à Romanis Pontificibus impetrarunt,* proprium deſtruit figmentum, cum apertiſſimè doceat, non Pontifices Romanos, ſpontè, ac proprio motu, Abbates, & Regulares ab Epiſcopis exemiſſe, quò illos ad ſuum Primatum defendendum obſtrictos haberent; ſed Abbates eam exemptionem à Pontificibus vltro requiſiuiſſe, vt ſeſe ab Epiſcopis eximerent, quæ ſunt contradictiones ridiculæ.

HISTORIA.

ADdit tamen, cum id Romanæ Curiæ commodo cederet (quandoquidem, qui priuilegia obtinent, cõcedentis auctoritatem, ad ea conſeruanda, tueri teneantur) celerrimè cunctis Monaſterijs exemptiones conceſſæ fuerunt: quemadmodum, & capitula Cathedralium, vtpotè maiori ex parte regularium, exemptionem ſub eiſdem prætextibus, & alij itidem regulares, & Fratres impetrarunt.

CONFVTATIO.

SIquidem, quàm hæc impiè, ac falsò artibus Romanæ

næ Curiæ tribuat, ex eo certiſſimum eſt, quod exemptiones illæ à Sancto Gregorio Magno potiſſimùm, Sanctiſſimiſque eius prædeceſſoribus, non alia de cauſa, conceſſæ fuerint, quàm quia regulares nimio rigore ab Epiſcopis, regerentur, & vt ſatis etiam Principum petitionibus facerent, vt idem Sanctus Gregorius pluriès teſtatur, ſed pręſertim in ſuo regeſtro lib. 7. ep. 18. 35. 117. & alibi paſſim; In quibus Pontificibus, cum ob probatam, & minimè controuerſam eorum Sanctitatem, nulla artificij mundani ſuſpicio cadere poſſit; nemo non videt, Authorem alijs hæreticis nequiorem eſſe, qui horum Pontificum ſeculorumque innocentiam, Sanctitatemque improbare minimè præſumpſerunt.

Sed malignitas aduerſarij, præter hęc, ex eo irrefragabilis eſt, quòd idemmet poſtmodum ex facto comprobet, in ſua hiſtoria, regulares, & Tridenti, & alibi etiam, acerrimos ſemper in Pontifices fuiſſe, vt potiſſimùm in articulis Inſtitutionis, & reſidentiæ Epiſcoporum de iure diuino agitandis, aperit, in quibus de ſumma rerum pro re Pontificia, ac Romana Curia, actum fuiſſe contendit, vt ſuis locis patefacit: & pag. nominatim 177. dicat, *Ordinem Franciſcanum Ludouico Bauaro Imperatori excommunicato, magna ex parte adhæſiſſe*: & referat *Dominicanos Decretum Sixti IV. de Conceptione B. Virginis, irritum facere adniſos fuiſſe*: & ſufficiat pro omnibus Polanum inter cauſas, quibus Paulus III. Concilium Bononiam tranſtulit, peculiarem fuiſſe velit, timorem, quo ex regularibus afficiebatur, vt fusè docet pag. alibi ſupra notata. 233. Ex quibus, quemadmodum patet vana eſſe, quæ ea in re, Auctor ſupponit; ſic etiam vanè illa artificia Pontifici, Legatiſque tribui conſequitur, quæ recenſet, quò illæſa regularium priuilegia conſeruarentur: præſertim cum in artificijs, & prenſationibus illis, mendacia, ac repugnantiæ non deſint. Nam ſatisfactiones, quas Epiſcopis Italis datas fuiſſe, & quibus motum reſediſſe

 ait,

ait, nempè, *vt Concionatores, ſi hæreſes prædicaſſent, punire, eiſque concionem, ratione ſcandali, prohibere poſſint* non ex conuentione, quam ſupponit; nec eo tempore habuerunt Epiſcopi, *cum tam, & de iure, & ex conſuetudine*, ea libere exercerent, vt ex decreto ipſo docuimus, quod ea de re factum fuiſſe commemorat.

Ex quibus alia etiam notabilis repugnantia reſultat. Si enim Epiſcopi antiquæ per ſeipſos docendi, concionandique poſſeſſioni reſtitui, & Fratres, Regulareſque ab eis penitès repelli, tàm acriter inſtiterunt, ex neceſſitate etiam conſequitur, Epiſcopos eis functionibus per ſe ipſos idoneos indubitanter eo tempore fuiſſe. An enim ea ſibi reſtitui tàm acriter poſtulaſſent? Et malignè per conſequens dixiſſe Polanum pag. 158. *neminem inter Tridentinos Patres doctrina conſpicuum fuiſſe, ſed aliquot ex eis Iuris prudentiam calluiſſe, qui, licèt in ea forſitan profeſſione docti, ignari tamen Religionis eſſent, per paucoſque Theologos, ſed tenuis adeò capacitatis extitiſſe, vt ab omni ſpe abeſſent* (vt addit 175) *ſe ea poſſe labore, ac ſtudio aſſequi, & in rebus ſcolaſticis, vtpotè nimis aculeatis, à re aggredienda omninò animum deſpondiſſe.* Siquidem, ſi tales reuera fuiſſent; quonam pacto eas docendi, & concionandi functiones ſibi reſtitui, & omninò Regularibus interdici, adeò acriter contendiſſent, cum immò è contrà obſiſtere totis viribus debuiſſent, ne ad ea, per ſeipſos obeunda cogerentur?

Quarè, ſicut ex dictis malignitas Auctoris perſpectiſſima eſt; ſic, & ex eis dicendum videtur, ſi ab illis temporibus, quandò in Eccleſia tot Patres, Epiſcopi, ac Doctores æquè doctrina, ac Sanctitate conſpicui florebant, Romani Pontifices, abſque vlla prorsùs contradictione, Regulares à poteſtate Epiſcoporum liberè, eiſdemque Epiſcopis nullatenus refragantibus, eximebant; nulloque pacto eam in Pontifice poteſtatem cõtrouertebant, inde etiam certiſſimè inferendum ſit, poteſtatem Sedis

Apo-

Apoſtolicæ vbique, & ab omnibus, quocunque tempore, in tota Eccleſia, velut ſupremam habitam re ipſa fuiſſe: & exemptiones, diſpenſationes, reſeruationes, ac cœtera eiuſdem Sedis Apoſtolicæ priuilegia, ab antiquiſſimis temporibus fuiſſe: Epiſcopoſque omnes, cum executionem dictis Apoſtolicæ Sedis priuilegijs nullo vnquam tempore, denegauerint, nedum de eorum viribus dubitauerint, verè tenuiſſe, ac profeſſos per conſequens eſſe, auctoritatem Epiſcopalem, auctoritati, ac Primatui Summi Pontificis omninò ſubiacere, ab eiuſq; idcircò arbitrijs penitus dependere.

51. Decretorum quarta Seſſionis cenſura.

HISTORIA

PAg. 158. Seſſione peracta, euulgatiſque decretis, ait, res ardua reputabatur, quinque Cardinales, & quadraginta, & octo Epiſcopos adeò facilè res præcipuas religionis, ſupremique ponderis capita, ad ea vſque tempora indeciſa, diremiſſe, cum libris, qui incerti, & apocryphi habebantur, auctoritatem canonicam tribuiſſent, & translationem à textu originali diſcrepantem authéticam fecerint; intelligendique Verbi Diuini modum præſcripſerint, ac reſtrinxerint, & ne vnum quidem è Germanicis Epiſcopis, aut Theologis interfuiſſe.

CONFVTATIO.

PRæter quinque Cardinales, & quadraginta, & octo Epiſcopos, aderant etiam *quadraginta quinque* è primoribus Ordinũ Regularium Theologis, vt pag. 189. Sed his omiſſis, quæ nihil releuant; cum duo, vel tres in nomine Domini congregati ſufficiant; Auctoris malignitas ex pluribus apparet.

Pri-

Primùm enim, quo pacto dicere potuit, eos capita ad illa vſque tempora indeciſa diremiſſe, ſi pag. 728. & 763. (nempè in fine Concilij) præciſè dicit *de rebus illucuſque in Synodo pertractatis, iam aliorum Conciliorum, aut Pontificum decreta, vel vniformem Doctorum ſententiam extare?*

II. Si tanti ponderis articulos definierunt; vtique nulla veritate paulò ante dixiſſe conuincitur, *Legatos, non alium ſibi ſcopum, quàm temporis protrahendi præfixiſſe; diſcordijſque idcircò fomitem præbuiſſe*, vt alibi ſuprà notauimus.

III. Quòd obijciat, ardua, ac ſupremi ponderis capita definita in ea ſeſſione fuiſſe, & poſteà pag. 159. Pontificem dicentem inducat, res in ea ſeſſione definitas, non ſolum *controuerſas non fuiſſe, omneſq; in eis conuenire; ſed principia indubitata eſſe.*

IV. Quòd dicat, libros per Synodum approbatos, incertos, & apocryphos eſſe: & è contrà referat in decreto, *eos in Eccleſia legi conſueuiſſe:* & inſuper liqueat, traditiones, & libros Canonicos, per Tridentinum receptos, vnanimi Conciliorum, Patrum, Doctorumque omnium Eccleſiæ conſenſione receptos, probatoſque eſſe, vt fusè oſtendit Iodocus Coccius in ſuo Theſauro, innumerabileſque alij, vbique notiſſimi.

V. Quòd obijciat, approbatam fuiſſe translationem diſcrepantem à textu originali; cum ſuperius pag. 155. dixerit, cum Patres editionem vulgatam probaſſent, eã tamen, antequam typis ederetur, *caſtigari mandaſſe, & ſex Patres emendationi præpoſuiſſe, qui illi correctioni accuratè incumberent*. Cum enim correctionem factam fuiſſe perhibeat; certum eſt etiam, eam nõniſi ex authographorum collatione fieri potuiſſe: vt factum fuiſſe probatur in præfatione editionis Tridentinæ, in qua plura ad hoc teſtimonia leguntur, ad probandum, eam editionem cũ textu, tùm Hebræo, tùm Græco conuenire, ex quibus dici

dici poſſe videtur, decretum, non nouum, ſed ab omnibus iam Patribus, eiſdemque Concilijs approbatum, aut potius factum fuiſſe.

VI. Quòd criminetur, Concilium modum intelligendi verbi diuini præſcripſiſſe, ac reſtrinxiſſe. Nam determinatio facta, *vt ſcriptura ſacra in rebus fidei, ac morum, ad ędificationem doctrinę Chriſtianæ pertinentibus, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia contorqueri non poſſit*, non eſt noua, ſed alijs iam diu temporibus facta, vt notiſſimum eſt.

VII. Quòd objiciat, neminem ex Germanis interfuiſſe, Non enim eſt imputandum Pontifici, ſed ipſis, cum, & in Bulla indictionis Concilij eos vocauerit: & Nuncijs, & Epiſtolis apud Cæſarem, & ipſos quin etiam egerit, nec vlla cùm eis officia prętermiſerit, vt fuſiſſimè narrat in ſuo primo libro Polanus.

VIII. Quòd addat, alios dixiſſe, res decretas non tanti eſſe momenti, vt videbatur, cum nil prorſus ex capite Traditionum, quod maioris ponderis haberetur, reſultaret; tùm quia nil fuerit ſtatuere, traditiones recipiendas eſſe, cum quæ nam eſſent docere, prætermiſerit; tum quia nullam earundem agnoſcendarum rationem præſcripſerint, nam nil de eis recipiendis precipiebatur, ſed ſolùm eas ſcienter, prudenterque ſperni prohibebatur; nec aduerſus decretum illud facturum eſſe, qui eas omnes verbis reuerentibusþ reijceret.

Quæ ex decreto, nullo modo reſultant, cum dicat, *omnes libros, tàm veteris, quàm noui teſtamenti, cum vtriuſque vnus Deus ſit Author, nec non traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam, vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſeruatas, pari pietatis affectu, ac reuerentia ſuſcipit, ac veneratur*. Nam ex his apertiſſimè docet, id totum, quod in Eccleſia *continua ſucceſſione circà fidem, & mores ſeruatum ſit, nec in vete-*

ri,

ri, aut nouo teſtamento ſcriptum eſt, eſſe Traditiones: & ea regula cognoſci, quòd *non ſint ſcriptæ in veteri; aut nouo Teſtamento, & ſint in Eccleſia continua ſucceſſione ſeruatę:* Et, cum Synodus obliget *ad ea recipienda quæ eadem Synodus recipit*, profectò nec etiam immunis eſſet à reatu, qui ea, *quæ Synodus receperit*, quoquomodo reijceret.

52. Archiepiſcopo Colonienſi de hæreſi per Pontificem damnato, Proteſtantes de Pontifice queruntur, in ſuſpicionemque vocant.

HISTORIA.

PAg. 160. Cum Pontifex per ſuam ſententiam declaraſſet, Archiepiſcopum Coloniæ in cenſuras bullæ Leonis X. in Lutherum, eiuſque ſequaces incidiſſe, ait, Proteſtantes occaſionem inde ſuæ opinionis confirmandę arripuiſſe, non alia de cauſa Concilium indictum eſſe cauſantes, quàm vt deciperentur ab eo. Nam ſi doctrina fidei controuerſa in Synodo examinãda erat; quonam pacto Pontifex ſententiam ante definitionem ferre, & per eam Archiepiſcopum de hæreſi damnare poterat? Perſpicuum ideò eſſe, ſe fruſtrà illi Concilio ſubijciendos eſſe, in quo Pontifex dominaretur, qui, tametſi velit, ſe eos vti damnatos habere, diſſimulare non poſſit: cum, & illud Concilium nihili ab eo fieri certum ſit, ex quo, illo iam inchoato, nil ei penitus deferendo, quę ad ipſum pertineant, ſolus definiat. Quæ Dux Saxoniæ Cæſari, per ſuos Oratores, nota fecit, addendo, cum mens Pontificis perſpectiſſima ſit, tempus requirere, vt vel per Concilium Nationale, vel religionis materias, feriò in Comitijs agitando, rebus Germaniæ conſuleret.

CON-

CONFVTATIO.

QVod ad ſententiam aduerſus Colonienſem pertinet, iam iudicium aduerſus eum, ante ipſam Synodi aperitionem, coram Pontifice, inſtitutum erat, vt retulit pag. 120. Quod feciſſe Pontificem dixit, vt eius cauſæ cognitionem a Tribunali Cæſaris auocaret, qui eundem Archiepiſcopum coràm ſe vocauerat. Vnde iudicium, non à Concilio, ſed ab eodem Pontifice abſoluendum erat, cum ob ſuperuentiam Concilij, Pontifex nullatenus poteſtate priuetur: eòque magis in cauſis, iam ante, coràm ſe inſtitutis. Ex quibus Proteſtantium vanitas perſpicitur, cum cauſa illa ad Concilium nullatenus pertineret; & Pontifex nullos prorſus articulos definiſſet, cum declarare aliquem in bullas ante emanatas incidiſſe, non ſit definire.

53. *De B. Mariæ Virginis Conceptione.*

HISTORIA

PAg. 176. Loquens de Origine controuerſiæ de Conceptione B. Mariæ Virginis, inter cætera inquit, cum circa annum 1136. Canonici Lugdunenſes B. Mariam Virginem à peccato Originali omninò exemptam fuiſſe in officijs Eccleſiaſticis introduxiſſent, Diuum Bernardum, qui eis temporibus in viuis agebat, & doctrina, & pietate, eo ſeculo præcipuè excellere putabatur, ac frequentiſſimus in B. Virginis laudibus erat, in Canonicos acriter inuehendo, eos per epiſtolas reprehendiſſe, quòd nouitatem periculoſam irrationabiliter introduxiſſent,

CONFVTATIO.

SIlentio malignè præterit, eundem D. Bernardum redarguiſſe Canonicos (vt habetur ex eiuſdem Bernardi epiſtola 174.) qui ob quandam, quæ circũferebatur reuelationem, celebrare cæpiſſent feſtum diem Conceptionis, ea potiſſimùm permotus ratione, *quia id nondum Romana Eccleſia feciſſet, nec faciendum indixiſſet: & periculoſum valdè eſſet, q nouis prætextu, quemlibet promoueri ad noui quippiam inducendum, ipſa inconſulta Apoſtolica Sede.* Qui quidem Sanctus, quamuis de re ipſa contrarium tunc ſentiret; poſt longam tamen diſputationem, ita demum perorauit, vt quæ dixiſſet, abſque præiudicio dicta eſſe vellet ſanius ſapientium; Romanæ præſertim Eccleſiæ, viues (vt ait) *anctoritati, & examini totum illud, ſicut, & cętera eiuſmodi vniuerſa reſeruaret: ipſius ſi quid aliter ſaperet paratus iudicio emendare.*

54. *Decretorum quintæ ſeſſionis cenſura*

HISTORIA.

PAg. 182. Decretis in ſeſſione vulgatis, ea, carpit, obijciendo. Primum, ſuperuacaneè actum fuiſſe de impietate Pelagiana, iam mille, & amplius annis anteà, per tot Concilia, vnanimi Eccleſiæ conſenſione, damnata.

CONFVTATIO.

SEd, ſi, vt ait, *antiqua Concilia toties impietatem Pelagianam damnarunt, quoties repululaunt*; cur non, & per Tridentinum damnanda itidem erat, ſi, (vt probat ex articulis, è doctrina Proteſtantium extractis, & per Theologos examinatis, quos recenſet pag. 167.) iterum eo tempore pululabat?

HISTO-

HISTORIA.

SEcundò obijcit, Propoſitam veram vniuerſalem fuiſſe, dicendo peccatum Adæ, in omnem poſteritatem tranſiſſe, ſed eam, exceptione, euerſam fuiſſe. Nec releuare, exceptionem aſſertiuam non eſſe, ſed ambiguã: quia, ſicut particularis reddit falſam vniuerſalem contradictoriam; ita particularis ambigua incertam vniuerſalem reddit &c.

CONFVTATIO

QVæ, cum alijs, quæ addit, ſuppoſitioni falſæ innituntur; nempè eam vniuerſalem per exceptionẽ, euerſam fuiſſe, quæ nullibi tamen reperitur in eo decreto: & in declaratione Synodi (quæ non ẽſt pars illius decreti) nulla ſit exceptio, cum dicat, non eſſe *ſuæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, ſed obſeruandas eſſe Conſtitutiones fel: rec: Sixti Papæ Quarti, ſub pœnis in eis Conſtitutionibus contentis quas innouat*; quandò hæc nil per ſe ponat prò, aut contrà; quemadmodum, nec in Conſtitutionibus Sixti Quarti, quas ſeruari precipit, & innouat, vt ex eis patet.

Et, cum Synodus dixerit, fateri, & ſentire, in baptizatis concupiſcentiam, & fomitem manere, & officium Epiſcoporum eſſe prædicandi (quæ, ob ea, quæ ſubdit, neceſſario præmittenda erant) id irridet; quaſi præmiſſe neceſſariæ (licèt veræ, & notiſſimæ) in rebus explicandis, ſuperuacaneæ ſint.

HISTORIA.

EAm etiam omnium expectationem fuiſſe ſubdit, vt in decreto reformationis, in Scholaſticos, & Canoniſtas ſanciretur, cum hi Pontifici diuinas proprietates aſcribant, illum etiam Deum appellando, infallibilitatemque illi tribuendo, & idem Tribunal ambobus conſtituendo &c. illis verò, quia, Diuina omiſſa ſcrip-

tura, Ariſtotelis philoſophiam doctrinæ chriſtianæ fundamentum fecerint, cunctaque ambagibus obuoluerint; nec etiam à diſputatione, an ſit Deus, temparando, cum id ex vtraque parte diſputent.

CONFVTATIO.

VErùm eam omnium expectationẽ fuiſſe, falſum eſt, cum Catholici de hoc nunqum dubitauerint, & optimè ſciant, quæ eis de rebus dicant Sancti Patres, Concilia, & Sacra Scriptura. Quæ, vtpotè omnibus obuia, & tritiſſima prætermittimus. Scholaſticos verò fundamentum ex Ariſtotele petere falſiſſimum eſt, cum ſolis ſcripturis, & Scriptoribus orthodoxis inhæreant, vt in eis videre eſt. Et, ſi rationem ſyllogizandi ab Ariſtotele forſan aſſumunt, hoc non ſit theologiæ fundamenta petere ab illo: Et diſputatio, An ſit Deus, ex vtraque parte fiat, vt ex euerſione argumentorum partis negatiuæ melius ſtatuatur, quæ affirmat, ac proinde conuincantur Deum eſſe negantes.

Quemadmodum, & ſubdens, de abuſu prædicandi vanitates, & quæcunque alia, præter Chriſtum, minimè actum fuiſſe; itidem oſtendit, ſe nec etiam vidiſſe decreta ipſa, quæ repræhendit; cum in eis apertiſſimè dicatur, *Plebes ſibi commiſſas, pro ſua & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis dicendo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis, cum breuitate, & facilitate ſermonis, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant: id verò ſi quis eorum præſtare &c.* Itidem ſubdens. *Si verò, quod abſit, Prędicator errores, aut ſcandala diſſeminauerit in populum, etiamſi in Monaſterio ſui, vel alterius Ordinis prædicet, Epiſcopus ei prædicationem interdicat.* Nam in his de huiuſmodi abuſibus, ac vanitatibus ſcandaloſis apertiſſimè loquitur, non autem de hæreſibus, cum ad harum prouiſionem ſub

dat.

ſtat. *Quodſi hęreſes prędicauerit, &c.*

Magis etiam leuia ſunt, quæ ſubdit, nempè in Aula Imperatoris, deteriorem in partem acceptum fuiſſe, reformationem de rebus leuibus, immò per Germanos minimè requiſitis fuiſſe:& circà fidem controuerſias,ob decretum, excitatas eſſe. Nam ea ſeſſio Quæſtores abolẽuerat, quod Germania potiſſimùm requirebat, cum inde Germanis ſcandalorum occaſionem fuiſſe retulerit:quẽadmodum & in reliquis, ſuis loco, & tempore ſatis itidem factum fuiſſet: & præter id, Germani de fide primo loco, non de reformatione ſolliciti eſſent, cum dixerit, *Cęſarem, vt Proteſtantibus annueret, de fide in Synodo per tractari totis viribus renuiſſe*, quod, & hic iterum confirmat, narrans, Cæſarem ſuis Tridentum, in id præſertim incumbere, ſcripſiſſe, *vt de reformatione ageretur, reſque fidei controuerſæ in Proteſtantium aduentum reÿcerentur*.

55. *De Eccleſiaſtica Reſidentia.*

HISTORIA

PAg. 212. Muneris titulum in Eccleſia tenere, eiuſq; emolumenta non ſeruiendo percipere, nunquam niſi poſt annum 700. in Eccleſia Occidentali cogitatum fuit; quandoquidem miniſteria Eccleſiaſtica ſtatum mutauerint, & dignitatum honorumque gradus, & etiam pręmia pro ſeruitijs præſtitis facta fuerunt: & quemadmodum olim in promotionibus Eccleſiaſticis, Eccleſia, eius neceſſitate conſiderata, de perſona illi miniſterio idonea prouidebatur; ita poſteà perſona, eius conditionibus conſideratis, de gradu, dignitate, aut emolumento condecenti prouidetur, ex quo opus, aut miniſterium per vicarium exercere ortum habuit. Qui abuſus aliam ſecum intulit corruptelam; nempè immunem ſe, non ſolum à miniſterio, ſed à præſentia, & aſſiſtentia ei præſtanda

da reputare, qui ſuum locum impleat: & quidem vbi pro opere non eſt electa induſtria perſonæ, ſed perſona de gradu, & loco prouidetur, æquum non eſt, vt per ſeipſum operari, nec operanti aſſiſtere adigatur. Reque procedente, ordinis Clericalis deſtructio inde ſecuta eſſet, ni Romani Pontifices in parte occurriſſent, mandantes, vt Prælati, & alij curam animarum gerentes, quamuis per ſubſtitutos exerceant, ad aſſiſtentiam loci, quam vocant Reſidentiam, nihilominus tenerentur. Ad quod etiam Canonicos teneri voluerunt, alios tamen Clericos beneficiatos ad id minimè cogendo, aut de eis verba nullatenus faciendo, ſed eos conſuetudini, immò abuſui inuecto relinquendo; quo factum eſt, vt immunes ſe reputauerint, nec Pontificibus voluntaria illa deceptio diſplicuerit, perſpicientes id in ſuæ Curiæ amplitudinem ceſſurum eſſe. Hinc pernicioſa, & nunquam ſatis deteſtāda beneficiorum reſidentiæ & non reſidentiæ emanauit diſtinctio, quæ, tàm in doctrina, quàm in opere abſque vllo abſurditatis, quam ſecum apertè affert, pudore ſuſcipitur, hoc eſt quòd titulus, & emolumentum ſine obligatione detur, & ad eam palliandam, immò magis pudendam oſtendendum, cum Canoniſtæ axioma habeant, quo abſurditas conuincitur, nempe omne beneficium pro officio dari, officium expoſuerunt, preces horarias Breuiarij intelligi; adeò vt mille, & decem millium, & amplius aureorum prouentus, ob id ſolùm conferatur, vt breuiarium accipiatur, & qua maiori linguæ velocitate, ſubmiſſa voce, citra aliam etiam attentionē, quàm verborum pronunciationis legatur. Sed Doctorum diſtinctio Romanorumque Pontificum prouiſio abuſum breui tempore amplificarunt, nam ſi illæ non eſſent, aliquis è beneficiatis ſimplicibus religione tactus fuiſſet; vbi quilibet ex eis abuſum, vt rem licitam cohoneſtat. Et circa Curiones introducta eſt diſpenſatio Pontificia, nunquam eis denegata, qui illam ea ratione requirat;

quæ

quæ omnia Romæ impetrabilia facit. Quarè ſoli pauperes, & qui inde commodum captarent, reſidebant, & aduſus primùm in minima parte, lege Pontificia moderatus, ex diſpenſationibus, non modò ad culmen peruenit, ſed ſeſe foras effudit inficiendo terram.

CONFVTATIO.

HÆc diſſertatio ſuppoſitioni falſæ innititur; nempè, poſt auctam Eccleſiam, in miniſterio Epiſcopali, & regiminis animarum, non electam fuiſſe induſtriam perſonæ, quod eſt falſiſſimum, cum, & in Concilijs, & in Ordinationibus Summorum Pontificum, & cura tantummodò perſonalis dicatur, vt patet ex eis; contra quā formam electiones proculdubiò fieri non potuiſſent. Cumque ſe eximere nequiſſent Prælati, & Curiones; & à Pontifice Romano exemptos non fuiſſe Auctor doceat, dum, ore Prælatorum Hiſpanorum, ait pag. 226. *eis temporibus* (de quibus loquitur) *exemptiones incognitas fuiſſe*, malignitas per ſe patet. Præſertim quia, ſi qui à perſonali ſeſe miniſterio exemerunt, huic malo *prouidè etiam per Romanos Pontifices occurſum fuiſſe* affirmet, & hæc de Epiſcopis, & alijs curam animarum exercentibus, & illis, qui miniſterium de rebus temporalibus pro victu, & ſeruitio pauperum, & infirmorum exercebant. Nam in eo quod ad alios clericos pertinet, ſatis exemplo Diui Hieronymi, Rufini, & Paulini docet, illos à perſonali reſidentia immunes, etiam eis temporibus fuiſſe. Vnde, cum illa duntaxat duo Clericorum genera perſonali miniſterio addicta eſſent, malignè ait, alios beneficiatos in abuſu perſeueraſſe non reſidendi, ſeſeque immunes reputaſſe, nec voluntariam illam deceptionem Pontifici diſplicuiſſe, indeque eam beneficiorum reſidentiæ, & non reſidentiæ diſtinctionem emanaſſe, cum eis, quæ ſubdit: illudque canoniſtarum axioma; nempè beneficium dari

ſpro

pro officio, verum per conſequens eſſe in ijs, qui curam animarum non exercent. Ex quibus perſpici poteſt, Polanum nimis in Pontificem inconſideratè furere. Nam quid magis calumnioſum, quàm Pontificem voluntaria illa deceptione, ex eo ſolùm gauiſum eſſe, quòd id in eius Curiæ commodum ceſſurum eſſet? Cum namque huiuſmodi commodum nonniſi poſt multorum temporum ſpatium effectum habere potuiſſet, & Romana Curia, quouis decennio mutetur; quid magis inſulſum, quàm dicere, illos Pontifices de eis commodis cogitaſſe, quæ, nec ſibi, nec ſuis vſui eſſe potuiſſent? Quid inſulſius?

Et quo pacto contrà proprias ordinationes, cum omnibus indifferenter animarum curam exercentibus diſpenſaſſent, ſi reſidentiam ea de cauſa precepiſſe Auctor idem perhibet, *quod ex non reſidendi abuſu, totius Ordinis clericalis deſtructionem ex neceſſitate conſecuturam eſſe agnouiſſent*? Nam nonniſi ergo contrà propria commoda laboraſſent, quod Auctoris principijs omninò repugnat, & non minus ſe idcirco inconſideratum, quàm malignũ oſtendit. Cuius dicacitas, & malignitas penitus hac in parte reijcitur, quòd pag: 244. dicat, circà Prælatos, *de multis conditionibus actum in Congregatione fuiſſe, per multos canones requiſitis*, quæ eſt probatio certiſſima, quòd circà ea, in præteritis temporibus, perpetuò prouiſum fuiſſet per Conciliorum canones, & decreta Summorum Pontificum.

56. *An cœtus ille in vno ſenſu conueniret, incertum.*

HISTORIA.

PAg. 221. Statim poſt ſeſſionem, Dominicus Soto, inter primores Dominicanorum, tres libros, quos de natura, & gratia inſcripſit, velut huius doctrinæ commenta-

mentarios, compoſuit, ſuaſque omnes in eis opiniones ſuis expoſitionibus inuenit: eoque opere edito, Frater Andreas Vega, maioris inter Franciſcanos exiſtimationis, quindecim, & ipſe magnos libros, velut ſexdecim eius decreti capitum commentarios in publicum dedit, quod ex propria opinione interpretatus eſt: quæ opiniones, non ſolùm magnam inter ſe, in omnibus ferè articulis, diuerſitatem habent; ſed in multis expreſſam, euidentemque contrarietatem: & hæ lucubrationes, ambę typis impræſſæ fuerunt anno 1548. quique eas perleget, obſeruando, eos verbis Concilij ſenſus perſæpè varios, ac dubios tribuere, mirabitur profectò, quo nam pacto hi duo, doctrina, & exiſtimatione inſigniores; quique maiorem coeteris alijs in eo partem habuerunt, vnicum ſenſum, verumque Synodi ſcopum ignorauerint: de quo, cum ij pauci, qui, eo in negocio, implicite, poſtmodum ſcripſerunt, diuerſimodè locuti ſint; nunquam percipere ſe potuiſſe affirmat Polanus, an in vno ſenſu coetus ille conueniret; an ſola verò vnitas verborum in eo eſſet: & pag. 224. itidem ait, Fratrem Dominicum Sotum, qui in formatione decretorum peccati Originalis, & Iuſtificationis, magnam partem habuerat, & cum omnes ſententias, & rationes in eis diſcuſſionibus allatas adnotâſſet, ea mundo communicare, & verba decreti ad ſuum proprium ſenſum trahere cogitauerat, opus in lucem edidiſſe, in quo id totum continebatur: quod de natura, & gratia inſcripſit, illudque Synodo dedicauit, quod eſſet (vt in dedicatoria expreſſit) duorum prædictorum decretorum Commentarium: in quo de articulo certitudinis gratiæ longa diſceptatione dixit, Synodum declaraſſe, hominem, ſe gratiæ compotem eſſe, tanta certitudine ſcire non poſſe, quanta ſit fidei certitudo, adeò vt omnis dubitatio ſit excluſa: & Catharinum, nuper Epiſcopum Minorenſem factum, qui contrariam opinionem aſſeruerat, in eaque tunc etiam

perſiſtebat, liberculum cum dedicatoria ad eandem Synodum, typis vulgaſſe, cuius ſcopus fuerit affirmare, ac defendere, Synodum nunquam eorum opinionem damnare intellexiſſe, qui aſſererent iuſtum credere poſſe, ſe tàm certò gratiam habere, quàm certos habeat articulos fidei. Immò Concilium decreuiſſe, illud credendum eſſe, ex quo in canone 26. damnauerit, qui dixerint, Iuſtum mercedem ſperare, & expectare non debere, quia neceſſarium equidem fit, eum, qui vti iuſtus ſperare debet, ſe talem eſſe ſcire. Subdens, in hac opinionum contrarietate, non ſolùm ambos Synodo pro affirmatione ſcribendo, affirmaſſe, Synodi mentem iuxtà ſuam opinionem fuiſſe; Sed poſtmodum Apologias, & Antipologias ſcripſiſſe itidem, ac vulgaſſe, ſeſeque mutuis criminationibus ad Synodum accuſaſſe, quòd eidem, quæ non dixiſſet, affingerentur, multoſque è Patribus ad propriam confirmandam opinionem teſtes induxiſſe; quorum alij pro huius, alij verò pro alterius dicto teſtificarentur. Vnde patres in duas partes diuiſos fuiſſe concludit, nonnullis probis Prælatis exceptis, qui neutri adhærentes, ſe non rectè differentiam percepiſſe, ſed aſſenſum decreto, in ea forma præbuiſſe dicebant, qua vulgatum fuerat, cum vtraque pars conueniſſet; Sanctacruciò pro Catharino teſtificante, & Montio ſe tertiæ opinioni acceſſiſſe perhibente. Quo euentu ſpem omnibus Synodi mentem noſcendi ademptam videri, ait; quòd ipſimet interuenientes, primoreſque in eo tempore non conuenirent. Quocircà, & difficultatem oriri ſubdit, quænam ea Synodus eſſet, quæ articulum definierit, ad quam Sotus, & Catharinus ſcripſerint, ac prouocauerint; cum vterque eam ſibi adhærentem putaret; quarè in ea cognoſcenda, vel eorum aliquem, vel ambos ſeſe decepiſſe neceſſe eſſet: & ſi his ita accidit, quid de alijs dicendum?

CON-

CONFVTATIO.

AN res ita reuera fuerit ſpatium indagandi non fuit, cum ingentia illa volumina, ad ea examinanda, magnum temporis ſpatium requirant. Sed dato, ita reuera fuiſſe, quod tamen Polano, vtpotè in omnibus mendaciſſimo, concedi non poteſt; idemmet Polanus certiſſimam horum accidentium rationem attulit, cum ſupra immediatè dixerit pag. 210. *Cardinalem Sanctacrucium, in eis formandis decretis, ſupraquàm credibile eſt, laboraſſe, euitando, quoad eius fieri potuit, ne qua ex rebus inter Scholaſticos controuerſis, in eis inſereretur: quodque omitti non potuit, ea ratione attingendo, qua ſatis cuique fieret:* vt præſertim docet in hac materia gratiæ, & iuſtificationis, ſpecialiter recenſendo, quæ mutanda fuerant, vt ſatis Catharino, eique adhærentibus, partique aduerſæ fieret, quibus mutationibus, *ambas partes, acquieuiſſe concludit.* Nam, cum poſtea ſubdat, æquum eſſe, *hiſce perpenſis, debita laude Cardinalem non defraudare, qui etiam in aduerſis opinionibus pertinacibus ſatisfecerit* (ad cuius rei probationem, prædictum Veghij, & Soti exemplum adducit:) quid mirum, duos illos, verba, (vt ait) *ad proprium ſenſum extorſiſſe*, ſi ex ipſiuſmet Auctoris fide, *pertinaces erant?* Siquidem, vt idem Auctor Ioannis Baptiſtæ Cicalæ Epiſcopi Albingauni ore profert, pag. 243. *Nunquam in hiſtorijs reperitur, neminem, niſi coactum, ab opinione propria diſceſſiſſe, vt damnaretur: & licèt Catholici ſe Eccleſiæ Romanæ iudicio ſubijcere aſſerant, non tamen opinionem propriam in eam reijcerent, ſi damnanda eſſet, ſed pertinaciùs eam defenderent, magis ſe, ob oppoſitionem muniendo: ex quo fit, vt ex ſectis hereſes oriantur, &c. & ſola diſcrepantia verborum, aut minimus apex vniuerſum Orbem diuidere poſſint.* Nam ita in hoc euenisse oſtendit.

Sed quod pertinet ad rem ipſam ab Authore ſuppoſi-

tam, dum pag. 210. præciſiſſimis verbis teſtatur, *formam decreti omnibus placuiſſe, cunctoſque eam approbaſſe, ambaſq; partes in forma promulgata conueniſſe*, vt addit; vtiq; ex ſeipſo proprias etiã obiectiones deſtruit. Si namq; decretum vniuerſali aſſenſione approbatũ reuera fuit; quid depôrit, ſi duo Cœnobitæ, inter ſe, ſola æmulatione, digladiantes, de propriæ ſapientiæ exiſtimatione tumidi (*cum ſuorũ Ordinum primores eſſent*, vt ait) palàm in ampliſſimo illo theatro, ſibi cedere nollent? & ſi, ea de cauſa, verba decreti, licèt clariſſima, *ad ſuũ ſenſum* (vt verbis præciſiſſimis perhibet) *extorſerint*? Et ſi Synodũ ſuæ quilibet opinioni adhæſiſſe aſſeruit? Idẽ namq; Polanus admonet pag. 607. *mirandũ non eſſe ſi cũ duo inter ſe contendunt, quiſq; propriam in eiſdẽ verbis opinionẽ reperiat, cum quilibet aliqua præoccupatus opinione, eam in quacumq; re legens, inueniat*: & pag. 57. dicat, *homines arctè adeò, ac religiosè ſuas deſpondere opiniones, vt eas tantundem, etiam à Deo diligi, credant*.

De eorundem verò Dominicanorum, Franciſcanorũque contentionibus, ſpeciatim refert 321. *ambas partes opinionem propriam ſic deſpondiſſe, vt eam planam, dilucidam, omnibuſque intelligibilem affirmarent; abſurditateſq; innumeras, quæ ex aduerſa conſequerentur, illi obÿcerent*.

Et docet quàm facilè ſit rebus, ex arbitrio, quamlibet interpretationem dare, ex negocio Bartholomei Caranzæ Archiepiſcopi Toletani, quod recenſet pag. 733. Cũ enim *Congregatio ſuper Indice librorum, ex aliquot Theologorum relatione, eius opus approbaſſet, & in libro nil cenſura dignum reperiri, publica fide perhibuiſſet*; ait, *Epiſcopum nihilominus Ilerdenſem, vel Comite Lunæ vrgente, vel alia de cauſa, in decretum inuehi, illudque reprabendere capiſſe, eiuſdem libri loca afferendo, quæ ſiniſtra interpretatione, cenſura digna videbantur, & quod magis erat, eorum Epiſcoporum iudicium, conſcientiamque carpendo*.

Oſtenditque itidem, Lutheri & Zuinglÿ exemplo (pag. 45.) quàm difficilè ſit, quando contentio inter eos

ſit,

ſit, qui nimia ſui exiſtimatione turgeant (vt Sotus, Catharinus, & Vega erant) eos ſibi inuicem cedere. Cum namque hi duò Marpurgi conueniſſent, pluresque dies de Euchariſtia diſputaſſent, nunquam tamen eis inter ſe conuenire poſſibile fuiſſe narrat, *quia, cum controuerſia adeò proceſſiſſet, de Authorum exiſtimatione agi videretur; vel quia diſcrepantia tenuitas (vt in omnibus contentionibus verbalibus accidit) ſit obſtinationis fomes*; quando (vt dicitur) nemo ſit, qui ingenio cedere velit.

Rem autẽ nimio inter Regulares, Theologosq; affectu agitatã fuiſſe, ſatis ſuperq; aperit, cũ (ex Auctoris teſtimonio 253.) *diuiſi in factiones eſſent, & maximè Dominicani, & Franciſcani æmuli antiqui, & doctrina cõtrarij, qui; in Synodo contentionũ terminos excedere animos aſſumpſerant, & differentias inter ſe; ijs haud quaquã minores quæ cũ Lutheranis ſint, haberent, ſeq; inuice audacter carperent* Et dicat inſuper 189. *pleroſq; admodum in ſuis opinionibus tenaces fuiſſe, & in propria opinionis defenſione, & præ alijs Dominicanos firmiter conſtitiſſe. Quare* (vt ait 195.) *contentiones inter Theologos ab modico erga propriam ſectam affectu emanabant*: 232. *ambæ im partes rationes magna acrimonia exponebant. ſeq; inuicem cenſuris carpebant, Dominicani dicentes aduerſam ſententiã Lutheranæ proximam eſſe, vt, & aduerſi de illis; & materiam ideò hæreticis Eccleſiam calumnijs proſcindendi ſuppeditare*. Quorum ea peruicacia erat, *vt aliquibus probis Prælatis eos concordes reddere, impoſſibile fuerit, dicendo, in concluſione parum referre, quanam id ratione exprimeretur; nec finis factus fuiſſet, ni Legatus Sanctacrucius ad reliquum progredi mandaſſet: &, cùm non tamen deſiſterent, oportuiſſe Legatos Ordinum Generales accire, atque operam per eos dari, rogare, vt ſui modeſtè, & ex charitate, non tantò erga propriam ſectam affectu agerent; oſtendendo, eos ſolùm contrà hæreſes vocatos eſſe: cui fini admodum aduerſetur nouis, ob disputationes, occaſionem præbere, eaque de re Pontificem monuiſſe, perpendendo, quàm periculoſa eſſet libertas, quam ſi-*

bi regulares arrogarent, & quouſque tandem progredi poſſet, moderationemque aliquam neceſſariam eſſe; quandoquidem ſi earum diſſenſionum, & cenſurarum, quas alij aduerſus alios pronunciabant, fama percrebuiſſet, nonniſi ſcandalum, cum detrimento exiſtimationis Concilij, oriri poſſet. Ex quibus, & alijs, quæ ſingillatim recenſere nimium eſſet, proculdubiò percipitur, illos regulares circà ſubſtantiam concordes extitiſſe, eorumquè contentiones ac differentias tenues, & circà *ſola verba* fuiſſe: adeòque in his contumaciter perſtitiſſe, vt nec per Patres, nec per Legatos, nec per Ordinum Generales ad concordiam adduci potuerint; illudque immò quod de libro *Interim* nuncupato, à Carlo V. poblicato, eueniſſe commemorat pag. 304. nempè *illum aquè à Catholicis, ac Proteſtantibus oppugnatum fuiſſe: & quod ijs accidere conſueuiſſe* addit, *qui opiniones contrarias conciliare ſatagunt, qui ambas ad mediam oppugnandam concordes, & in propria magis pertinaces reddant*. Siquidem (vt ait 199.) *hominis propenſio naturaliter ad victoriam in diſputationibus anhelat, eaque de re, in ſcholis, præſertim regularium, nimia in propria ſecta opinione firmitas vſitatiſſima eſt*.

De Soto autem, & Catharino nominatim ſuprà in eodem loco aſſeueranter affirmat, eos decretum ad proprium ſenſum extorſiſſe formalibus verbis referens, *Fratrem Dominicum Sotum, rationes in diſcuſſione peccati originalis mundo communicare, decretique verba ad ſuum proprium ſenſum extorquere cogitaſſe; ideòque opus de natura, & gratia inſcriptum typis vulgaſſe, & Catharinum, qui aduerſam defenderat, & in ſua adhuc opinione perſeuerabat, aduerſus eum ſcripſiſſe*. Quem adeò peruicacem inſuper in ſua opinione fuiſſe ait, vt (nec etiam decretis in contrarium per Synodum euulgatis) ab ea recedere voluerit, cum, vt in alia materia refert 237. *licèt Synodus abſolutè poſteà decreuiſſet, intentionem Miniſtri neceſſariam eſſe, vt quilibet videre poteſt, Catharinus nihilominus in ſua opi-*

nione

nione perſtiterit; *immò* (vt addit) *anno poſteriore librum ea de re ſcripſerit, in quo Synodum Tridentinam ſuæ adhæſiſſe opinioni, Concilijque determinationem iuxta eius ſenſum intelligendam eſſe affirmat*. Quod in hac etiam materia parimodo feciſſe neceſſariò dicendum videtur.

Liquidò ergo patet, Catherinum, eiuſque aduerſarios, ob immodicam ſui tantummodò exiſtimationem, nimiumque ergà propriam ſectam affectum, in ſua opinione contumaciter perſiſtere voluiſſe: &, cum eorum contentiones non eſſent *circa ſubſtantiam, & concluſionem* (vt dicit) *ſed circa ſolas diſcrepantias verborum*, nihil etiam officere, quid inter ſe de his altercarentur, ac diſſiderent, vel de Synodi mente quid nam teſtarentur.

Nec mirandum admodum, eos adeo pertinaces in ſua opinione fuiſſe, cum ex Auctoris met fide pag. 222. *hæ doctrinæ tenuiſſimæ eſſent, & ob diuerſam, quam præſeferebant ſpeciem, ſemper diſputabiles cenſerentur*: nec (vt addit 243.) *adeò leui manu tractari poſſent, quin magis in vnam, quàm in aliam partem propendere neceſſe eſſet*. Nam, his per Auctorem poſitis, excuſatione quodammodo digni videbantur Catharinus, Vegas, & Sotus, ſi in proprio ſenſu abundantes, allucinarentur, & ſi itidem, (vt ait) *Legati, & aliqui è Patribus, alios cum Catharino, alios verò cum aduerſis ſenſiſſe fidem facerent*. Et cum hoc in diſputatione accidiſſet, vt ſemper in quæſtionibus ſolet, nil prorſus officit, dum omnes poſteà vnanimiter in vna concluſione, ac deliberatione conuenerint; quemadmodum eos Auctor pag. 210. ſupra relata, *conueniſſe* perhibet.

Quocircà, cum hi tres regulares, Catherinus, Sotus, Vega, eſſent Dominicani, & Franciſcani, hoc eſt (vt idem Auctor, locis ſuprà relatis, interpretatur) *è religionibus, quæ æmulationem inter ſe antiquam habent*: & doctrinas, opinioneſque contrarias profitentur; adeò vt impoſſibile prorſus eſſet, eos inter ſe vnquam conuenire poſſe, vt idem Polanus oſtendere vult, cum dictum fuiſ-

ſe

ſe refert, 534. *mirum non eſſe, ſi Ianuenſis Dominicanus, Siculo Franciſcano contrarius eſſet:* & pro palma in celeberrimo illo theatro contenderent: deq; rebus tenuiſſimis, quæque ſemper (vt ait) diſputabiles æſtimantur; quid leuius, quàm ab horum trium aſſertione, qui nimio proculdubiò affectu ferebantur, materiam malignandi arripere? Vaticinium idcirco illud adimpletum videmus, quod Polanus profert pag. 233. dicens, regulares *hiſce ſuis contentionibus, nil aliud quàm materiam hæreticis Eccleſiam calumniandi præparaſſe*; cum hoc in ſeipſo verum eſſe patefaciat, qui hiſce nugis, Sanctiſſimis Tridentinæ Synodi definitionibus, diuinitus inſpiratis, exiſtimationem, ac reuerentiam adimere, conſueta impietate contendit.

57. *Sexta Seſſionis Cenſura.*

HISTORIA.

PAg. 222. Euulgatis decretis ſextæ Seſſionis, multa de more malignè carpit. Primùm enim ait, oportere decretum fidei iterum, atque iterum multa attentione legere, ſuper eoque admodum ſpeculari, ob ea, quæ obijcit; cum idemmet eius rei cauſam attulerit, quam ſupra notauimus; nempè, quia *res illæ tenuiſſimæ erant, & ob diuerſam, quam præſeferebant ſpeciem, ſemper diſputabiles habeantur.*

Secundo. Grammaticos admirari, ac deridere non ceſſaſſe, quandam interpoſitionem cuiuſdam particulæ. Quæ ſunt nugæ ad pedagogos reijciendæ; & ſufficiat circa id, decreta illa ab Aldo Manuccio latinati donata fuiſſe.

Tertio. Theologiæ peritos dixiſſe, doctrinam, qua dicitur, hominem poſſe ſemper Diuinas inſpirationes abijcere, repugnare publicę, & antiquæ Eccleſiæ orationi, *Et ad te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates*; quam

quàm deſiderium vanum, ac fruſtratorium eſſe dicendum non eſſet, ſed fieri ex fide, vt inquit Sanctus Iacobus, & à Deo erga ſuos electos exaudiri. Quaſi Eccleſia, dum pro nobis obſecrat, hominibus libertatem inſpirationes abijciendi adimat: vel, dum pro omnibus orat, pro omnibus exaudiatur. Nam, vt inquit Diuus Auguſtinus, *Eccleſia nunc pro omnibus orat, nec tamen pro omnibus exauditur.*

Quarto. Multos admiratos eſſe in ſeptimo capite dici, iuſtitiam ad menſuram donatam eſſe, iuxta beneplacitum Diuinum, & diſpoſitionem recipientis; cum ambæ hæ res verificari non poſſint. Si enim placeret Deo plus dare minus diſpoſito, non eſſet ad menſuram diſpoſitionis, &, ſi ad eius menſuram datur, ſemper ratio remanet, ob quam Deus operatur, nec beneplacito vnquam vtitur. Quæ ſunt nugæ. Nam, cum non diſponamur, *niſi mediante gratia Dei*, vt Sacroſancta Synodus docet; vtique ſi illi placeret plus dare minus diſpoſito, maiorem etiam diſpoſitionem daret; & ſic daret iuxta beneplacitum ſuum, & diſpoſitionem recipientis, quemadmodùm explicat Diuus Auguſtinus in lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 6.

Quinto. Mirabantur, quonam pacto damnaſſent, qui dixerit, poſſibile non eſſe, precepta Diuina ſeruare; cum idem Concilium in decreto ſecundæ ſeſſionis hortetur fideles Tridenti congregatos, vt poenitentes, confeſſi, & ſacra communione refecti, obſeruarent præcepta diuina, quantum quiſque poterit, quæ modificatio impia eſſet, ſi iuſtificatus ea abſolutè ſeruare poſſet. Quod non repugnat, cum *omninò obſeruet*, qui quantum poteſt obſeruat.

Sexto. Ait, peritos Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ dixiſſe, in omnibus Concilijs, ab Eccleſię exordio vſque illuc ſimul iunctis, tot articulos, quot in ea ſola ſeſſione, nunquam deciſos fuiſſe. Licèt idem, in tertia reductione referat

paginis alibi ſupra notatis 728. & 763. *de rebus illucuſque in Synodo pertractatis, iam aliorum Conciliorum, aut Pontificum decreta; vel uniformem Doctorum ſententiam extare.* Vbi etiam animaduertenda eſt Auctoris inconſtantia. Nam falſum ergo eſt *difficultates Legatis placuiſſe, eaſque ſtudiosè aluiſſe, vt paulò ante dixit.*

Septimo. Ex quo etiam patet, quàm inſulsè ſubdat, in eis decretis magnam partem Ariſtoteli tribuendam eſſe, omnia exactè diſtinguendo genera cauſarum: in quo ni ſuam contuliſſet operam, multis fidei articulis careremus. Quandoquidem id, in eo, quod pertinet ad ſubſtantiam, & doctrinam, dici non poſſet, ſi (vt ait) *ea omnia iamdiu ante à Concilijs, Pontificibus, & Doctoribus decisa fuerant*; ſed forſan circa methodum, & rationem ea explicando, quæ pendent à peritia humana, nec pertinent ad doctrinam fidei.

Octauo. Inquit: ſcandalizabantur Politici, nôn itidem Principum, & Magiſtratuum, ac Dei, & Eccleſiæ preceptis obligationem poſitam eſſe.

Sed, cum Concilium, ad dirimendas res cum Lutheranis controuerſas, coactum eſſet, ad quid ea declaratio, cum ipſi obedientiam Principibus, & Magiſtratibus, etiam iactanter profiterentur, vt pag. 55. & alibi docet? Et, ſi id factum fuiſſet; quemadmodum, cum de impietate Pelagiana actum fuit ſuprà pag. 182. ita, & modò ea de re ſuperuacaneè actum fuiſſe dixiſſet. A quo magis abſtinendum fuit, quòd præciſiſſimis verbis ſubdat, *in ſcriptura Diuina obedientiam his debitam perſpicuè legi, & legem veterem de ea plenam eſſe: In teſtamento nouo doctrinam luculentèr patere ab eodem met Chriſto, ac Diuis Petro, & Paulo expreſſam, ac fusè tractatam fuiſſe.* Nam opus ergo non erat eam declarationem facere, cũ certa in ſcripturis eſſet. Cumque hæc Eccleſiaſtici publicè, & alta voce in Eccleſia quotidiè pronuncient, & è ſuggeſtis prædicent; quiſque videat, quanta Polanus

impu-

impudentia, falſitate, impietate, ac malignitatẽ, id arte factum fuiſſe inſinuare conetur, *ob antiquum* (vt præciſis verbis addit) *Eccleſiaſticorum ſcopum, pernicioſam eam in populis opinionem introducendi, ſibi ex conſcientia, Principibus verò, & Magiſtratibus ad pœnas temporales euitandas, obedientiam deferendam eſſe: nulloque metu, in reliquo, eorum mandata præteriri poſſe & omne gubernium hac ratione in odium adducendi, tanquam tyrannicum repræſentandi, ac ſubuertendi; ſubiectionem que Presbyteris, velut viam ad Cælum vnicam, ac potiſſimam affingendi, omnemque Iuriſdictionem, & ex conſequentia Imperium totum in ſe trahendi.* Quæ malignitas eò magis impudens eſt, quia nullibi prorſus reperiatur, Presbiteros verè Religioſos, & Chriſtianæ, Eccleſiaſticæque doctrinæ profeſſores, voce, ſcripto, aut quauis alia ratione, docuiſſe, non deberi Principibus, & Magiſtratibus, iuſta præcipientibus, obedientiam, etiam ex conſcientia deferri. & immò publicè inſuper doceant, & in Eccleſijs alta voce perpetuò in auribus populorum exclament, *Dominis, etiam diſcolis, obedite*, vt ex Diuiuorum officiorum libris, vbique omnibus, ad confuſionem malignantium, legitur. Principibus verò contrà fidem, aut Eccleſiam; vel contra ſalutem animæ præcipientibus obediendum non eſſe, non eſt hodiernorum Presbyterorum (vt vuult innuere) documentum; ſed mandatum certum, atque indubitabile Dei omnipotentis, in omnibus ſcripturis; ipſorumque Apoſtolorum, innumerabiliumque Martyrum ſanguine, à conſtituta Eccleſia ad hæc vſque tempora, perpetuò confirmatum, ac prædicatum.

Nono Addit, de decreto reformationis dicebatur, illud meram, ac puram illuſionem eſſe; nam confidere in Deo, & in Pontifice, nonniſi dignos Eccleſiæ gubernio præficiendos eſſe, eorum potius opus haberi, qui orationem magis quàm reformationem faciant.

In quo, quid paulò ante pag. 211. dixerit oblitum ſe

eſſe oſtendit ; nempè *in Congregationibus propoſitum fuiſſe conditiones in Prælatorum maiorum , aliorumque minorum Eccleſiæ Miniſtrorum promotionibus requiſitas ſtatuere* ; *grauiſſimaſque ſententias magno apparatu dictas fuiſſe, Sed eius introducendæ obſeruantiæ rationem reperiri minimè potuiſſe. Siquidem vbi Reges præſentationem habent, quibuſnam vinculis conſtringi poſſent, non apparebat: vbi adhuc viget electio, Capitula ex hominibus Magnis, ac potentibus conſtant; & in reliquo omnes Prælaturę ad Pontificem pertineant, & alia beneficia vt plurimùm, Sedi Apoſtolicæ reſeruata ſunt , cui legem ponere æquum non ſit*. Subdens, *poſt multas diſceptationes, hanc conſiderationem omittere ſatiùs eſſe concluſum fuiſſe*. Nam ex his aperit, Concilium à remedio, non ex defectu intentionis , aut diligentiæ abſtinuiſſe; Sed quia illud reperire , impoſſibile viſum fuerit.

Decimo. Quòd verò (vt ſubdit) prouiſiones factæ pro illis, qui reſidendi obligationem habent, deludi poſſent; dicendum videtur, pro illis, qui religione mouentur, ſatis ſuperque ex decretis factis, prouiſum fuiſſe: pro illis verò, qui ſubterfugia quærunt, nullam vnquam ſatis prouiſionem fore.

Vndecimo, Catharinum animaduertiſſe , repugnare, cum dicitur, hominem voluntariè gratiam recipere, & ſe eam habere certum non eſſe; cùm nemo rem voluntariè recipere poſſit, quam, an ſibi detur ignorat, & abſq; eo quòd eam recipere certus ſit.

Quod non repugnat. Nam homo voluntariè gratiam recipit, ſi tamen dignus ſit recipere. Quod ſcire nemo poteſt, cum quantumlibet velit, ſcire nòn poſſit (vt ſcriptura docet) *an amore , vel odio dignus ſit*, quandoquidem velit Deus, Nos, ad nimiam fiduciam comprimendam, *nunquam de propitiato peccato, ſine metu eſſe*.

Digitized by Google

58. *Reſeruationes beneficiorum, caſuum, abſolutionumque diſpenſationes, & alia huiuſmodi incognita olim fuiſſe.*

HISTORIA

PAg. 226. Epiſcopi, ſed præſertim Hiſpani, in id potiſſimum animum intenderant, vt authoritatem Epiſcopalem recuperarent, quæ antiquitus ab omnibus in ſuis Diœceſibus exercebatur, quando incognitæ erant reſeruationes beneficiorum, caſuum, aut abſolutionum diſpenſationes, & alia huiuſmodi; quæ in priuatis inter ſe congreſſibus, & inter paucos, dicere ſolebant, dominandi libidinem, & auaritiam, proprias Romanæ Curiæ, eo prætextu, feciſſe, quòd illa melius Romæ, & maiori Dei, & Eccleſię bono, per totum Chriſtianum Orbem, quàm per Epiſcopos, in eorum Vrbibus, ob aliquam eorum imperfectionem, & ignorantiam, tractarentur. Quod tamen verum non ſit. Nam diſſolutio, & ignorantia Epiſcopos nominaſit, niſi poſtquam Romam, operam ibidem famulatui daturi adire coacti fuerunt, &c.

CONFVTATIO

EPiſcopos Romam adire, ibique famulatui operam dare, per Romanos Pontifices coactos fuiſſe, ex ipſomet Authore falſiſſimum eſſe patet, cum immò è cõtrà referat pag. 212. *Pontifices Romanos mandaſſe, Epiſcopos, & alios Curiones, quamuis per Vicarios munus exercerent, nihilominus ad aſſiſtentiam loci, quam reſidentiam appellant, teneri, cui etiam Canonicos obligare voluerint.* Pontifices verò, libidine dominandi, & auaritia, beneficiorum, caſuum, abſolutionum reſeruationes, diſpenſationes, & cœtera huiuſmodi propria ſibi feciſſe, dici

dici non poteſt, niſi tamen, priorum illorum ſeculorum Pontifices in crimen vocare velimus, qui omni prorſus ambitionis, & auaritiæ ſuſpicionẽ caruerunt. Siquidem exemptiones multo tempore Sanctum ipſum Gregorium præceſſerunt, & ab eodem pluries conceſſæ fuerunt, vt patet paſſim in eius epiſtolis, ſed præſertim lib. 2. epiſt. 7. lib. 7. epiſt. 18. 35. 117. & 118. lib. 11. epiſt. 8. & 10. & in alijs pluribus. Et idem Sanctus Gregorius priuilegium Monaſterio Sueſſonenſi dederit, *quod nulli voluit eſſe ſubiectum, præterquam Sedi Apoſtolicæ, illud ab omnibus alijs eximendo*, vt obſeruarunt ipſi etiam Centuriatores Magdeburgenſes, qui illud priuilegium recenſent centuria ſexta, ex recenſione Gaudent. Paganini in ſuis obſeruationibus par. 2. cap. 39.

Cuius tamen rei non ſunt alibi quærenda teſtimonia, cum idemmet Auctor id ſatis ſuperque comprobet. Nam pag. 165. apertiſſimis verbis ait, Pontifices Romanos, *ab antiquiſſimo tempore, velut præcipuum Primatus ſibi à Chriſto traditi conſeruandi arcanum habuiſſe, Epiſcopos ab Archiepiſcopis; & Abbates ab Epiſcopis eximere: & certum eſſe* (vt ibidem ſubdit) *poſt annum ſexcenteſimum, Sedis Apoſtolicæ primatum à Monacis Benedictinis exemptibus ſuſtentatum fuiſſe, & à Congregationibus poſtmodum Cluniacenſi, & Ciſtercienſi, alijſque Monacalibus*: & pag. 164. Epiſcopos querentes inducit, *ſibi prædicandi, docendique munus à regularibus, ex priuilegio Apoſtolico, ademptum fuiſſe*. Ex quibus cum proculdubiò doceat, Pontifices *ab antiquiſſimo* (vt inquit) *tempore* liberam in his poteſtatem per totum Orbem Chriſtianũ exercuiſſe, & quotquot voluerint ab Epiſcoporum poteſtate exemiſſe, eiſque prædicandi, & docendi munus contuliſſe (quæ maxima vtique ſunt in Eccleſia) ambigi etiam non poterit, quin, & eandem poteſtatem in re beneficiaria, reſeruatione caſuum, ac diſpenſationibus exercuerint; de quibus etiam non deſunt ab antiquiſſimis temporibus exẽpla.

pla. Nam de re beneficiaria teſtimonium habemus Simmaci Pontificis anno 502. qui Cæſario Epiſcopo Arelatenſi reſcripſit, *ne Eccleſiæ poſſeſſiones diſtraherentur, ni tamen Clericis, Monacis, ac peregrinis, ad tempus concederentur, vt poſteà ad Eccleſiam reuerterentur*. Siquidem hæ poſſeſſiones Eccleſiæ erant eis temporibus, quæ nunc beneficia vocamus, vt docet Baronius.

Et anno 853. Nicolaus Primus, *Eccleſias Colonienſem, & Treuerenſem ſibi reſeruauit*, vt habemus in c. Porrò diſt. 63. & Gregorius *Salonitanam*, vt in c. Salonitana diſt. eadem: & in c. Cum dilectus de Iure patronatus fit mentio reſeruationum à Sedis Apoſtolicæ Legatis factarum, quæ Conſtitutio eſt Innocentij III. qui fuit Pótifex anno 1198 Quemadmodum, & Decretalis propoſuit de conceſſ. prębend. qua liquet, eis etiam temporibus, mandata de prouidendo conceſſa fuiſſe.

At de antiquitate reſeruationis caſuum, ſatis conſtat ex epiſtola 57. Sineſij Epiſcopi, qui vixit anno 410. Loquens enim de Lamponiano, qui ob iniurias Iaſoni illatas, excommunicatus fuerat, præciſis verbis ait, *Quanquàm, & lacrymas ex pœnitentia effuderit, & populus ſupplex illum excuſarit, & ego in his, quæ viſa eſſent perſeuraui. Soluendi verò poteſtatem ad Sanctam Sedem remiſi &c.* ex quo caſum illum ſibi Pontificem reſeruaſſe aperit.

De alijs quoque diſpenſationibus Pontificijs, præter ea, quæ retulimus, antiquiſſima non deſunt exempla. Cum Theodoſius Imperator Proclum Epiſcopum Cizicenum ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum euehere vellet, cum hæ translationes de vna Sede ad aliam per Canones prohiberentur, requiſita fuit diſpenſatio à Pótifice Romano, vt refert Socrates lib. 7. cap. 39. & anno 479. cum Zeno Imperator, ad ſeditiones euitandas, electionem Epiſcopi Antiocheni in Vrbe Conſtantinopolitana facere vellet, quia decreta Concilij Niceni obſtarent, diſpenſatio à Pontifice Romano eidem, requiſita

fuit,

fuit, qui eo tempore Simplicius erat, vt ex epiſtola 13. eiuſdem Simplicij. Quemadmodum ex pluribus alijs probari poſſet, quæ recenſere opus non eſt, quando ex his luculentiſſimè pateat, eos Pontifices, qui, abſque vlla prorſus dubitatione ab omnibus Sanctiſſimi, atque innocentiſſimi habebantur, poteſtatem illimitatam in exemptionibus, re beneficiaria, reſeruationibus, ac diſpenſationibus, per totum Orbem Chriſtianum, ab eis vſque temporibus, quibus Eccleſia liberè apparere cæpit, abſque vlla prorſus difficultate, ampliſſimè exercuiſſe; quis ambigere vnquam poterit, poteſtatem, quàm ſuprà omnes Epiſcopos perpetuò exercuerunt, ab ipſo Chriſto emanaſſe, & cum ijsdem Eccleſiæ cunabulis ortum habuiſſe? Et quemadmodum ideò falſiſſimum ſit, beneficiorum, caſuumque reſeruationes, exemptiones, diſpenſationes, & huiuſmodi alia, antiquis temporibus, incognita fuiſſe; ſic nonniſi improbè, & calumniosè obijci, Pontifices illos Sanctiſſimos ea ſibi, auaritia, ac libidine dominandi propria feciſſe? Quæ cum ideò ab Epiſcopis Hiſpanis, viris æquè religioſiſſimis, ac doctiſſimis, dicta eſſe repugnet; quis ergo non videat, Polanum ſuũ venenum, alieno ore euomere voluiſſe?

59. *De beneficiorum pluralitate.*

HISTORIA

Pagin. 245. Omitto de felicibus illis temporibus verba facere, quando nomen Eccleſiæ toti fidelium Congregationi commune erat, cui etiam vſus, & dominium bonorum, quæ Eccleſiaſtica dicebantur, pertinebat, quando ex vna communi maſſa, victus, & veſtitus pauperum, ac miniſtrorum deſumebatur; immò eorum in primis, quàm horum indigentiæ prouidebatur: nec de illo tempore mentionem facio, quandò, ob imperfectio-

nem

nem declinantes, ex vna maſſa quatuor partes factæ fuerunt, & pauperum portio in infimo loco poſita fuit, quę, ex præcedenti vſu, in primo ponenda erat. Sed exordiũ ſumens poſtquam à nomine Eccleſiæ populo Chriſti excluſo, eoque ſolis Clericis attributo, quò eis vnà ſimul & vſus, & dominium bonorum propria fierent, quod omnium erat paucis, & quod prius indigentibus ſeruiebat, opulentibus applicatum fuit. In eorum, inquam temporum exordio, cum Clerici omnes inter ſe cenſus Eccleſiæ partiti eſſent, quæ prius miniſteria, & munia curę ſpiritualis dicebantur, temporale, velut principale habuerunt, & beneficia appellata fuere.

CONFVTATIO.

IN his Auctor ſuum venenum peculiariter in Clericos euomit, vt eos in odium Laicorum adducat, quaſi quæ ipſis etiam communia eſſent, vſurpauerint. Nam, primùm, in præteritis temporibus bonorum Eccleſiaſticorum dominium penès totam Eccleſiam, hoc eſt (vt ait) penès omnes Chriſtianos, tàm Clericos, quàm Laicos fuiſſe, non conſonat cum Sacra Scriptura, vbi (vt dicit S. Lucas, in Actibus Apoſtolorum) Chriſtiani *pretium bonorum ponebant ad pedes Apoſtolorum*. Siquidem ponere ad pedes Apoſtolorum, nil aliud erat, quàm in eorum arbitrio, ac diſpoſitione ponere, vt docet idem S. Lucas ſubdens, quod (pretium) *ab ipſis diuidebatur ſingulis, prout cuique opus erat*. Quarè verum non eſt, dominium eorum bonorum etiam penes lacios fuiſſe: vt Auctor quoque fatetur dicens, *eorum bonorum adminiſtrationem Diaconis, Subdiaconis, alijſque Oeconomis ſub Epiſcoporum, Preſbyterorumque directione datam fuiſſe*. Quam adminiſtrationem perpetuò penes eos manſiſſe colligitur ex Sancto Cypriano, qui epiſtola 34. ad Cler. in fine refert, *Epiſcopos ſingulis menſibus Eccleſiæ Miniſtris oblationes erogare cõ-*

ſueuiſſe, prout opus eſſe videbatur. Quocircà, qui eiuſmodi menſtruam ſportulam accipiebant, *Sportulantes*, à Cypriano vocantur, in epiſtola 66. &, cum eorum bonorum adminiſtratio penes Apoſtolos, & Epiſcopos, qui eiſdẽ Apoſtolis ſucceſſerunt, Presbyteros, Diaconos, atque Oeconomos Eccleſiaſticos perpetuò fuerit, falsò per Auctorem obijci patet, laicos iniquè ab illo dominio, ſeu adminiſtratione, per clericos eiectos, expoliatoſque fuiſſe, cum illud reuera nunquam habuerint.

Et, cum, in primitiua Eccleſia, illa bona diuiderentur ſingulis, *prout cuique opus erat*, vt dixit S. Lucas, nulla etiam diuiſio peculiaris facta erat, nec prima ideò portio pauperum fuit, ſecunda verò Miniſtrorum, vt ait Polanus, cum æquè omnes indigerent, omniumque vna tantummodò maſſa eſſet: nec talis diuiſio facta legatur, niſi à Concilijs & Pontificibus, poſtquam Eccleſia bonis affluere cæpit, qui de redditibus Eccleſiæ, tàm ex fructibus, quàm ex oblationibus, quadripartitam diuiſionem fecerunt: quarum prima Epiſcopo, Clero ſecunda, tertia pauperibus, quarta ædificijs Eccleſiæ tribuenda eſſet, vt docet Baronius. Quare in hac etiam diuiſione apparet Auctoris malignitas.

Quemadmodùm, & malignè dixit, à nomine Eccleſiæ populum Chriſti excluſum, illudque ſolis Clericis tributum fuiſſe, cum hoc falſum ſit; quandoquidem omnes fideles tàm clerici, quàm laici ſint in *cætu vocatorum*, ſeu in Eccleſia, *quæ eſt euocatio, ſeu cætus vocatorum*, vt docet Bellarminius lib. 3. de Ecc. cap. 1. Sed laici ſunt excluſi non à nomine Eccleſiæ, ſeu cætu vocatorum, vt perperam ait Polanus; ſed à nomine *Miniſtrorum Eccleſiæ*, cum non omnes indifferenter fideles, ſint Eccleſiæ miniſterio aſcripti, quemadmodum Diuus Paulus declarat in epiſtola prima ad Timotheum, illis verbis, *oportere Epiſcopum teſtimonium habere bonum ab ijs, qui foris ſunt*; hoc eſt à laicis, qui ſunt ij, qui foris ſunt.

At

At Clericos nomen Eccleſiæ ſibi ſolis attribuiſſe, quò vnà ſimul vſum, & dominium bonorum ſibi propria facerent, itidem falſum eſt; cum illis temporibus, quibus oblationes Eccleſijs deferebantur, *quadripartitam eam, tàm fructuum, quàm oblationum diuiſionem fecerint*: & ſubſequentibus temporibus (cum illis primis ſeculis haud multum affluerent, & ſolis ferè oblationibus ſuſtentarentur) Eccleſiæ, munificentia Regum, ac Principum, aliorumque piorum ditatæ fuerint, vt Polanus docet pag. 224. 754. & alibi, quò in eis miniſtros, perpetuò Dei ſeruitio mancipatos addicerent, vt in omnibus Cathedralibus, & Collegiatis factum videmus, quibus prædia, & poſſeſſiones tributæ fuerunt, vt Epiſcopos, Canonicos, beneficiatos, & alia virorum ſpectabilium Collegia in eis, ad decorem Domus Dei, alerentur. Quæ bona, cum, non Clericis, ſed Deo, eiuſque Eccleſiæ, ob illud ſpeciale ſeruitium nominatim ſint donata, in eis etiam Clerici nullum dominium, ſed ſolam adminiſtrationem, vt vſumfructum habent: ac proinde malignè Auctor Clericos illa vſurpaſſe, ac pauperibus ademiſſe inſinuare obtendit, quæ per Principes, & Reges, alioſque pios, ſpontè in eum vſum tantummodò donata fuiſſe, idem quoque fatetur. Quarè beneficia præbendæ) Canonicatus, aliæque huiuſmodi dignitates, & munera inſtitui cæperunt, quæ non *temporale* (quemadmodum venenato ore ait Polanus) ſed Dei, & Eccleſiæ ſeruitium, *vti principale* habent.

HISTORIA.

ET addit: eis verò temporibus, canonibus antiquis adhuc vigentibus, quibus vnum ad duos titulos ordinari prohibebatur, nemo poterat, niſi vnico beneficio potiri. Verùm, cum ob bella, aut inundationes, cenſuum diminutio conſequeretur, adeò vt victui non ſuffi-

cerent, beneficium illud alterius beneficij poſſeſſori conferebatur, ei tamen, qui ſuam ambobus operam præſtare poſſet. Quod, non in beneficiati, ſed in Eccleſiæ gratiam fieri, introductum fuit, quæ, cum proprium miniſtrum habere non poſſet, aliquod ſaltem ſeruitium reciperet, quod per eum præſtari poſſet. Prætextu tenuitatis beneficij, quæ victui non ſufficeret, nec illi miniſter dari poſſet, plura vni concedi cæperunt, licèt pro ſeruitio Eccleſiarum neceſſarium non appareret: & ſenſim, depoſita verecundia, idem in gratiam beneficiati facere probroſum exiſtimatum non fuit. Quæ res, cum populis offenſioni eſſet, introductio moderanda, atque honeſtanda fuit. Vndè, quia diſtinctioni obligatorum, & non obligatorum ad reſidentiam locus dabatur; alia compatibilium, & non compatibilium diſtinctio addita eſt, beneficia reſidentiæ inter ſe incompatibilia, alia verò cum his, & inter ſe compatibilia vocando: ſemper tamen honeſtatis prætextui primus locus reſeruabatur ex gloſa Canoniſtarum, ne plura beneficia dentur, niſi cum vnum victui non ſufficiat. Quæ ſufficientia ampliſſima conſtituebatur: cui, non ad perſonam, ſed ad conditionem etiam proportionem dabant, quam infimæ conditionis Clerico imparem exiſtimarent, ni, & ipſi, & conſanguineorum familiæ, tribus famulis, & equo alendo ſuffeciſſet: & eò magis, ſi nobilis, aut literatus fuiſſet. Pro Epiſcopo mirum eſt, quàm illam ob dignitatis decus amplificarent. De Cardinalibus ſatis eſt, vulgare Aulæ dicterium perpendere, eos Regibus æquiparari; ex quo nullum cenſum, ni conditionem Regalem ſuper effluat, excedentem in eis eſſe concludunt. Conſuetudine introducta, cum nec mundus, nec æquitas reſiſtere poſſent, Romani Pontifices ſuper incompatibilibus, & ne plura, quàm duo ex alijs haberi poſſent, diſpẽſare ſibi ſolis reſeruarunt. Sed, vt rationem, id aliquo colore faciendi excogitarent, ad Commendas, & Vniones ſe

conuer-

Digitized by Google

conuertiſſe ait;quibus in rebus multos exceſſus commiſſos eſſe concludit.

CONFVTATIO.

HOc totum dicit Polanus, ad oſtendendum, Clericos, Epiſcopos, & Cardinales de bonis ac beneficijs Eccleſiæ immodicè affluere. Qua de cauſa etiam retulit pag. 249. Prælatos Italos beneficijs ex commodis, & vnionibus abundaſſe. Quæ omnia calumnioſè obijci, patet ex autore ipſo.

Siquidem, quo pacto ſufficientia illa ampliſſima conſtituebatur, & proportio, non ad perſonam, ſed ad conditionem habebatur, adeò vt infimæ conditionis Clerico imparem eam exiſtimarent, ni, & ipſi, & conſanguineis, tribuſque famulis, & equo alendis ſufficeret: & eam pro Epiſcopo, ad dignitatis decus mirum in modum amplificabant; ſi idemmet Auctor apertiſſimis, diſertiſſimiſque verbis paſſim vbique per hiſtoriam contrarium perhibet, dicens, omnes Epiſcopos Italos (qui frequentiſſimi Tridenti erant) & quos Curiales, & à Pontifice dependentes, inſuper fuiſſe ſupponit, ſic tenues, inopeſque fuiſſe, vt nec etiam neceſſaria pro victu haberent; & per Pontificem ideo alendi, & ſuſtentandi eſſent, vt ex Auctore ſupra oſtendimus? Et qua veritate eam ſufficientiā pro Epiſcopo, ad dignitatis decus, mirum in modum amplificabant, ſi Epiſcopis in Concilio degentibus, alijs 20. alijs 30. & aliquibus ad ſummū 60. ſcuta pro quolibet menſtratim data fuiſſe refert, locis alibi ſupra notatis? Vt confirmat, cum ſubdit eadem pag. 247. *ad remedium pluralitati afferendum, omnes Prælatos vnanimi ſententia Vniones, Commendas, coeteraſque, ea in re diſpenſationes aboleri, ac vetari ſenſiſſe*: Nam, ſi in eis impliciti reuera fuiſſent, an in eam vnquam ſententiam vnanimes omnes iuiſſent: vel contra propria commoda laboraſſent?

Et

Et cum liberè in eodem loco fateatur, eas Vniones, & Commendationes, *ratione meritorum* factas fuiſſe, non ergo in omnes indifferenter, nec ſine cauſa, & iniquè ideò præterita tempora repræhendit.

Sed quod pertinet ad rem ipſam, quando in pluralitate excedi incæpit, fuit etiam contra eam per Pontifices prouiſum, vt ex tot eorum decretis, & ſanctionibus conſtat: &, ſi quis forſan in hoc, ex imperfectionis humanæ imbecillitate exceſſit, non tamen defuere, qui ſe nouis remedijs obiecerint, vt ipſemet Auctor perhibet: & tẽpore Concilij potiſſimùm factũ fuit, vt iã notauimus, *cum ad primam eius rei propoſitionem, Patres omnes Commendas, Vniones, omneſque ea in re diſpenſationes aboleri ſenſiſſe* retulerit dicta pag. 247. quemadmodum, & per Synodum etiam ipſam factum fuiſſe concludit.

60. *Pontifex Neapoli ſeditionem alebat*

HISTORIA

PAg. 267. Neapoli, ſeditione populari, ob Inquiſitionem exorta, Pontifex eam alebat.

CONFVTATIO

VErùm, ſi Pontifex (vt pag. 266. immediatè præcedẽti dixit) *ob victoriam Cæſaris in Germania, quàm maximè angebatur, quòd nulla Italiæ auxilia praſtò eſſent, eamque Cæſaris omninò arbitrijs expoſitam perſpiceret*; quis vnquam credat, Paulum III. Pontificem ſapientiſſimum in tanto rerum diſcrimine, ac timore, ignem gladio fodere auſum fuiſſe?

61. *Bulla*

61. *Bullæ facultatum ſuis Nuncijs ad Germanos per Pontificem data cenſura.*

HISTORIA.

PAg. 288. Carpens, de more, bullam facultatum, quas Pontifex dederat Nuncijs in Germaniam à ſe miſſis, inquit primùm, Procemium loquendi materiam dediſſe, in quo Pontifex dicebat, ſe in Eccleſiæ motibus ſolamen è remedio à Chriſto relicto accepiſſe, quòd triticum Eccleſiæ à Sathana cribratum, fidei Petri ſeruaretur, eòque magis cum remedium Concilij Generalis adhibuiſſet; quaſi nil aliud eſſet Eccleſiæ, cui inhæreret, quàm ipſe, & ſexaginta illi, qui Tridenti fuerant. Illatio quidem ſtultiſſima; quaſi qui aliquod remedium adhibuiſſe ait, non aliud remedium eſſe inferat.

II. Ait, Reges, ac Principes honori, famæ, ac dignitati reſtituere magnæ præſumptioni tribuebant.

Quaſi hæc noua ſint, vel non totius Orbis approbatione certum; Pontifices ſuper gentes, & Regna, Diuina prouidentia, conſtitutos, Imperia etiam, & Regna (cum è re Chriſtiana fuit) tranſtuliſſe; reſtituiſſe, erexiſſe, ac ſuppreſſiſſe, vt liquet ex hiſtorijs, vbique notiſſimis, quas alibi infra notabimus.

III. Contrarietas aduertebatur in abſoluendo à iuramentis illicitis. Nam illicita abſolutione non indigent, & vera à nomine poſſunt abſolui.

Cum tamen circa illicita, de quibus in bulla, idem Auctor pag. 369. dixerit, Proteſtantes, cum ſuos Doctores docendi munus aſſumere coegiſſent, *eos à iuramento, muneris illius non amplius exercendi Catholicis facto, abſoluiſſe, licèt, vt illicitum, & nullius roboris illud haberent; ſed id ad omnes calumnias tollendas feciſſe.*

IV. Calicem ſolum ei concedere, qui Eccleſiam Ca-
licem

Digitized by Google

licem Laicis prohibendo non errare credat,contradictio ſimiliter reputabatur. Quo namque pacto talem credulitatem habere poſſibile eſſet, & in prohibitione minimè compræhendi requirere? Quod faciendum fuit,quia tametſi multi (ex auctoris fide pag. 318.)nil magis circa Sacramentum, ex vna, quàm ex duabus ſpeciebus recipi ſentirent, tamen ex deuotione *plus gratia recipi crederent*.

V. Et demum riſum contineri non potuiſſe conditionem legendo, in Coenobitis, qui exierant abſoluendis; nempe habitum coopertum geſtandi, quaſi regnum Dei ſit color, aut forma veſtis, quæ, ſi palàm non deferatur, in occulto ſaltem haberi debeat.

Sed cum Bulla Pontificis facultatem abſoluendi Regulares, non à regula, quàm profitebantur,ſed ab Apoſtaſia ſimpliciter daret vt idemmet Auctor dicit: ideòq; à regula abſoluti non eſſent, neceſſe etiam erat, eos habitum regularem, ſaltem coopertum deferre, ne ſe ſimul ab obligationibus eius regulæ, quas cum habitu aſſumpſerant, & à votis quæ eam profitendo, emiſerant, abſolutos fuiſſe crederent.

61. In Concilio Nationali res religionis rectè tractari.

HISTORIA.

PAg.290. Sebaſtianus Epiſcopus Moguntinus Concilium Prouinciale habuit;multaque in materia fidei, ac reformationis ſtatuit. In eis capitibus doctrinæ per Synodum Tridentinam deciſis eandem ſequutus eſt doctrinam, in alijs opinionem magis communem ſcholaſticorum, abſtinendo à locis inter eos controuerſis: & interea caput 41.& 42. notatu digna ſunt, vbi docet ac replicat: Imagines non eſſe propoſitas, vt adorentur, vlluſque eis cultus adhibeatur; ſed vt ſolùm, quid adorandum

randum ſit ad memoriam reducatur, &c. Nec animaduerſione minori dignum eſſe, quadrageſimumquintum, vbi aſſerit, Sanctos colendos eſſe, ſed cultu ſocietatis, & dilectionis, vt etiam legitimè coli poſſunt in hac vita, homines Sancti, ſed maiori deuotione coli debere Sanctos beatos, vtpotè, qui maioris certitudinis ſtatum poſſideant. Et has explicationes benè perpenſas oſtendere, quàm illis temporibus, Prælatorum Catholicorum Germaniæ opiniones à Romanæ Curiæ opinionibus, & abuſu, qui poſt Concilium Tridentinum introductus fuit diſcreparent. Et quilibet exẽplo ab hoc Cõcilio deſumpto, quod tot religionis articulos ſtatuit, ſeſe certum reddere poterit, quàm verũ ſit id, quod Põtifices toties in Germania dici mãdarunt, nẽpè res Religionis in Cõcilio Nationali tractari nõ poſſe. Et, licèt maius fundamentũ fieri poſſit in diuerſis Concilijs Prouincialibus in Africa, Aegypto, Syria, alijſque locis oriẽtalibus celebratis; iſtud tamèn, vtpotè magis recens, quamuis non tàm conſpicuum, animaduerſionem lectoris magis forſitan prouocabit.

CONFVTATIO.

Concilium Tridentinum, in hac materia, ſe actioni tertiæ Concilij Niceni Secundi retulit: Cui etiam adhæret Romana Curia. Quocircà ſi Germani in hoc diſcrepant, non debet dici eos à Romana Curia, ſed ab Eccleſia Catholica, & à veteribus, nouiſque Concilijs diſcrepare. Sed ſi ea opinio ſolius Moguntini fuit, vt perhibet, non ergo (vt affirmat) omnium Prælatorum Catholicorum Germaniæ. Quarè contra inferendo, maiori fundamento videtur dicendum, quemlibet, exemplo à Moguntini Concilio deſumpto, quod aduerſus ea, quæ Eccleſia, & Concilia, tum vetera, tum recentia docuerunt, articulos decreuit, certum eſſe poſſe, quàm verè Pontifices dicere in Germania preceperint, non poſſe

res religionis in Cōcilijs Nationalibus pertractari; iſtudque, vti magis recens, licèt non adeò conſpicuum, ac Concilia Prouincialia, in Africa Aegypto, Syria, aliiſque locis orientalibus celebrata, magis lectoris animaduerſionem prouocare.

62. Iulius III. Pontificatum ſibi ex Aſtronomis auſpicatur.

HISTORIA

PAg. 294. De Iulio tertio inquit, eum dicere conſueuiſſe (de eo, qui poſteà Cardinalis Montinus dictus fuit,) ſe illum beneuolentia, veluti ſuæ fortunæ artificem proſequi, quòd magna dignitas, ac diuitiæ illi ab Aſtronomis prædicerentur, quæ vtique aſſequi non potuiſſet, ni ipſe ad Pontificatum eueheretur.

Quod quàm leuiter, ac malignè, conſtat, quia paucis ante lineis dixerit, *illius iuuenis natalia incognita omninò Mundo fuiſſe*. Nam quo pacto ergo Aſtronomi de eo, cuius natiuitas penitus incognita eſſet, prædicere potuerunt?

63. Res iam Tridenti ſtatutas in dubium non reuocari Pontifex à Cæſare petit.

HISTORIA.

PAg. 299. Cęſar requiſitionibus per Pontificem factis reſpondendo dixit, ab eo tempore alienū eſſe agere; ne res iam Tridenti ſtatutæ reuocentur in dubium. Nam id in ea Vrbe opportunius fieri potuiſſet, cum Concilium redactum eſſet,

CONFVTATIO.

TAmen ſibi ſtatim contradicit, ſubdens pag. 300. eundemmet Cæſarem, Auguſtæ *Concilij Tridentini pro-*

ni proſecutionem propoſuiſſe. Quemadmodùm, & in Comitiorum itidem Auguſtanorum receſſu, de *Concilio in Ciuitate Tridentina continuando*; ſtatutum fuiſſe dixit pag. 287. Nam *proſecutionem*, aut *continuationem* Concilij proponere, idem erat, ac res iam Tridenti deciſas pro ſtatutis habere, vt etiam patet ex reſponſione ad ſequentem pag. 301.

64. *Cæſar Bullam Indictionis Concilij ſuo decreto moderatur.*

HISTORIA.

PAg. 301. Cum Pontifex bullam Indictionis Concilij ad Cæſarem miſiſſet, ait, Miniſtros Cæſareos, alioſque Catholicos zelantes, quibus eam Cæſar communicauit, cenſuiſſe, Proteſtantes ex eo tenore, exacerbandos eſſe, eiſque Concilij non recipiendi occaſionem præbendam, quando Pontifex, non tam ſe in eo præſidere, quàm illud inſuper dirigere velle declararet, & præter hæc, affirmando, ſe illud aſſumere, ac proſequi, eos nimis ſuſpicaces redderet requiſitumque Pontificem, vt ea verba moderaretur, bullam nihilominus euulgaſſe. Et pag. 303. Cæſarem deliberatione Pontificis percepta, remedioque excogitato, bullam in publico conſeſſu perlegi mandaſſe; quæ perſpecta effectum adamuſſim protulit, quem præuiderat; nempè Proteſtantes à promiſſione ſe ſubijciendi Concilio; Catholicos verò à fide illuc ſe conferendi receſſiſſe. Catholicis ob aſperam, intractabilemque rei gerendæ rationem, Proteſtantibus verò ob ſupra relata diſplicuit, Pontificem, non ſolùm ad ſe congregare, ſed dirigere, ac gubernare Concilia, pertinere dixiſſe, ſed res incæptas proſequi, & continuare decreuiſſe, cum inde iam expenſas iteratò examini ſubijciendi facultas adimeretur. Quia inopportunè, & ſine cauſa dixerit, Pontificem à Germania, vti Chriſti Vi-

carium agnitum fuiſſe: ſe Concilij Præſidentem declarauerit, nec alios, quàm Eccleſiaſticos, qui ei obediant, conuocaſſet, nimiſque ſtudioſè bullam conuocationis Pauli, tanta verborum amplitudine confirmaret. Dicebant Proteſtantes, ijs fundamentis vanè haberetur Synodus, eiſque ſeſe ſubijcere, Deo, & conſcientiæ aduerſari eſſet. Catholici dicebant, vanè laborandum, ſumptuſque faciendos eſſe ni Proteſtantes ad Concilium inducendi ſpes eſſet. Vtriuſque tamen partis audaciam tẽperauit Cæſar affirmando, Concilium Generale eſſe nationum Chriſtianarum; quia cum omnes aliæ Pontifici obediant, ipſe ea ratione, quæ illis congrueret, indictionem formauerat: Quatenus verò pertinet ad Germaniam, totum eius curæ permitterent, cum qua ratione eſſet agendum non ignoraret: alias Nationes conuenire ſinerent, ſeque, ſi non ibi, in loco ſaltem proximo coram adfuturum eſſe &, non verbis, ſed rebus ipſis operam daturum, vt res iuxtà debitos terminos tranſigeretur, nil penderent, quæ Pontifex diceret, ſed quæ ipſe in verbo Imperatoris, ac Regis polliceretur: qua ratione Cæſarem animos ſedaſſe, decretumque feciſſe concludit, quod immediatè recenſet. Quo perſpecto, ſubdit, illud bullæ Pontificis in omnibus partibus oppoſitum exiſtimatum fuiſſe: Iſte enim Concilia vult dirigere, ille curam habere, vt omnia ordine, & iure fiant: vult ille præſidere, iſte ex ſcriptura, & Patribus decerni: iſte continuari, ille omnibus ex conſcientia proponendi facultatem eſſe contendit, &c.

CONFVTATIO.

QVibus rebus quænam debeat adhiberi fides, præterea, quæ ſupra attulimus in reſpõſione ad pag. 299. immediatè antecedenti ſatis ex contradictionibus inſtruimur, quæ in mandato, quod idemmet

Cœſar

Cæſar dedit Oratoribus, quos Tridentum ſuo nomine miſit,perſpiciuntur. Nam, cum contineret(vt dicit 310.) *eundem Cæſarem, cum Pontifex Iulius ad religionis controverſias, in Germania ſedandas, Tridentum ad primam Maij præteriti, Concilium à Paulo conuocatum, inceptum,& omiſſum reuocaſſet; ſuos ad illud procuratores dirigere voluiſſe*; vtique patet, eundem Cœſarem, non ſolùm Concilium à Paulo inceptum continuari probaſſe; ac proinde res iam in eo ſtatutas minimè retractandas eſſe ſed bullam itidem conuocationis Pauli(Inſtrumento publico,in Cõcilio palam omnibus legendo) apertè ſimiliter recepiſſe; quæ proculdubiò non feciſſet, ſi aduerſus ea tantoperè laboraſſet, & decretum illud contra bullam Iulij, tanta eiuſdem Pontificis indignitate, ad eam moderandam, edidiſſet; vt Auctor ſupponit.

65. Pontifex, ad Concilium impediendum, bellum inter Cæſarem & Chriſtianiſſimum deſiderat.

HISTORIA.

PAg. 309. Nonnulli pro comperto habebant,Iulium, vt aliquod impedimentũ Concilio excitaret,quod ab eo non procederet, & alijs aſcribi poſſet, bellum inter Chriſtianiſſimum, & Cœſarem deſideraſſe: certumq; eſſe, frequentiores, & potentiores fuiſſe apud Cœſarem petitiones, vt aduerſus Parmam, & Mirandulam arma expediret, quàm cum Rege officia, vt res componerentur: ac regem cum omni officiorum genere fruſtrà Pontificis animum delinire ſtuduiſſet, ad extrema tandẽ veniſſe per Termes Oratorem ſuum proteſtando,ſed præſertim aduerſus Concilium, quod cogebatur, ſperans ea de re, Pontificem quieturum eſſe &c. Exquo inſinuare ſatagit, bellum Parmenſe excitatum à Pontifice fuiſſe, idque ea de cauſa, vt impediret Concilium.

CON-

CONFVTATIO

QVàm malignè hoc bellum Pontifici, atque eo potiſſimum fine, aſcribat, ex eo ſatis ſuperque inſtruimur, quòd Thuanus apertiſſimè doceat, illud ab alijs excitatum fuiſſe; Pontificem verò rem conciliare totis viribus contendiſſe. Cum enim (vt ait lib: 8.) *Fridericus Gonzaga Dux Mantuæ, Ferrandi, eo tempore Mediolani Gubernatoris Frater, Octauium Farneſium Parmæ reſtitutum vidiſſet, cuius proximam potentiam maximè vereretur, quòd coniurationis in Petrum Aloyſium Auctor haberetur, Carolo V. Imperatori inſinuauit, neceſſe eſſe, ad inſtam Mediolani tutelam, à Parmenſi cauere, qui eam Vrbem valido Gallorum præſidio munierat: & Epiſcopo de Arras, ac Didaco Mendoxe (qui eo tempore Senis pro Cæſare agebat) impellentibus, illum ad bellum exciuit cum Iulius interim nullas boni Paſtoris, ac Principis partes omittens omni ope, ac ſtudio Farneſium à foedere cum Gallis retrahere contendiſſet, ex quo, ex neceſſitate, armis occaſio fuiſſet, cum ad eum Petrum Camoianum, Epiſcopum verò Ferentinatem ad Cæſarem certos miſiſſet, & antequam ad arma ventum eſſet, officia cum Octauio iteraſſet, nec à perſuaſionibus, & minis per Coſmum Ducem Florentiæ, Alexandrum, & Raynutium Fratres Octauij, Cardinaliſque Angelum Mediceum, & Sancta Flora abſtinuiſſet: eaque de re Aſcanium quoque à Cornea proprium Nepotem ad Regem legaſſet, duoſque demum Legatos Cardinalem Carpenſem, ad Cæſarem, & Verallum in Galliam miſiſſet.* Quæ officia ſatis oſtendunt, Pontificem concordiam omni ſtudio, ac ſedulitate procuraſſe, licèt, ob impedimenta ex Gonzaghio, & quia Galli ex eo bello maiora molirentur, effectu caruiſſent. Ex qua Thuani narratione luculentiſſimè patet, quàm malignè Auctor ardorem, ac ſtudium Iulij, in primis eius belli ſcintillis comprimendis, occuluerit, cum rem diuerſa

uerſa omninò facie repræſentauerit.

Cum, &, præter hæc, penitus repugnet, Iulium, ad impedimentum Concilio excitandum, voluiſſe Cæſarem (ſibi ob ea, quæ Auctor refert infenſiſſimum) *arbitrum* (vt inquit) *Italiæ* nouis progreſſibus fieri, cum etiam Placentiam eodem tempore obtinuiſſet. Cum eius namque proteſtationes adeò timuiſſe dixerit, vt ſola earum ſuſpicione territus, Concilium illico ad Tridentum, omni penitus propriæ exiſtimationis poſthabita ratione, reſtituerit; An credibile eſt, eum ſeſe Cæſaris arbitrijs ſubijcere voluiſſe, eidem Imperium, haberaſque Italiæ tradendo?

Vt etiam repugnat, Iulium (quem Auctor adeò ab incommodis præſentibus alienum deſcribit, vt, ad ſolam moleſtiam petitionum Cæſaris euitandam, tanto ſui, ac Sedis Apoſtolicæ dedecore, ac periculo, Concilium ad Tridentum reſtituiſſe ſupponit) ad ſe à Concilio eximendum, propinquis belli incommodis, ac periculis tanto ſeſe diſpendio ſubieciſſe: & contra axioma firmiſſimum omnium Pontificum (vt refert 196.) *arma ab Italia procul amandandi*, non ſolùm ea in Italiam acciuiſſe; ſed ſeſe Cœſaris inſuper arbitrijs, armiſque penitus ſuppoſuiſſe.

Quòd verò ad bellum attinet, non illatum à Iulio, ſed propulſatum fuit, vt ipſemet Auctor docet. Nam eorum motuum originem referens, ait 371. *Secundæ Concilij reductioni cauſam dediſſe, ſummam Caroli Cæſaris cupiditatem, Germaniam, religionis colore, ſibi ſubijciendi, Imperiumque hæreditaria ſucceſſione ad filium tranſmittendi, eaque ratione Monarchiam inter Chriſtianos, qualibet alia, etiam Caroli Magni, poſt Romanam, ampliorem conſtituendi, ad quod cũ ſola, quà potitus erat victoria ſatis non eſſet, nec ſolis armis fideret, ſed Populos religione, Principes officijs ſubmittendo, in ampliſſimam ſe ſui nominis immortalitati donandi ſpem erexerat. Quod cauſæ fuit, vt enixè apud Iulium proſequen-*

da

da reductione inſtiterit, treſque Electores perſuaſionibus ad ſeſe illuc transferendos, eoſque Proteſtantes, penes quos auctoritate pollebat, ad ſuos illuc Theologos mittendos compulerit; ſed, dum illud celebratur, cum Carolus omnes Chriſtianos Principes, eo conſilio in timorem maximum adduxiſſet, primas oppoſitiones apud ſuos reperit &c. Quo aperit Auctor, non aliam eorum motuum originem, quàm vehementem Principum timorem fuiſſe, ne ſe Caroli potentia nimium efferret.

Vt docet quoque Thuanus ex epiſtolis, quibus Rex Chriſtianiſſimus eorum motuum cauſas manifeſtas fecit, in quibus præſertim inquit, vt videre eſt lib. 8. *Acceſſere ad hæc Principum Germanorum graues, nec minus iuſtæ querimoniæ, qui nos pro veteri neceſſitudine, & amicitia rogarunt, vt in communi cauſa pro ipſis adeſſe, & coniunctis opibus publicum periculum propulſare vellemus. Id enim à Cæſare agi, palam eſſe, vt controuerſiarum de Religione componendarum prætextu, & belli Turcici, & refroenandæ rebellionis occaſione captata, duriſſimum libertati Germaniæ iugum imponat, & in ea factiones, & diſſidia alat, ipſamque ſenſim hominibus, & pecunia paſſim exhauriat, ac tandem, expugnato fortiſſimo totius Orbis Chriſtiani propugnaculo, in Galliam inuadat, & imperium diu animo agitatum, in omni Europa ſibi ſumat*; cum alijs, quæ ſubijcit.

Et Gallus, ne Carolus Germania potiretur, Concilium potiſſimùm exturbandum cenſuit, quo vnico inſtrumento voti compos fieri potuiſſet, vt Auctor dixit. Idque, non tàm bellum in Italia, occaſione Parmæ arrepta, excitando; Sed alijs quoque rationibus, quas in eiſdem Thuanus recenſet, ſubdens, N*am Cæſariani vltrò nos Octauij tutelam ſuſcepiſſe criminabantur, non tam ſupplicis defendendi, quàm belli in Italia atque adeò inter Chriſtianos excitandi cauſa, ob id ipſum ſollicitaſſe Imperij Ordines, & Principes, vt à Cæſare deficerent, neque in Concilium, quod ipſorum rogatu Cæſar ad Sarciendam Eccleſiæ concordiam,*

cordiam, coegiſſet, conſentirent, miſſis Legatis, qui conteſtarentur, & illud pro irrito Gallos habituros denunciarent &c.

Quod etiam aperuit Chriſtianiſſimus ex hac in Concilium proteſtatione, quam Polanus poſteà recenſet. Nam quorſum ea in Concilium proteſtatio (quæ ad eiuſdem Synodi diſſolutionem tendebat,) ſi ſoli Pontifici negocium facere voluiſſet? Etenim, ſi Iulius reuera Concilium diſſoluere ſategiſſet, illud vtique Chriſtianiſſimus, non modò non diſſoluere, ſed immò, illo potius inuito, ſeruare, ac proſequi, ſuoſque ideò Prælatos Tridentum mittere debuiſſet. Sed quia in Cæſarem ferebatur, aduerſus Concilium, ad illud diſſoluendum, proteſtabatur, & ea inſuper de cauſa, officijs cum Principibus Proteſtantibus, Heluetijſque egit (vt ſubdit 347.) ne ad Concilium irent: & pag: 353. metum Pontifici de Concilio Nationali indicendo, & Patriarchæ in Gallia conſtituendi, incutere ſtuduit: in quem etiam finem reſpexiſſe dicendum videtur oratione Theologi Archiepiſcopi Treuerenſis pag. 365. ad perſuadendum, fidem hæreticis ſeruandam non eſſe, & ipſius electoris diſceſſio; cum occultam inter eum, & Gallum communicationem fuiſſe referat dicta pag 365. quò diſcedendi à Concilio, illudque idcircò intercipiendi, occaſio hæreticis eſſet.

Ex quibus, cum ſatis ſuperque pateat, quàm multa Polanus in hac belli Parmenſis narratione Pontifici calumnioſè, de more, imponat, non eſt quod de alijs laboremus, quæ in hac re ſubijcit: præſertim, cum in eis etiam, vt in diſputatione præcedenti aperuimus, non deſint mendacia.

66. Iuriſdictionis Epiſcopalis origo, & progreſſus.

HISTORIA

PAg. 323. Loquens de origine, & progreſſibus Iuriſdictionis Epiſcopalis ait, cum Chriſtus Apoſtolis,

Zzz præ-

prædicationem Euangelij Sacramentorumque miniſterium demandaſſet, ipſis etiam, in omnium fidelium perſona, peculiare preceptum reliquit ſeſe inuicem amandi, iniuriaſque ſibi mutuò dimittendi, omnibus ſe inter diſſidentes intromittere, eoſque componere iniungendo, pro extremo remedio eius rei curam corpori Eccleſiæ tribuendo, cum ea promiſſione, quòd ligatum, ſolutumque in cælis foret, quicquid ſoluiſſet, aut ligaſſet in terris, & quod duo concorditer petijſſent à Patre concederetur. In hoc pio charitatis officio procurandi ſatiſfactionem offenſo, & offenſori veniam, ſe primitiua Eccleſia perpetuò exercuit: eaque de cauſa Paulus precepit, ne fratres inter ſe lites ciuiles habentes, infidelium tribunalia adirent, ſed ſapientes conſtituerentur, qui differentias iudicarent, quod ſpecies Ciuilis Iudicij fuit; ſicut illud ſimilitudinem magis criminalis habebat: ſed in eo à Iudicijs differebant mundanis, quia quemadmodum iſta à poteſtate Iudicis, qui parère compellit, ſic illa à ſola voluntate rei acceptantis executionem habeat quam, ſi recipere noluiſſet, Iudex Eccleſiaſticus, ſine executione remanet, nullamque aliam vim habet, quàm quòd Diuini Iudicij præiudicium ſit, quod in præſenti, aut futura vita, iuxta beneplacitum Omnipotentis, ſequetur.

Et quidem Iudicium Eccleſiaſticum nomen charitatis merebatur, quia illa ſola rerum ad ſe ſubijciendum, & Eccleſiam ad eum iudicandum, idque tanta, tum Iudicis ſynceritate, tum errantis obedientia induceret, quòd neque in eo prauus affectus, nec in iſto querimonia locum habere poſſet, exceſſuſque charitatis in caſtigando maiori dolore corrigentem afficiebat: Vnde in Eccleſia, non ſine magno multitudinis, eoque magis eminentiorum luctu, ad pœnæ impoſitionem procedebatur: quod cauſæ fuit, vt eo tempore caſtigare vocaretur luctus. Ita Sanctus Paulus repræhendendo Corinthios, quòd inceſtuoſum

ſtuoſum non caſtigaſſent, dixit, *& non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrum qui hoc opus fecit*: Et in alia Epiſtola, *timeo enim, ne fortè cum venero, non quales volo inueniam vos; ſed in contentionibus, & ſeditionibus, & ne cum venero, lugeam multos ex ijs, qui antea peccauerunt*: oportebat Iudicium Eccleſiæ (vt neceſſe eſt in omni multitudine) ab vno regi, qui præſideat, moderetúrque actionem, materias proponat, & ad deliberandum ſuffragia colligat: quæ cura cum primori, ac digniori debeatur, Epiſcopo ſemper, abſque difficultate, demãdata fuit: & vbi Eccleſiæ admodum numeroſæ erant, propoſitiones, ac deliberationes per Epiſcopum, primũ in Presbyterorum, Diaconorumq; collegio fiebat, quod Presbyterium vocabant, & ibi ad poſtremam poſteà deliberationem in generali Eccleſiæ Congregatione recipiendam, agitabantur. Quæ forma adhuc anno 250. vigebat, & ex epiſtolis Cypriani liquidò patet, qui de ſacrificatis, & libellaticis ad Presbyterium ſcribit, ſe nihil abſque eorum conſilio, plebiſq; conſenſu, facere cogitare: Et populo itidem ſcribit, ſe, cum rediiſſet, cauſas, & merita coram ipſis, ſub eorumq; iudicio expenſurum eſſe: & eis Presbyteris, qui pro arbitratu nonnullos reconciliauerant, eos plebi rationẽ reddituros eſſe ſcripſit.

Probitas, & charitas Epiſcoporum faciebat, vt eorum ſententiæ vt plurimùm amplecterentur, quod paulatim in cauſa fuit, vt Eccleſia, refrigeſcente charitate, & munus ſibi à Chriſto impoſitum paruifaciens, curam Epiſcopo reliquerit, quam ambitio, affectus admodum tenuis, quique ſe ſpecie virtutis inſinuat, promptiſſimè ſubijt. Mutationis cumulus eo tempore fuit, quo perſecutiones ceſſarunt: & tunc Epiſcopi, velut tribunal erexerunt, quod frequentiſſimum euaſit, cum vnà ſimul cũ facultatibus temporalibus litium materiæ creſcerent. At iudicium, tametſi circa formam de ſententia Eccleſiæ

cuncta deliberandi, ab antiquo diſtaret, eandem tamen Synceritatem ſeruabat Quarè Conſtantinus videns, quã proficuum eſſet ad terminandas lites, & religionis anthoritate actiones captioſas per Iudices non exploratas detegi, ſanciuit, Epiſcoporum ſententias inappellabiles eſſe, perq; Iudices exequi debere, & ſi in cauſa corã Iudicio ſeculari pendente, in quocunq; ipſius ſtatu quelibet ex partibus, vel etiam altera repugnante, iudicium Epiſcopale requireret, ad illud illico reijceretur.

Exinde iudicium Epiſcopale coepit eſſe forenſe, cum executionem ex Magiſtratus miniſterio haberet, & nomine Iuriſdictionis, aut Audientiæ Epiſcopalis, & ſimilibus appellari: Eam quoq; iuriſdictionem Valens Imperator amplificauit, qui anno 365. circa, rerum omnium venalium pretium eiſdem curam attribuit. Quæ forenſis negociatio bonis Epiſcopis non placuit. Narrat Poſſidonius, Auguſtinum, cum huic rei quandoq; ad meridiem, & quandoq; ad vſq; veſperas incumberet, dicere ſolitum fuiſſe, eam Angariã eſſe, quæ illum à rebus ſibi proprijs auerteret, ipſeque met ſcribit illud fuiſſe tumultuoſis, perplexiſque rebus, vtilibus omiſſis, operam dare, Diuum Paulum id ſibi muneris non ſumpſiſſe, quod illud Prædicatore indignum affirmaret, ſed alijs tribui voluiſſe. Cum verò poſteà aliquis ex Epiſcopis auctoritate, eiſdem lege Conſtantini tributa, abuti inciperet, ea lex poſt annos 70. ab Arcadio & Honorio reuocata fuit, ſtatutumq; facultatem eis religionis cauſas tantummodò iudicandi, & in ciuilibus non niſi ambarum partium cõſenſu, & compromiſſo intercedente, eſſe, nullumq, eos forum habere declaratum: Quæ lex, cum Romæ, ob magnam Epiſcopi poteſtatem, minimè obſeruaretur, Valentinianus, cum in ea vrbe eſſet, eam anno 452. reſtituit, executionique mandari precepit. Sed paulò poſt pars poteſtatis ablatæ, per ſubſequentes Principes reſtituta fuit, adeò vt Iuſtinianus illis forum, & audientiam

ſtatue-

ſtatuerit, eiſque cauſas religionis, delicta Eccleſiaſtica Clericorum, diuerſarumq; Iuriſdictionum voluntariarum, etiam ſuper laicos aſſignauerit. Per hos gradus charitatiua correctio, per Chriſtum inſtituta; in dominationem degenerauit, in cauſaque fuit, vt Chriſtiani aliquam reuerentiam, obedientiamque exuerint. Verbis quidem negatur Eccleſiaſticam Iuriſdictionem, perinde ac ſeculare, dominationem eſſe; ſed nulla tamen differentia realis inter eas ponitur. Diuus Paulus inter eas differentiam ſtatuit, dum ad Timotheum ſcripſit, ac Tito replicauit, Epiſcopum non lucri cupidum, nec percuſſorem eſſe debere: in præſenti è contra ſolutiones ob proceſſus imperantur, hominesque carceribus, haud diſſimiliter, atque in ſeculari foro traduntur.

Verùm Prouincijs Occidentalibus ſeparatis, & ex Italia, Gallia, atque Germania Imperio conſtituto, ex Hiſpania regno erecto Epiſcopi in his quatuor Prouincijs inter Conſiliarios, vt plurimùm à Principe aſciſcebantur. Vnde ex munerum ſpiritualium, curarumq; temporalium mixtione, fori Epiſcopalis authoritas in immenſũ creuit. Nec ducentorum annorum ſpatium pertranſijt, cum omne criminale, ac ciuile Iudicium abſolutè in Clericos obtenderunt, & in multis quoque materijs, etiam in Laicos eo colore, quòd Cauſa Eccleſiaſtica ſit Et præter hoc, aliud quoq; genus, fori mixti vocatum, excogitarunt, volentes aduerſus ſecularem æquè Epiſcopum, ac Magiſtratum procedere poſſe, locum præuentioni dãdo, qua, ob exquiſitam eorum ſollicitudinem, nullum vnquam ſeculari locũ relinquentes, cuncta ſibi aſſumunt: & qui ex hoc tàm ingenti numero excluduntur, regula quadam vniuerſali ab eis velut fundamentum fidei ſtatuta, comprehenduntur, cuncta, nempè ad forum Eccleſiaſticum deuolui, ſi Magiſtratus iuſtitiam deneget, aut negligat. Sed, ſi Cleri ambitus in his limitibus conſiſteret, rerum publicarum Chriſtianarum ſtatus tolerabilis

bilis eſſet. Populi, ac Principes, vbi eos æqui, boniqne terminos intolerandum in modum excedere perſpicerer, poſſent iudicia legibus, ac ſanctionibus in ordinem redigere, quemadmodum temporibus antiquis, exigente neceſſitate, factum fuit. Sed qui Chriſtianitati iugum impoſuit, vim etiam illi omnem illud proijciendi tandem abſtulit. Nam poſt annum 1050. cum iam omnes Clericorum, totque aliæ Laicorum cauſæ, obtentu ſpiritualitatis, fori Epiſcopalis propriæ factæ eſſent, aliarumq; ferè omnium, ſub nomine mixti fori, participes fierent, ſeque, denegatæ iuſtitia prætextu, Magiſtratibus ſecularibus antetuliſſet, dictum fuit; Epiſcopum eam iudicandi poteſtatem ad tot cauſas extenſam habere, non ex Principum conceſſione, aut conniuentia, vel voluntate populorum, aut conſuetudine introductam fuiſſe, ſed eſſentialem dignitati Epiſcopali eſſe, eiq; per Chriſtum tributam.

Et licèt leges Imperatorum in Codicibus Theodoſij, ac Iuſtiniani, in Capitularibus Caroli Magni, ac Ludouici Pij, aliæque poſteriorum Orientalium, Occidentaliumque Principum, quibus apertè oſtenditur, quomodò, quando, & per quos ea poteſtas conceſſa fuerit, & omnes hiſtoriæ, tum Eccleſiaſticæ, tum prophanæ, in eiuſdem conceſſionibus, & conſuetudinibus introductis enarrandis conueniant, rationeſque & cauſas addant; nihilominus non adeò notoria hæc veritas potuit, quin ſola affirmatio contraria, nulli prorſus probationi innixa præualuerit, Doctoreſque Canonum eam ſuſtinuerint, eos etiam hæreticos prædicando, qui vt cæteros haberi renuant; Inſuper addentes, nec Magiſtratum, nec ipſum quidem Principem in nulla ex eis cauſis ſe ingerere poſſe, quas ſibi proprias Clerus feciſſet, quòd ſint ſpirituales, rerumque ſpiritualium laici incapaces. Non adeò tamen extinctum fuit lumen veritatis, vt homines docti ac pij non ſe huic doctrinæ primis eis temporibus obiecce

rint,

rint, oſtendendo, ambas eius diſſertationis propoſitiones falſas eſſe: & maiorem (nempè Laicos rerum ſpiritualium incapaces eſſe) abſurdam, impiamque eſſe, cum ipſi in adoptionem a Patre Cæleſti recipiantur, vocentur filij Dei, Fratres Chriſti, regni cæleſtis participes, dignique Gratia Diuina, Baptiſmo, Communione carnis Chriſti, efficiantur. Quas enim alias res ſpirituales, præter has reperiri? Et quando etiam aliæ exiſterent; quonam pacto, qui horum ſupremorum particeps eſt, abſolutè in terminis generalibus rerum ſpiritualium incapax appellandus erit? Sed minorem quoque falſam eſſe, (nẽpè cauſas iudicijs Epiſcopalibus proprias eſſe, ſpirituales,) cum omnes ſint de delictis, aut contractibus, quę, condicionibus rebus ſpiritualibus per Diuinam ſcripturam aſſignatis perpenſis, magis ab ea conditione, quàm cælum à terra diſtant. Sed oppoſitio partis melioris obtinere non potuit, quin maior ſuperauerit, & ita ſuper poteſtate ſpirituali ligandi, atque ſoluendi per Chriſtum Eccleſiæ data, & ſuper inſtituto Diui Pauli, litium inter Chriſtianos, omiſſo infidelium tribunali, componendi, multo temporis ſpatio, & per multos gradus tribunal tẽporale magis, quàm vnquam in orbe terrarum conſpicuum fuerit, erectum eſt, & in medio cuiuſcunque gubernij ciuilis, gubernium aliud, quod à publico non dependeat, inſtitutum, adeò vt, qui de gubernijs ſcripſit, nunquam huiuſmodi reipublicæ ſtatum ſuſſiſtere poſſe, concipere potuiſſet. Omitto recenſere, quonam pacto tot hominum labores, prærerquamquod finem ſibi propoſitum obtinuerint conſtituendi ſibi forum, quod à publico non dependeat, alium non præuiſum, Imperij ſcilicet moliendi ſortiti ſint, cum noua ac magis ardua opinio ortum habuerit, radiceſque mirabili progreſſu fixerit, quæ totum ſimul quod per mille tercentorum annorum ſpatium, per tot Epiſcopos, tot admirabilibus rationibus acquiſitum fuit, ſoli Romano Pontifici tribuit,

emro-

remouendo ab eſſentia fundamenti iuriſdictionis ligare, & ſoluere; & ſubrogando paſcere; & ita efficiendo, vt tota Iuriſdictio, ſoli Pontifici in perſona Petri per Chriſtum data ſit, cum dixit ei, Paſce oues meas. Nam hac de re in tertia Concilij reductione verba fient; cum, ob hanc opinionem magni tumultus, qui in eo loco narrabuntur, excitarentur.

CONFVTATIO.

VErba Chriſti Domini Noſtri apud S. Matthæum, ab aduerſario pro ſua opinione perperam allata; dicunt, *Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus. Amen dico vobis, quęcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cælo: & quęcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in cælo. Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in Cælis eſt: vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Quæ verba explanantur à Diuo Thoma ſecunda ſecũdæ qu. 33. art. 3. qui ait, *Duplex eſt correctio. Vna quidem, quæ eſt actus charitatis, quæ ſpecialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis, per ſimplicem admonitionem, & talis correctio pertinet ad quemlibet charitatem habentem, ſiue ſit ſubditus, ſiue Prælatus: eſt autem alia correctio, quæ eſt actus iuſtitiæ, per quam intenditur bonum commune, quod non ſolùm procuratur per admonitionem fratris, ſed etiam interdum per punitionem, vt alij à peccato timentes deſiſtant. Et talis correctio pertinet ad ſolos Prælatos, qui non ſolùm habent admonere, ſed etiam corrigere puniendo.*

Digitized by Google

niendo. Vnde patet aduerſarium cooſudiſſe malignè correctionem charitatiuam, cum correctione iuſtitiæ, quæ, vt inquit Diuus Thomas, *ad ſolos Prælatos pertinet*. Qui, cum, non ſolùm debeant, vt idem ſubiungit, *admonere, ſed etiam compeſcere puniendo*; vtique id facere non potuiſſent, ni vnà etiam iurisdictio illis tributa fuiſſet, vt verè illis tribuit Chriſtus per verba ſupra notata, & indicant illi actus iudiciales, ſeu fori, publicæ accuſationis coram Eccleſia, & inductionis teſtium ad conuincendos contumaces, in quo intrat exercitium iurisdictionis, ſeu iuſtitiæ, vt inquit Diuus Thomas. Nam ad quid, quæſo, precipere, vt ea Eccleſiæ dicantur, & teſtes adhibeantur, ni aliud, quàm purum officium charitatis inter te, & ipſum ſolum exercendum fuiſſet? *Et quorſum ea ligandi, atque ſoluendi in terra poteſtas* Apoſtolis ad eum effectum data, ſi non reuera *ligare*, & *ſoluere*, ſed ſolam charitatem exercere debuiſſent, quæ *executionem* (vt ait Polanus) *recipit à ſola voluntate rei*, non à poteſtate Iudicis coactiua *ligandi, atque ſoluendi*? Cumque neceſſe eſſet, Eccleſiam authoritatem habere corripiendi eos, qui vti contumaces apud eam ex precepto Chriſti accuſarentur, ea de cauſa idem Chriſtus Apoſtolis, (& per conſequens Epiſcopis eorum *Succeſſoribus*) neceſſariam ad id poteſtatem vnà ſimul dedit, per ea verba, *Amen dico vobis quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata, & in Cælo, & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta, & in Cęlo*. Et dicit *erunt ligata, & ſoluta in Cęlo*, ad denotandam vim, quæ Eccleſiaſticorum iudicijs, & cenſuris futura erat, ob quas contumax, vt Ethnicus, & publicanus haberi p recipiebatur.

Quam poteſtatem, non ad ſolum exercitium charitatis; ſed ad negocia quoq; ſecularia Eccleſiæ datam fuiſſe apertè oſtendit Sanctus Paulus, in loco, quem Auctor innuit, eis verbis, *Audet aliquis veſtrum habens negocium aduerſus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud Sanctos?*

ctos? An neſcitis quoniam Sancti de hoc Mundo iudicabunt? Et ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis? Nam ex his verbis proculdubiò infert, æquè minima (hoc eſt ſecularia, ſeu mundum) ac magna (nempè Eccleſiaſtica, & ſpiritualia) ad Eccleſiaſticorum iudicium pertinere, vt nominatim exprimit ſubdens, *neſcitis quoniam Angelos iudicabimus? quātò magis ſecularia? Secularia igitur iudicia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum? ad verecundiam veſtram dico: ſic non eſt inter vos ſapiens quiſquàm, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum?* Quę iteratò confirmat ſubdens, *omninò auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem Patris ſui aliquis habeat. Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrum, qui hoc opus fecit? Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui, vt præſens eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini Ieſu Chriſti, congregatis vobis, & meo Spiritu, cum virtute Domini Noſtri Ieſu Chriſti; tradere huiuſmodi Sathanæ in interitum carnis; vt ſpiritus ſaluus ſit in die D. N. Ieſu Chriſti.* Quoniam *tradere Sathanæ*, non aliud eſt, apud Patres, (vt docet Baronius ann. 57.) quàm ſeparare à communione fidelium, ſiue excommunicare, quæ inter pœnas criminales omnium maior proculdubiò eſt.

In quibus locis cum luculentiſſimè pateat, Iuriſdictionem Eccleſiaſticam, etiam ſuper rebus *ſecularibus*, ab ipſomet Chriſto, & per eum in Apoſtolos, eiuſque ſucceſſores per conſequens emanaſſe, vt fusè etiam docent orthodoxi ſcriptores, & enucleat potiſſimùm Baronius in primo tomo; quiſque videt, quàm impiè, & malignè Auctor contrarium ex eis inſinuare nitatur, ac proinde quàm falsò aſſerat, iudicia Eccleſię adeò à iudicijs mundanis diſcrepare, quòd quemadmodùm hæc executionē recipiunt à poteſtate coactiua Iudicis, qui reos ad ſeſe ſubijciendos cogit; ita Eccleſiaſtica à ſola voluntate rei:

qui

qui illa recipiat, &, ſi nolit, Iudex Eccleſiaſticus abſq; executione maneat, falſumque itidem eſſe, reum, ſola charitate ad ſe ſubijciendum induci, dum Chriſtus apertiſſimis verbis iubet, contumaces *apud Eccleſiam*, vel eius Prælatos, (vt Doctores interpretantur) *accuſari*; cui ea de cauſa tribuerit facultatem *ligandi, atque ſoluendi:* quę vtique facultas vana omninò fuiſſet, ſi officia charitatis exercere tantummodò debuiſſent.

In quo eò magis perſpicua eſt aduerſarij malignitas, quòd idémet in hac ſua diſſertatione apertiſſimè doceat, officium charitatis, de quo loquimur, neque etiam in eis primordijs Eccleſiæ, puræ charitatis, & abſque executione iudicij fuiſſe, dicens *oportuiſſe iudicium Eccleſiæ (quemadmodùm neceſſe eſt in omni multitudine) ab vno regi, qui præſideret, actionemque moderaretur, materias proponeret, & ſuffragia in deliberationibus colligeret*. Nam vbi ex pura charitate proceditur, & vbi rei, ex ſola charitate ſe ſpontè ſubijciunt, non poteſt eſſe forma iudicij, nec exiguntur probationes, conſultationes, & ſuffragationes, cum reconciliatio facienda ſit inter ſoloſmet reconciliandos, ſola charitate mediante: & epiſtolæ Diui Cypriani, ab Auctore allatæ, apertè loquantur *de poteſtate coactiua*, poſita in poteſtate, non rei, ſed Iudicis, vt ex eiſdem liquidò patet.

Quæ omnia comprobat itidem referendo, *Conſtantinum, videns, quàm vtile eſſet Iudicium ad lites terminandas, ſanciuiſſe, vt ſententiæ Epiſcoporum inappellabiles eſſent*; cum ex hoc colligatur, Eccleſiaſticos ante Conſtantinũ tribunal habuiſſe, iuriſdictionemq; per conſequens exercuiſſe: ac proinde falſum eſſe conſequitur, *hoc tempore, Iudicium Epiſcopale forenſe eſſe cæpiſſe*, vt ait. Quemadmodum, & confirmat, dum ſibi iteratò contradicens, ſubdit, *hanc negociationem forenſem, bonis Epiſcopis non placuiſſe, Sanctumque Auguſtinum ſcripſiſſe, id fuiſſe res vtiles negligere, & tumultuoſis perplexiſque operam dare: & Diuũ*

Paulum id ſibi non aſſumpſiſſe, quòd indignum illud Prædicatore cenſeret, ſed alijs tribui voluiſſe: cum ex his apertiſſimè fateatur, Iudicium Eccleſiaſticum, etiam tempore Diui Pauli, hoc eſt ab ipſis Eccleſiæ primordijs, forenſe fuiſſe, & falſum per conſequens eſſe, illud, tempore Conſtantini Forenſe eſſe cæpiſſe.

Ex quibus, cum perſpectiſſimum ſit, Iuriſdictionem Epiſcopalem, & Eccleſiaſticam ab ipſis Eccleſiæ primordijs, non circa ſola charitatis officia fuiſſe, ſed ad Iudicia omnia; tum Eccleſiaſtica; tum ſecularia, & tam ciuilia, quam criminalia ſe extendiſſe, corruunt etiam omnia, quæcunque Auctor ſupra, ad contrarium inſinuandum, recenſuit.

Et, cum eam auctoritatem à Deo fuiſſe docuerimus ex Euangelio, & Diuo Paulo, non officiunt etiam quæcunque Principes ſeculares, vel in diminutionem, vel contrà ſanciuerint; cum de facto potuerint ob præpollentiã: & poſſent è contrà obijci, quæ alij Principes, religione moti, ad eam, non ſolùm reſtituendam, ſed amplificãdam inſuper fecerint: quæ tamen nil ad rem, cum ius Diuinum ex hominum facto tolli, diminui, aut infringi nullatenus poſſit: & ex eiſdem per conſequens ex ſe patet, quot falſitatibus, erroribus, impoſturis, ac detractionibus nitatur Auctor auferre ab Eccleſia, & Eccleſiaſticis, quæ Chriſtus eis apertiſſimis verbis contulit, eoſque, vti Iuriſditionis ſecularium vſurpatores, impudentiſſimè redarguere.

In qua diſſertatione Auctor, præter malignitatem, propriam etiam prodit inſcitiam, dum vult, Laicos res ſpirituales, perſonaſque Eccleſiaſticas ex eo cognoſcere, & iudicare poſſe, *quòd in adoptionem à Patre cæleſti aſſumantur, Deique filij vocentur*, & ex eis, quæ addit, ex quibus malè infert ad Iuriſdictionem, quæ non ex his procedit, vt docuimus. Siquidem ex hac illatione conſequeretur, omnes Chriſtianos habere in Eccleſia Iuriſdictio-

dictionem, quod eſt abſurdum, atque ridiculum.

Quemadmodum, & malè infert, dicendo, cauſas aſſignatas Iudicijs Epiſcopalibus eſſe de delictis, & contractibus, & per Laicos idcircò cognoſci poſſe; cum non ex eo aſſignatæ fuerint Eccleſiæ Iudicio, ſed reſpectu perſonarum, quæ, cum ad forum Eccleſiæ aliquo modo pertineant, non ſunt de Iuriſdictione Laicorum, vt eſt triſtiſſimum.

Ad quorum omnium confirmationem addi poſſunt, quæ illicò pag. 327. ore Ioannis Groperi ſubijcit, quem de appellationibus dignè admodum verba feciſſe ait, cum illi Concilio vti Iuriſconſultus, ac Theologus intereſſet, dicendo, *dum feruor fidei in præcordijs Chriſtianorum efferbuit, inauditam fuiſſe appellationem; ſed refrigeſcente in Iudicibus charitate, afflictibuſque locus daretur, etiam in Eccleſiam ſubijſſe, ob eas rationes, quæ illam in forum ſeculi, inuexerunt; nempè in leuamen oppreſſorum: Et quemadmodùm prima Iudicia non ſolius Epiſcopi, ſed ipſius vnà cum ſuorum Presbyterorum Concilio erant; ita appellationes, non ad vnum tantummodò, ſed ad aliam Congregationem deuoluebantur, ſed Epiſcopos, Synodis abrogatis, fora, & Miniſtros, ad inſtar ſecularium, inſtituiſſe.* Nam, ex his oſtendit, appellationes in primitiua Eccleſia fuiſſe (cum illam, Iudicij formam, nempe Epiſcopi cum Presbyterio, non niſi in primitiua Eccleſia fuiſſe dixerit) ac proinde ſemet confodit; quando ex hoc aſſumatur, Iudicia primitiuæ Eccleſiæ, non pro ſola ergo correctione, ſed verè forenſia fuiſſe, vt irrefragabiliter firmat, ibidem aſſeuerando ore Groperi appellationum vſum, eo tempore, in Eccleſia fuiſſe; quas quidem ſola charitas non admiſiſſet: & verum per conſequens tribunal, ex eis temporibus in in Eccleſia fuiſſe perſpectiſſimum facit,

Quibus per Auctorem poſitis, dicendum eſt, Appellationes ſemper in Eccleſia fuiſſe, & cum inſtitutione Iudicij, vnà ſimul incæpiſſe, nec ex eo per conſequens originem

ginem habuiſſe, *quia ex parte ſuperiorum charitas in dominationem degeneraſſet & ex parte inferiorum, obedientia in querelas, & ſubterfugia conuerſa eſſet*, vt perperam dixit.

Dum verò addit, *Iudicia prima, non ſolius Epiſcopi, ſed ipſius cum ſuorum Presbyterorum conſilio fuiſſe*, cum ex hoc innuat, Epiſcopos ſupremam poteſtatem nonniſi cum presbyterorum conſilio habuiſſe; multa abſurda conſequerentur, quibus deſtruit, quæ alibi pro auctoritate Epiſcoporum attulit in quæſtione de eorundem Epiſcoporum inſtitutione, & reſidentia de Iure Diuino, quæ ſupra notauimus.

Et, ſi verum eſſet (vt itidem ait) *Epiſcopos Synodos abrogaſſe, & earum vice fora, & Miniſtros ad inſtar ſecularium ſubrogaſſe*; falſum ex conſequenti eſſe oſtenderet, *Epiſcopos forum ex auctoritate Imperiali habuiſſe*, vt ſupra dixit, & contradicit aſſertioni ſuperius factæ, Eccleſiam nempè, *munus ſibi à Chriſto delatum paruipendendo, curam Epiſcopo reliquiſſe*.

Subdit poſtèa eiuſdem Groperi ore, malum in hoc gradu non conſtitiſſe, immò ad maiores abuſus, quàm in foro ſeculari tranſijſſe. Nam in illo appellatio, non niſi ad ſuperiorem immediatum interponi poteſt; nec illicò, ad ſupremum tranſire licet: nec in articulis cauſæ à à decretis Iudicis, que interlocutoria vocanr, appellare permittitur; ſed finem expectare neceſſe eſt, cum in Eccleſiaſticis à quolibet actu (quod cauſas infinitas facit) & immediatè ad ſupremum apelletur, quod eas extrà regiones, non ſine diſpendijs, alijſque malis intolerabilibus auocat,

In quo etiam depræhenditur malignitas, cum reticuerit, id non admitti, niſi *probabili cauſa* expreſſa, vt habetur ex gloſſ. in capit. ſuper eo 12. de appellat. &, cum immediatè ad ſupremum appellando, eò citius terminentur lites (quòd appellationes ad ſuperiores intermedios tollan-

tollantur) eſt malum illud auferre, de quo Groperus querebatur: nec ſit in cauſa Pontifex, quòd cauſæ extrà regiones aduocentur, cum nemini ad Sedem Apoſtolicā recurrenti iuſtitia denegari poſſit. Quemadmodum, & malè itidem ſubdit, religiones Monacales omnem appellationem prohibuiſſe, cum id ſimpliciter non ſit verum.

Cumque ſermonem Groperi concludat, proponendo, appellationes ad ſupremum, hoc eſt ad Pontificem tolli, aperit tandem, quem nam ipſius malignitas impeteret, nempè auctoritatem, ſuperioritatemque Pontificis, Sediſque Apoſtolicæ, cum id eſſet (vt Cardinalem Legatum Nunciumque Sipontinum dixiſſe recenſet) *non ſolùm commodum, ſed dignitatem etiam Curiæ penitus auferre, quia nulla cauſa Romam auocaretur, & paulatìm omnes ſuperioritatis Pontificis obliuiſcerentur; exquo proprium hominum ſit, eum vti ſuperiorem non agnoſcere, cuius auctoritas non timeatur, vel vſui eſſe non poſſit.* Quæ tamen propoſitio, quàm inconſulta eſſet, non modo patet ex rationibus Ioannis Baptiſtæ Caſtelli aduerſus Groperum, quas ibidem recenſet; ſed quia *eam ſententiam æquis auribus acceptam, non fuiſſe*, perhibeat, tametſi appellationes ad Pontificem tollere, nonniſi cum maxima totius Ordinis Epiſcopalis exaltatione eſſet.

67. *Electore Brandeburgico reuerentiam Concilio exhibente, obſequium recipere Patres reſpondent.*

HISTORIA.

PAg. 334. Lectum fuit mandatum Ioachini Electoris Brādeburgici in perſona Chriſtophori Straſen Iuris conſulti, & Ioannis Oſmanni eius ad Concilium Oratorum, & primus, longa oratione, optimam voluntatem, ac reuerentiam ſui Principis ergà Patres oſtendit: & per Syno-

Synodum, hoc eſt per Promotorem eius nomine reſponſum fuit, magna eos iucunditate Orationem Oratoris, & in ea maximè parte audiuiſſe, in qua Princeps ille ſe Concilio ſubijcit, decretaque obſeruare ſpondet. Quam Synodi reſponſionem, veluti pulcherrimam, & lucroſiſſimam contrahendi rationem admiratam fuiſſe ſubdit, ſtipulando decem, & ſponſionis vigore decem millia obtendendo, quia quæ proportio ab eo numero ad iſtum intercedat, eadem inter reuerentiam per Electorem promiſſam, & ſubiectionem per Synodum receptam exiſtat &c.

CONFVTATIO

THuanus impoſturam, malignitatemque detegit, cũ in ſuo libro 8. expreſſis verbis dicat. *Ad X. deinde Cal. Decembris Chriſtophorus Stratius I.C. Ioachini Brandeburgici Septemũ viri Legatus, magna circumſtantiũ Patrum voluptate auditus eſt, quòd præclara omnia de egregia Heri ſui, in cauſa religionis voluntate, prolixè commemoraret, atque obſequium Synodo, cuius ſe decretis ſubmittebat, deferret*. Ex quibus verbis (quæ ſunt illa, quæ Synodus præcisè reſpondit) non ſolùm eluuntur ea, quibus Author, non malignè minus, quàm inſulsè ſubindè cauillatur; ſed indubitanter inſtruimur, quæ ſit eius iniquitas, & falſitas, & quæ fides ſit illi in rebus, quas occultè factas fuiſſe perhibet, adhibenda, ſi publicis, omnibuſque notiſſimis, atque à Scriptoribus palàm recenſitis, contrariam nihilominus faciem affingere non erubeſcit.

66. Seſſionis decimæ tertię Cenſura.

HISTORIA

PAg, 335. Decretis typis euulgatis, & in Germania, & alibi perſpectis, quod ad Euchariſtiam ſpectat, magnam

gnam in multis dicendi materiam præbuit. Primùm de ratione exiſtentiæ agendo dicit, id vix exprimi verbis poſſe, & poſteà nihilominus affirmetur, conuerſionem, propriè tranſubſtantiationem appellari: & in alio loco, illum terminum conuenientiſſimum eſſe; quod cum ſit, in dubio poni non poteſt, id propriè exprimi non poſſe.

CONFVTATIO.

IN quo nulla eſt contrarietas, cum loquatur de rebus differentibus, vt patet in decretis Synodi. Nam in cap. primo ait, *eam rationem, qua ipſe Saluator noſter ſemper ad dexteram Patris in cælis aſſideat, iuxtà modum exiſtendi naturalem, & vt in multis nihilominus alijs locis Sacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, vix verbis exprimi poſſe*: & in cap. 4. *conuerſionem per conſecrationem totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti D. N. & totius ſubſtantiæ vini, in ſubſtantiam ſanguinis eius, conuenienter, & propriè à Sanctâ Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellari*; quæ cum ſint res differentes, nullam contrarietatem faciunt.

HISTORIA.

SEcundo. Ait, cum Synodus declarauerit, Chriſtum, poſt benedictionem panis, & vini, dixiſſe, id quod dabat, ſuum Corpus, & ſanguinem eſſe, contrà omnes Theologos, & contra opinionem totius Eccleſiæ Romanæ decernebat, verba conſecrationis non eſſe illa, nempè; *Hoc eſt corpus meum*, nam ea poſt conſecrationem dicta fuiſſe affirmauit. Sed probare, Corpus Domini eſſe in Euchariſtia ante vſum, quia Chriſtus eam ſuum Corpus dixit in illa porrigenda, & priuſquàm à Diſcipulis reciperetur, præſupponere oſtendebat porrigere eam ad vſum non pertinere, quæ res in contrarium apparebat.

CONFVTATIO.

DVm decretum ait, *hoc tam admirabile Sacramentum, in vltima Cœna Redemptorem Noſtrum inſtituiſſe, cum poſt panis, vinique benedictionem, ſe ſuum ipſius corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinem, disertis ac perſpicuis verbis teſtatus eſt*: luculentiſſimè patet, Concilium docere, non alia eſſe verba Conſecrationis, quàm illa, quibus Chriſtus (*poſt panis, vinique benedictionem*) teſtatus eſt, *illud ſuum eſſe Corpus*, nempè illa, *Hoc eſt Corpus Meum*; cum nulla alia verba in hoc propoſito ſint *poſt benedictionem*, quàm illa. Quod etiam Synodus voluit vberius explicare illis verbis, quæ addit in decreto dicens: *Quæ verba* (nempè *Hoc eſt Corpus Meum*) *à Sacris Euangeliſtis commemorata, & à Diuo Paulo poſteà repetita, cum propriã illam, & apertiſſimam ſignificationem præſeferant, ſecundũ quam à Patribus intellecta ſunt, &c.* Et, cum Auctor ait, Synodum dixiſſe, ea verba (*hoc eſt corpus meum*) *poſt conſecrationem dicta fuiſſe*, malitiosè allucinatur, cum, *non poſt conſecrationem, ſed poſt benedictionem dicta fuiſſe affirmet*. Cumque idem Chriſtus aſſeuerauerit, id quod dabat ſuum eſſe corpus, erat etiam ſine dubio ſuum corpus ante vſum, cum vſus ſit *ſumptio effectiua* Euchariſtiæ, non autem *porrectio*.

HISTORIA

TErtio. Dum addit, locutionem admodum impropriã eſſe eam, qua in quinto capite vtitur, nempè illi Sacramento Diuinum cultum deberi, quia certum ſit pro ſacramento rem ſignificatam, aut contentam non intelligi, ſed ſignificantem, & continentem; oſtendit ſe ſtylum Scriptorum, & Doctorum ignorare, qui vtroque promiſcuè vtuntur; & ſufficiat pro omnibus Sancti Au-

 guſtini,

guſtini, ac Diui Thomæ, ipſiuſque Eccleſiæ fidelium magiſtræ auctoritas, quæ in hymno, ab eodem Diuo Thoma confecto, quotidiè canit; *Tantum ergo Sacramentum veneremur cernui.*

Et demum eadem leuitate notat, in Anathematiſmate tertio ea verba, *ſub ſingulis cuiuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri*; dicens, indè neceſſariò inferendum videri, non totum ſub ſingulis partibus, etiam ante diuiſionem exiſtere. Nam hæc illatio nullo pacto fieri poteſt, cum ante diuiſionem, nulla alia pars exiſtat, quam vna, in qua tota totum Chriſtum contineri in eodem Canone declaratur.

69. *Decima quarta ſeſſionis cenſura.*

HISTORIA.

PAg. 349. Seſſione decimaquarta peracta, multa, ſed de more, nugacia, & leuia aduerſus doctrinam de Pœnitentia congerit. Quæ explicantur à Bellarminio, ad quem reijcimus Lectorem.

70. *Pontifex, Ad præueniendas Concilij iterum aſſumendi occaſiones, Eccleſiæ reformationem proponit.*

HISTORIA.

PAg. 371. Pontifex, ſoluto Concilio, multis curis liber, è re ſua eſſe cenſuit, occaſiones præuenire, quibus in eas anguſtias denuò conijci poſſet, & in Conſiſtorio neceſſitatē Eccleſiæ reformandæ propoſuit. Nam ea de cauſa Concilium ad Tridentum reduxerat: frequentemque, ea de re, Cardinalium, Prælatorumque Congregationem inſtituit. Quod verò multos elegerit, ea de cauſa feciſſe dictitabat, vt deliberationes maturè

maioriq; exiſtimatione fierent; cum omnes communiter ideò factum crederent, vt plura impedimenta, ob multitudinem, interponerentur, ac res tandem ſine effectu euaneſceret.

CONFVTATIO.

OBlitus eſt Auctor, ſuſpenſionem Concilij factam fuiſſe in biennium, ob motus bellicos recenter excitatos, ea tamen lege, (quemadmodum inquit decretum ſuſpenſionis, quod recenſet pag. 367.) *vt, ſi res citius pacata eſſet, ac tranquillitas priſtina renocata, ipſius Concilij progreſſus eodemmet tempore ſuam vim, firmitatem, vigoremque habere cenſeatur; ſin autem, quod Deus auertat, peracto biennio, prædicta legitima impedimenta non fuerint ſubmota, cum primùm ceſſauerint, talis ſuſpenſio, eo ipſo ſublata eſſe intelligatur, ſine alia noua Concilij conuocatione, accedente ad hoc decretum conſenſu, & auctoritate Sanctitatis ſuæ, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ.* Quare Pontifex, hoc ſtante decreto, cui ipſius, ac Sedis Apoſtolicæ acceſſerat authoritas, non poterat eius reformationis prouiſione, occaſiones præuenire, quòd iam ſtatutum eſſet, *vt tranquillitate reſtituta, ipſius Concilij progreſſus, eodemmet tempore, ſuam vim, firmitatem, vigoremque habere cenſeretur, eoque ipſo ſuſpenſio ſublata intelligeretur;* & patet per conſequens, quàm malignè Auctor contrariam faciem optimæ intentioni Pontificis inducat; eoque magis, quia cum illicò pacem cum Chriſtianiſſimo concluſerit, obijcem omnem, in eo, quod ad ſe pertinebat, tertiæ reductioni ſuſtulerit; elapſoque biennio, illicò reductionem Synodi in Conſiſtorio propoſuerit, vt ait 377. licèt ob bella, & alia, quę ibidem recenſet, exequi non potuerit, vt iam documus.

Et quid etiam nugacius, cum manifeſtè repugnet, Pontificem, & reformatione è Concilij anguſtijs euadere, & vnà ſimul reformationem euaneſcere voluiſſe? Si

etenim

ętenim reformatio euanuiſſet;an non in neceſſitatem Cõcilij, quam ex ea reformatione euitare voluiſſe contendit, neceſſariò incidiſſet?

71 *Romana Curia de reſtituendo Concilio nunquam cogitauit.*

HISTORIA.

PAg. 372. Carolus Imperator, ſpe ſucceſſionis filij in Imperiali dignitate amiſſa,vnà etiam cogitationem reſtituendæ in Germania religionis depoſuit,nec ad Cõcilium amplius per conſequens, animum adiecit, licèt multis annis poſtmodum imperaſſet: &, cum nemo inſtaret, Curia etiam nullatenus de eo rèſtituendo cogitauit.

CONFVTATIO.

COntrarium tamen de Romana Curia in hiſtoria perſpicitur. Nam primùm ait 377.*duobus annis ſuſpenſionis elapſis, agitatum in Conſiſtorio fuit, quidnam agendum eſſet*. Addit tamen, prudentiores malum quieſcens non mouendum eſſe conſuluiſſe, & dum omnes tacebant, & nemo ex Principibus, & populis inſtabat, e re non eſſe, negocium agitando, aut timendo, flagitationes excitare: qua præualente ſententia, Pontifex rem ſilentio pretereundam eſſe decreuit. Quod malignè addi certiſſimum eſt, cum, in eodem loco pariter dicat (vt notauimus) eam in decreto conditionem fuiſſe, vt *Concilium reſtitutum cenſeretur. ſi impedimenta ceſſaſſent*; quæ impedimenta ex bellis Senarum, Pedemontij, alijſque inter Cæſarem, & Chriſtianiſſimum adhuc vigebant. Nam patet, Pontificem reticere deliberauiſſe, non quia Concilium auerſaretur, ſed quia bellorum non ceſſaſſent impedimenta, quæ cauſam ſuſpenſioni dederunt. Marcellum

Ium etiam Iulij ſucceſſorem, illicò ad Pontificatum aſſumptum, *de eo reſtituendo verba feciſſe* ait 379. Quemadmodum, & 380., & mortuo, itidem inter Cardinales in Conclaui condictum fuiſſe, & Paulum IV. ſemper cogitaſſe poſtea perhibet. Quod tamen, ob multas difficultates reduci adhuc non potuiſſe, ex ipſo Comitiorum Germanicorum receſſu patefacit; in quo ſtatutum fuiſſe ait 383. *tùm neceſſe eſſe, ad res Religionis terminandas, Concilium generale, aut nationale haberi; tum illud, ob multas difficultates, cogi non poſſe*: &, mortuo Paulo, Cardinales in Conclaui de eo celebrando, iuramento ſtatuiſſe pag. 403. & Pius IV. ſtatim electus, omnibus poſthabitis difficultatibus, & decretum approbauerit, &, ipſa reductione Concilij inſuper impleuerit, vt refert 406.

72. *Ad ſibi exiſtimationem conciliandum, alijs verò timorem incutiendum Pauli IV. arcanum.*

HISTORIA.

PAg. 390. Curia omnis opinabatur, Pontificem adeò frequentem, efficacemque Concilij mentionem facere, ne ſibi ab alijs proponeretur, & ex eo Principibus totique Orbi minax, à Concilij nomine abhorrerent. Sed poſtmodum perſpectum fuit, cum alia ratione, ſe à moleſtia ſuis prędeceſſoribus illata eximere cogitaſſe. Siquidem, quando ſola Pontificis, & Curiæ, exemptorumq; ac priuilegiatorum, qui à Pontificatu dependent, reformatio proponebatur, ſui tantummodò in diſcrimen vocabantur, & quilibet, tàm Princeps, & populus, quàm priuatus, quòd de proprio periculo minimè ageretur, Concilij celebrationem vrgebat; ſed totius Ordinis Eccleſiaſtici, & Laicalis itidem, ſed maximè Principum reformationem, ob ſeueriſſimam Inquiſitionem, quam inſtituere animo agitabat proponendo, res in æquilibrio pone-

ponebantur, adeò vt, non de eo duntaxat; ſed magis præcipuè de alijs peractum eſſet:quod erat arcanum, quo omnibus metum incutere, ſibi verò probitatis, ac virtutis opinionem conciliare cogitabat. &c.

CONFVTATIO.

QVæ conſueta malignitate dicit, quandoquidem his artibus probitatem oſtentare opus non eſſet Paulo IV. de quo idem Auctor dixerit pag. 81. cum nonnulli reformationem Curiæ omitti conſulerent ipſi, qui eo tempore Cardinalis erat, *è contra oſtendiſſe, reformationem eſſe neceſſariam, & non ſine magna Dei offenſione omitteretur, ac reſpondiſſe, chriſtianarum actionum regulã eſſe, quemadmodum nullum malum ſit faciendum, vt bonum aliquod eueniat; ſic nullum bonum ad quod tenemur, timore mali quod inde prouenire poſſit, omittendum eſſe*, & pag. 381. confirmauerit, *Paulum eamorum ſeueritate fuiſſe, vt creatus Pontifex, totam Curiam moerore affecerit, in maximumque reformationis timorem coniecerit*. Et quanta religione præditus eſſet ſatis ſuperque etiam Theatinorum inſtitutum ab eo emanatum declarat.

Sed quod pertinet ad ea, ex quibus bellum inter ipſum, & Hiſpanos actum eidem aſcribere nititur, non eſt quod laboremus, cum ſatis ex earum rerum ſcriptoribus appareat.

Polanum ab eis maximè diſcrepare, propriamque perfidiam prodere; vt ex ipſiuſmet quoque narratione apertiſſimè colligitur. Siquidem cum dicat, Pontificem *artifices armaſſe*, qui ad Regnum Neapolitanum aggrediendum apti indubitanter non erant; vtiq. aperit, eum non impreſſionem in Regnum meditatum eſſe, ſed de Romanæ ſolius vrbis defenſione ſolicitum fuiſſe: vt etiam referens pag. 393. *Gallos ad auertenda arma aduerſus Pontificem ſumpta, Inſubriam belli ſedem conſtituere animo voluiſſe.*

Digitized by Google

taſſe. Nam arma *aduerſus Pontificem* ſumpta fuiſſe fatetur; præſertim demum concludens pag. 394. *Ducem Albæ Romam iuiſſe, ſeque Pontifici ſubieciſſe, &, tam nomine Regis, quàm proprio, abſolutionem ſumpſiſſe*. Si namque Pontifex belli Auctor reuera fuiſſet; an Rex vnquam ſe reum conſtitui permiſiſſet?

73. *Idem, ob indignationem in Cardinalem Polum, in illum animaduertit.*

HISTORIA.

PAg. 393. Pontifex Cardinalem Polum à ſe legatione Anglica abdicatum, Romam, ad Tribunal Inquiſitionis citauit, licèt Rex, & Regina eum Anglia diſcedere non permiſerint, ſibi perſuadentes, Pontificem aliquo in eum affectu impelli; Quod etiam calumnioſè commentum nonnulli credebant, quò pœnam ab eo expeteret, ob inducias, ſe inſcio, inter duos Reges conſtitutas.

CONFVTATIO.

HÆC malignè comminiſcitur, cum Pontifex, etiam, dum Cardinalis eſſet, eundem Polum, *vti Lutheranis opinionibus infectum*, iamdiù ante accuſaſſet, vt idem refert pag: 292.

74. *Pontifex nimium in Angliæ Reginam immitis.*

HISTORIA.

PAg. 399. Cum Eliſabeth Regina Angliæ poſt Mariam ad Regnum euecta, Romanam religionem, Pontificiſque obedientiam penitus reieciſſet, eorum euentuum cauſam, de more in Pontificem reijcit, obijciens, cum ſe ni-

ſe nimis in eam acrem ſeuerumque præbuiſſe.

CONFVTATIO.

MAlitioſè tamen reticet, id eum feciſſe, quòd Regina Proteſtantibus adhæreret, à religioneque Catholica penitus abhorreret, vt idem Auctor aperuit dicens pag: 398. *Reginam firmiter decreuiſſe, quamprimùm in gubernio eſſet, de Senatus, virorumque doctrina, ac pietate præcipuorum conſilio, ſtatum religionis reformare*, ideoque primores è nobilitate, qui mutationem cupiebant, hortatam fuiſſe, id abſque tumultu fieri, vt etiam Thuanus, alijque ſcriptores affirmant.

75. *Sectis naſcentibus Romanæ Curiæ mores occaſionem dediſſe.*

HISTORIA.

PAg. 401. Rex Galliæ ad compeſcendos in ſuo Regno Sectæ Lutheranæ progreſſus, cum exploratum illi eſſet, nonnullos inter Senatus Conſiliarios, ea peſte laborare, eos repreſſurus, Congregationem habuit, quam ipſi mercurialem dicunt, in qua vnus ex eis Claudius Viola aduerſus Romanæ Curię mores, conſuetudineſque prauas, quæ in pernicioſos degeneraſſent errores, ſectiſque naſcentibus occaſionem dederint, multa diſſeruit: addens, neceſſe eſſe pœnas mitigare, & à ſeueritate abſtinere, quouſque religionis diſſidia auctoritate Concilij generalis amouerentur, & diſciplina Eccleſiaſtica emendaretur, quod vnicum hiſce malis remedium eſſe, cenſuerint, Concilia Conſtantiæ, ac Baſileæ: Annæumque Burgum item dixiſſe, dum tanta diſſolutione viuitur, varia in eos ſupplicia parata eſſe, quibus nullum aliud ſcelus obijci poſſit, quàm quia Romanæ Curię

Digitized by Google

vitia mundo perſpecta fecerint, eaque emendari petierint.

CONFVTATIO.

POlanus nimio in Romanam Curiam furore percitus, oblitus eſt, quæ antecedenti pag. 400. dixerit; nempè *noua dogmata in duorum Regum ditionibus propagata eſſe; &, ab hominibus conſcientiæ motis pronis auribus accepta fuiſſe: quodque Reges magis tangebat, malè affecti, rerumq; nouarum cupidi, illos ſeſe partibus adiungebant, & noua quotidiè, tàm in Belgio, quàm in Gallia, religionis obtentu, audebant, cum populi nimio libertatis ſtudio tenerentur, eiſque, ob proximitatem Germaniæ, magnum cum illa eſſet commercium.* Ex quibus iam aperuit, has verè nouitatum illarum cauſas fuiſſe, quas malignè in Romanæ Curiæ mores reijcere vellet. Nam, vt dictum fuiſſe recenſet pag, 682. *Nouatores prius apoſtatarunt, & poſteà Romanæ Curiæ prætextus excogitarunt.*

Addit, præter hæc 402. *eodemmet tempore, perinde ac ſi nullum periculum eſſet, reformatorum Miniſtri (quo nomine in Gallia Proteſtantes deſignant) Parisijs in Sancti Germani ſuburbijs conuenerunt, vbi Synodum Franciſco Morello præſidente, celebrauerunt, diuerſaſque ediderunt conſtitutiones, de ratione Conciliorum habendorum, dominationis in Eccleſia auferendæ, de electione, & officio Miniſtrorum, de Cenſuris, de Matrimonio, de diuortijs, & conſanguinitatis affinitatiſque gradibus, quò in tota Gallia, eis, non ſolùm fides, ſed vniformis etiam diſciplina eſſet:* Ex quibus eò magis aperit Auctor, an Proteſtantes nullius alterius criminis rei, quàm Romanæ accuſandæ Curiæ eſſent; vt itidem Oratorum Principum Germanorum Proteſtantium ore ſubdit ibidem.

76. *Pius IV. ſe Concilio propenſum ſimulat.*

HISTORIA.

PAg. 406. Pius Quartus animum adiecit Concilio, haud dubius, non defuturos, qui illud flagitaturi eſſent, qui tamen multis difficultatibus angebatur, quas recenſet. Quibus omnibus penſitatis, in omnem euentum conſtituit, quò cautiùs ageret, ſe promptum, immò cupidum Concilij oſtendere, &, dum aliorum deſiderijs obuerſatur, ea præuenire; vtque, in contrarijs repræſentandis difficultatibus, maiorem ſibi fidem conciliaret, in ſuperiores cauſas eam deliberationem reijcere, quæ humana conſilia aſſequi nequeant: eaque deliberatione facta, frequentiſſimam Cardinalium Congregationem habuit, vbi ſuum reformandæ Curiæ, Concilijq; generalis congregandi conſilium, longa diſſertatione, aperuit, omnibus iniungendo, de ijs, quæ reformatione indigeant, deq; loco, tempore, alijſq; Synodi pręparatorijs cogitare, quo Congregatio maiori, quàm bis anteà vtilitate fieret; &, pręter hæc, in priuatis quoque cum Cardinalibus, Oratoribuſq; congreſſibus, hanc ſuam ſemper intentionem, ex qualibet occaſione propalaret, cum nil tamen operaretur, quo eam luculentiùs ſignificaret.

CONFVTATIO

QVæ fluctuationes, & conſilia Pontificis pugnant cũ eis, quæ paulò antè retulit, dum dixit 403. *illum, ad Pontificatum aſſumptum, illicò ad duo capita (in Conclaui) iuramento firmata animum conuertiſſe, quorũ alterum erat de Concilio, vnico aduerſus hęreſes remedio reſtituendo, cùm ita, & Gallia, & Belgium exigerent.* Quam diſpoſitionem in eo etiam ante Pontificatum fuiſſe do-

cet, cum in Conclaui, *de Synodo reſtituenda* apud Cardinales nominatim egiſſe refert 407.

Eum verò nil feciſſe, quo ſuam mentem luculentius ea in re, declararet, itidem pugnat cum eis, qui idem recenſet. Ait enim pag. 407. *Oratorem Cæſaris (cum in primo congreſſu priuato, Indictionem Concilij, eiuſdem Cæſaris nomine vrgere deberet quò Germaniæ diſſidia componerentur) per Pontificem, magna ſui voluptate, præuentum fuiſſe; eundemq; Pontificem, non ſolùm de Concilio celebrando cum Oratoribus; tum Galliæ, & Hiſpaniæ; tum aliorum Regum, Principumque egiſſe*; ſed id etiam ipſis Regibus per ſuos Nuncios ſignificari mandaſſe.

Quod, non per ſpeciem feciſſe docent, non minus tractationes cum omnibus Principum Miniſtris, per eum habitæ, quas ſingillatim recenſet pag. 415. quam quia referat, eum Oratori Chriſtianiſſimi dixiſſe 410. *ſe iam Concilium generale propoſuiſſe, quod vnicum eſſet malorum remedium, & ni illucuſque redactum fuiſſet, eos in cauſa eſſe, qui illud reſpuerent; licèt ipſe, quamuis etiam à nemine requireretur, illud omninò celebrare deliberaſſet*. Nam, cum addiderit, *ſe Prælatorum Conuentui, in Gallia, vel alibi nunquam aſſenſurum eſſe*; vtique Concilium ex animo etiam voluiſſe conſequitur, cum Conuentus ille (qui parabatur in Gallia) non niſi præſentanea Concilij celebratione impediri poſſet. De quibus omnibus habemus inſuper grauiſſimam Regis Catholici fidem, quem pag. 411. Regi Chriſtianiſſimo teſtatum fuiſſe, ait, *conuentum illum haudparum incommodi Concilij celebrationi allaturum eſſe*, & confirmetur ex ipſa ad cumulum indictione Concilij, quam Pontificem *omnibus apud ſe Principum Oratoribus* feciſſe perhibet 414.

Nihilominus, vt Pontificem à Concilio alienum oſtendat, plura affert: primùm ait pag. 407. Oratorem Cæſaris, qui Pontificem de illo celebrando eiuſdem Cæſaris nomine rogare debebat, cum crederet, ſe de nego-

cio

cio moleſto cum Pontifice acturum eſſe, ad illud facilius illius auribus inſinuandum, rem admodum ſuauiter ex ponere paratum acceſſiſſe.

II. Et, cum Cœſar pag. 419. Sanctitati eius neceſſe eſſe ſignificaſſet, ad Principum Germanorum ſententiam explorandam, Comitia ante Concilium haberi, Pontificem voluptate affectum fuiſſe, cum Comitiorum celebratio vnius, aut alterius anni ſpatium requireret.

III. Et 412. Pontificem ad differendam tractationem Concilij, bellum aduerſus Geneuam propoſuiſſe. Quæ propoſitio, cum caruiſſet effectu:& Galli à deliberatione Concilij Nationalis, minimè recederent, ait Pontificem generale vlterius differendum non eſſe cenſuiſſe, illudque Tridenti habere ſtatuiſſe. Quem tamen nunquam verba de Concilio feciſſe, ait 414. quin alicuius vna contrarietatis ſemen proijceret, quo, vel illud naſci impediret, vel ortum ſuffocare poſſet. &c.

Quæ omnia ſunt à mendaciſſimo impoſtore conficta. Cum enim ſubdat 415. *Cæſarem ſcriptum miſiſſe, quo expoſuit, ſe de Principum voluntate polliceri ſibi non poſſe, ni eorum prius ſententiam exploraſſet, quod, nonniſi in Comitijs fieri poſſet, in eiſque cogendis, à nomine omninò Concilij abſtinendum fore, quòd alioquin acceſſuri non eſſent*; quonam pacto, hoc poſito, potuit Cœſar *de Concilio celebrãdo inſtare*, vt per ſuum Oratorem inſtitiſſe dixit? Eoque magis, quia, Pontifice, ea de re, pag. 419. cum Oratoribus conſulente; Cœſareum *illud differri; ob id conſuluiſſe* dicat, *quia Cæſarem Concilio aſſentiri rerum Germanicarum ſtatus non permitteret*. Nam, quo pacto ergo potuit Cæſar de illo celebrando inſtare: Vel eius Orator, *præparatus ad illud ſuauiter, eiuſdem Cæſaris nomine, petendũ, accedere*, vt dixit ſi, eo tempore Cœſar, *ob rerum Germanicarum Statum, Concilio aſſentiri non poterat*? Quæ ſunt hæ nugæ Polanæ?

Et quid certius, ſi Pontifice, ob id commoto, Orato-

rem

rem dixiſſe ait, *expedire Principum Germanorum voluntatem prius conciliare · Pontificemque vehementius inde accenſum, tempus non ſuppetere reſpondiſſe.* Nam qua ergo veritate de propoſitione Comitiorum gauiſum fuiſſe dixit? Præſertim quia, Oratore addente, *hac ratione hæreticos in Italiam incitandos eſſe:* & Pontificem *Deum ſuæ cauſæ non defuturum* replicaſſe; penitus confirmatur, non potuiſſe Cœſarem, de illo celebrando, apud Pontificem inſtare, illudque è contrà Pontificem totis viribus promouiſſe: & nonniſi idcircò malignè obijci, Pontificem, ad Concilium differendum bellum Geneuenſe propoſuiſſe.

Quemadmodum, nec dici poſſe (cum iam de illo verè celebrando per eum ſtatutum eſſet (vt vidimus) Pontificem vel ob timorem *Concilij Nationalis* in Gallia, vel ob alia, quæ addit 413. ad celebrationem compulſum fuiſſe:

Et, non modò ex his Pontificis ſynceritas in re Concilij patentiſſima eſt, ſed quia, tametſi pag. 432. dicat, *magnam Prælatorum partem, ſed Aulicos potiſſimùm, credere non potuiſſe, quin Pontifex per ſolam ſpeciem operaretur;* idemmet eum verè, non ſimulatè egiſſe aſſeuerantiſſimis verbis teſtatur, perhibens, *verum fuiſſe, Pontificem certum non poſſe Concilium euitari, illud citò videre cupijſſe: cum diceret, malum ſibi ex mora illatum, certum eſſe, incerta verò, quæ è celebratione ventura eſſent; eiuſue, ac Sanctæ Sedis Apoſtolicæ hoſtes magis expectatione nocere, quàm celebratione facturi fuiſſent.*

Et, quia inſuper addat 451. Pontificem, differendo de cauſis, quibus celebratio differri amplius non poſſet, dixiſſe, *magis, magiſque in dies apparere, exteros conſilia mala, & machinationes ad deprimendam authoritatem Pontificis, fouere, & quò maius ſpatium moliendi habeant, eò magis machinationes preceſſiſſent, ſalutemque non alibi, quàm in Synodi celebratione conſiſtere;* Nam ſi celebratio neceſ-

ſaria

ſaria erat, non fuiſſet è re Pontificis difficultatibus aditum quærere, vt malignè auctor interpretatur, dum Pontificem dixiſſe refert 437. *Concilium adeò vniuerſale, ac frequens fore, vt illud Tridentum capere non poſſet, deque illo idcircò in locum ampliorem transferendo cogitandum eſſet.* A quo fine ſic abſuit, vt immò è contrà difficultates, & impedimenta, quæ celebrationem morabantur, pro virili diſiecerit.

Cum namque ex Principibus, alij noui Concilij indictionem, alij verò Concilij aliàs incepti continuationem enixè vellent, ait 422. Pontifex à voce; tum *Indictionis*; tum *continuationis* abſtinendo, inextricabilem difficultatem diſieciſſe: & Proteſtantibus res in præcedentibus reductionibus ſtatutas retractari inſtantibus, id etiam (quamuis ab alijs Pontificibus conſtantiſſimè reiectum) vt ſatis Cæſari, & Germaniæ, & etiam Regi Chriſtianiſſimo faceret, admiſiſſe inquit eadem pag. 423.

Et pag. 429. ad præheminentiæ inter Principes contentiones euitandas (quæ difficultas inſuperabilis omninò fuiſſet) noluit in extenſione Bullæ Indictionis Concilij, Regem Galliæ nominatim exprimi, vt Galli inſtabant: Ceſſionemque Imperij à Carolo V. factam, quam eius prædeceſſor nunquam admittere voluerat (ex qua Pontifici communicatio cum Ceſare, & ipſa de Synodo tractatio per conſequens dirimebatur) illicò aſſumptus probauit; Et, tametſi aliæ à Principibus difficultates emanaſſent pag. 415. adeò, vt, ex relatione Auctoris 420. *Cardinalem Tridentinum à ſua Ciuitate concedenda etiam proteſtationibus deterruerint*: & Cęſar 421. ipſi Pontifici terrorem ex armis Proteſtantium inijcere tentauerit, non ſolùm à deliberatione Concilij celebrandi, non receſſerit; ſed illud iam congregatum, licèt iuſtis de cauſis debuiſſet, ac potuiſſet, diſſoluere nunquam voluerit, vt idem auctor docet.

Nam cum in Gallia pag. 456. de rebus religionis cum hære-

hæreticis tranſactum eſſet, vlterius in celebratione, progredi non oportuiſſet; quandò, ex Auctoris fide 448. *nec Italia, nec Hiſpania indigerent Concilio, & Germani illud reſpuerent, & id maximo Pontificis, & Concilij dedecore factum fuiſſe* affirmet 462. Eòque magis, quia *nullos è Gallia Prælatos aut Oratores Tridentum adituros Romæ creditum fuiſſe* addat 450. *Et ea inſuper adeòque potens ſeparatorum ab Eccleſia Romana, in illa prouincia multitudo eſſet, vt Regina ipſa, eos nec lege, nec vi amplius reduci poſſe, Pontifici ſcripſiſſet*. Immò ad cumulum Galli (ex eiuſdem itidem teſtimonio 447.) in *Germaniam miſiſſet, qui Proteſtantes in ſua doctrina conſtanter perſeuerare cohortarentur, ſuũq; eis in Concilio fauorem, aliorumque Prælatorum adhærentiam quæſituros pollicerentur*: Et eodemmet tempore (vt addit) quo ſeſe apud Pontificem de illo cum hæreticis congreſſu purgatos volebant, *nonnullorumque Epiſcoporum conuentu Regina præcipiente coacto, de re religionis, cum nouis profeſſoribus componenda, agerent: & Dux Guiſius, cum Cardinali Lotharingio Chriſtophorum Virtemberga Ducem, cum miniſtris confeſſioniſtis conuenirent*. Et nihilominus ea erat Pontificis in Synodo proſequenda firmitas, vt, his non obſtantibus, ſeſſiones Tridenti, ad Epiſcopos Gallos expectandos (vt ait 491.) differri permiſerit. Quos inſuper cum Hiſpanis, circa ſuperioritatem Concilij etiam ſupra Pontificem, ſenſiſſe perhibet 433.

Et nonne obtentu fæderis, quod Proteſtantes (vt ait 469.) in Germania inter ſe agitabant, qui etiam milites conſcribebant, Concilium iuſtiſſimo colore miſſum facere potuiſſet?

Et cum Cæſar, & Hiſpani pag. 491. hi pro Synodi continuatione declaranda, ille verò contrà ardentiſſimis ſtudijs vrgerent; quæ melior opportunitas? Nam, cum dicat, *Cæſarem de illius declarationis propoſitione monitum, commotum ſignificaſſe Pontifici, ſe Oratores ſuos, ſi fieret, è Tridento reuocaturum eſſe, eiſque mandaſſe, vt, publicatione nullatenus*

latenus expectata, diſcederent; vtique ex ea declaratione Concilium indubitanter diſſolutum fuiſſet.

Addit tamen, *Pontificem ideò in ſpem diſſoluendæ Synodi veniſſe, acriuſque in Cardinalem Mantuæ efferbuiſſe, cuius culpa melior occaſio euanuiſſet: & qua ratione ea reſtitui poſſet, cogitare capiſſe*: & pag. 492. iterum *in Cardinalem Mantuæ efferbuiſſe, quòd continuationis declarandæ occaſionem prateriiſſet, cum id Prælati Oratorque Hiſpani maximè vrgerent: quòd nemo, vel obtuſi etiam ingenii eam opportunitatem neglexiſſet; quando re benè geſta, haud parum Eccleſiæ Catholicæ acceſſiſſet; vel vt minimùm Synodus diſſoluta eſset, quod non minori beneficio ceſſiſſet*: & pag. 495. & alibi ſubdat, *Pontificem cuilibet occaſioni, qua Synodus intercipi potuiſſet, fomitem daturum fuiſſe, diſſolutionemque maximè cupiiſſe*; Sed horum omnium impoſturam patentiſſimam facit; quandoquidem, Oratoribus Gallis poſteà pag. 494. tam ſui Regis, quàm Cæſaris nomine, *eam non continuationem, ſed nouum Concilium eſſe, & voce, & ſcripto declarari inſtantibus*, non ſolùm dicat, *id Legatos renuiſſe* (quod vtique non feciſſent, ſi adeò ſeſe apertè Pontifex declaraſſet;) ſed immò è contrà, re penſitata, de ſcripto pariter reſpōdiſſe pag. 495. *facultatem ſibi indictionem Concilii nouam eſſe, declarandi non eſſe; ſed in ea tantummodò, iuxtà bullam Pontificis, & voluntatem Synodi præſidendi*; Ex quo omninò conuincitur, Legatos circà illam declarationem, nil prorſus in mandatis à Pontifice habuiſſe: & iam ſuprà alibi probauerimus, Pontificem non ea de cauſa in Mantuanum exarſiſſe.

Quæ confirmantur. Cum enim pag. 498. magnæ contentiones excitarentur ab eis, qui declarationem reſidentiæ de Iure diuino petebant (adeo vt Archiepiſcopus Lanciani in ſua relatione ad Pontificem pag. 503. addubitatum fuiſſe dixerit ne quid inde incommodi aut periculi oriretur) Cardinalis Mantuæ, non modò eam declarationem non denegauit (ex qua denegatione Sy-

nodus diſſolui facilè potuiſſet,) ſed motum illicò ſedauit, euulgando *reſidentiam in alia ſeſſione vel cum de Sacramento Ordinis ageretur, vnà quoque agitandam eſſe.* Vbi addens, ob hanc Mantuani promiſſionem, *inſcijs, inconſultiſque Collegbis factam (quam de Seripandij, ac Varmienſis aſſenſu feciſſe,* ait, *quod eorum mentis conſcius eſſet) Simonetam offenſum fuiſſe, ab eoque apertè diſſenſiſſe;* Ex hac Legatorũ inter ſe diſcrepantia magis magiſq; cõfirmat, nullam ea in re Pontificem animi ſui ſignificationem dediſſe. Nam nonnè Legati toti in Synodi diſſoluendæ occaſione captanda iunctis animis, ſtudijſque fuiſſent? Qui immò è contrà adeò abhac occaſione captanda alieni fuerunt, vt, cum nonnulli Prælati diſcedere vellent, Legatos non permiſiſſe, & ex eo maximè obſtitiſſe ſubdat, *quòd alios abeundi veniam petituros eſſe intelligerent.* At enim quæ melior diſſoluendæ Synodi opportunitas?

Ex quibus cum perſpectiſſimum ſit, Pium Pontificem in deliberatione Concilij celebrandi verè, ac firmitèr conſtitiſſe, in eumque finem difficultates, & obijces conſtantiſſimè ſuperaſſe, non ſolùm patet, Polanum contrariam illi faciem per ſummum ſcelus affingere contendiſſe; ſed cauſam nouitatum religionis in Scotia, quas eo tempore ortas fuiſſe recenſet 413. in eius cunctationem malignè reijcere voluiſſe: & eadem malignitate pag. 417. per eum Ioannem Monlucium Epiſcopum Valentinum, & Carolum Marigliaccum Epiſcopum Viennenſem de eadem re querentes induci.

Præſertim quia idemmet pag. 415. diſſertiſſimè doceat, cunctationem à Cœſare, Chriſtianiſſimo, alijſque Principibus fuiſſe, qui Concilium in Germania haberi inſtabant, vbi tutus acceſſus non erat, cum (præter ea, quæ iã diximus, idẽ Cæſar apertiſſimè profeſſus eſſet 416. *Non poſſe Prælatos, qui illuc conuenturi eſſent, tutos reddere.*

Sed Monlucius, & Marigliaccus, ex relatione Auctoris hæretici erant, illumque potiſſimùm ſcopum habebant

bebant, vt auctoritate Apoſtolica penitus eliminata, hęreſis propagaretur; ideoque exiſtimationem, reuerentiamque Pontificis pro viribus labefactare nitebantur, obijciendo, *Pontifices bellis principes implicare*. Nimirùm quia æquo animo ferre non poterant, Pontificem opem Principibus in Gallia, Germania, & alibi contrà hæreticos ferre, qui cum peruicacius ſemper obſiſterent, & alia omnia remedia fruſtrà adhiberentur, non aliter, quàm ſola ſeueritate compeſci poterant. Quod ſolum remedium proprium aduerſus eius peſtis contagia fuiſſe, docuit piè ſæuiens Philippi ſecundi Regis Hiſpaniarũ, religio aduerſus hæreticos, à Polano ipſo commendata pag. alibi ſupra notata 404. exqua patuit, motus per ſeditioſos, & Nouatores, religionis obtentu, excitatos, nonniſi ferro, & igne extingui poſſe.

Proponebat etiam ibidem Monlucius, ſpecie pietatis, *pſalmos, & hymnos vernacula lingua inſtitui*, quo cõmento hæretici multitudinem inficere nouis opinionibus ſtudebant, vt in Gallia factum fuiſſe docet pag. 398. in eundemque finem Communionem pariter calicis petebant pag. 444.

Concilium quoque Nationale proponebant, quò Galliam ab obedientia Sedis Apoſtolicæ ſepararent, Conciliumque generale effugerent.

A ſeueritate itidem in nouos Sectarios abſtineri inſtabant, quò nouis opinionibus radices altius figendi ſpatium daretur, ſeparatorumque multitudo creſceret; quod ſpecie etiam pietatis, ex eo inſinuare conabantur, quia noui Sectarij *mortem, iacturamque bonorum conſtanter ſuſtinendo, populos ad eorum fidem noſcendam excitarent*; quaſi qui noſſent, eam eſſe fidem à Luthero, & Caluino ſceleſtiſſimis apoſtatis prædicatam, non illos omni ſupplicio digniſſimos iudicaturi eſſent, qui à fide per Chriſtum Dominum, Apoſtoloſque tradita, innumerabiliumque Sanctorum Martyrum ſanguine, ac miraculis confirma-

 ta,

ta, & per mille ſexcentos, & amplius annos retenta, ac propagata apoſtatantes, eam perditiſſimorum hæreticorum deliramentis poſthabuiſſent.

Et Polani malignitas demum hac in re ſeſe penitus prodit, dum ait 420. exploratum poſtmodum fuiſſe, Pontificem in animo habuiſſe, ſi Concilium omnino effugere non poſſet, illud euſque ſaltem differre, quò ſuæ familiæ commodis proſpexiſſet; quandoquidem, coacta Synodo, neceſſe eſſet exemplo interim alijs prælucere, immodicisque ſumptibus in Prælatis indiguis, alijſque miniſtris ſuſtentandis, neceſſarijsq; in Synodo ſuppeditandis exhauriri, quibus cenſus omnis abſorberetur; quo ſolo negocio ſic occuparetur, vt res propriæ domus negligere adigeretur. Nam, præter id quòd teſtatur de occultis, quæ Pontifex indubitanter nemini propalaſſet, quæque in mente ſuppoſita, (cum nullibi prorſus appareant) non poſſunt tot certiſſima ſanctiſſimę eius mentis argumenta labefactare, impoſtura nullo negocio ex eis, quę paulò ante dixit conuincitur, cum Pontificem, eodemmet tempore, & *de fœdere cum Principibus ineundo, & de bello etiam hæreticis inferendo egiſſe dixerit*, quæ vtique longè maioris diſpendij, quàm res Concilij proculdubiò fuiſſent. A qua ſola malignitate, vtpote patentiſſima, atque impudentiſſima, poſſumus omnes alias ſupra notatas tutò conijcere.

77. *Solam Pontifici reuerentiam per ſuum Oratorem Cæſar deferre contendit.*

HISTORIA.

PAg. 407. Comes Arcus, Orator Cæſaris, in magnam illicò difficultatem incidit, cum ſolam reuerentiam, illius nomine, Pontifici deferre in mandatis à Cæſare haberet, & Pontifex è contrà obedientiam, & aliorum Ora-

torum

torum Cæſareorum ; ergà ſuos prædeceſſores more, ſibi deferri vellet.

CONFVTATIO.

QVid impudentius, cum ipſemet retulerit pag. 397. Martinum Guſmanum ad Paulum IV. immediatū Pij IV. prædeceſſorem ab eodemmet Ferdinādo Cæſare Oratorem deſtinatum fuiſſe, vt eum de ceſſione fratris, ſuique aſſumptione certum faceret; *ſuamque illi reuerentiam teſtaretur, & obedientiam eidem* (vt pręciſiſſimis verbis inquit) *pollicendo*? Et, ſi de hac itidem re loquens, apertiſſimis verbis perhibet pag. 705. *omnes alios Imperatores, & Reges præcedentes, quæcunque Pontificibus placuiſſent, ſpopondiſſe, ac iuramento firmaſſe*? Siquidem, hoc poſito, an credibile eſt, Ferdinandum ab omnium ſuorum prædeceſſorū religioſa conſuetudine recedere præſumpſiſſe? Ex qua malignitate, ac falſitate poſſumus indubitanter inferre, circa alia, quæ affert in eodem genere dicta pag. 705. cum in hoc non ſemel propriam malignitatem perſpectam fecerit, vt paulo ante docuimus in notis ad pag. 334.

78. *An Hugonottis in Auenione, arma in Pontificem ſuum Dominum ſumere liceret.*

HISTORIA.

PAg. 417. Hugonottæ ſubditi Sedis Apoſtolicæ in Auenione ſimul conuenientes, quærebant, an arma aduerſus Pontificem ſumere poſſent, cum eorum in temporalibus Dominus eſſet; & ex eo fieri poſſe decreuerunt, quòd non legitimus Dominus eſſet; tum quia Comitatus ille non iure Raymundo Toloſæ Comiti ablatus fuiſſet; tum quia Eccleſiaſtici ex præcepto Chriſti, tem-

poralia poſſidere non poſſint. Qua de re addit, Pontifex magna animi moleſtia afficiebatur, præſertim ob cauſam, quæ in exemplum ſumpta falcem ad radices Pontificatus poneret.

CONFVTATIO.

QVÆ malignè comminiſcuntur ab Auctore, qui, & auctoritatem, & rem omnem Pontificiam euertendam ſibi propoſuit. Nam titulum Pontificis in terris Auenionis legitimum, iuſtiſſimumque eſſe patet ex eis, quæ afferuntur in Annalibus Eccleſiaſticis to. 16. anno 1348. & ex alijs, qui ea de re ſcripſerunt nec deſint, qui, an Eccleſiaſticis bona temporalia poſſidere liceat, doctiſſimè diſſeruerint. At bona temporalia radices Pontificatus eſſe, nemo proculdubiò dixiſſet, niſi qui illum auctoritati Chriſti inniti non credat.

79. Pro Indictione Concilij Principum diſcrepantia

HISTORIA.

PAg. 428. Inſtabat Cæſar, conuocationem Concilij, non continuationem, ſed nouam indictionem in bulla Indictionis declarari, vel materias iam deciſas iterum examini ſubijciendas eſſe: & Rex Galliæ, non ſolùm idem petebat, ſed ſi in hoc ſatis Cæſari, Germaniſque non fieret, tot in Chriſtianitate diuiſionibus, ac difficultatibus occaſionem fore addebat, vt Concilium omninò futile, ac vanum, perque ſolam ſpeciem fieret: quo deficiente, ad remedium Concilij Nationalis, à ſuo Fratre propoſiti, confugiſſet, quo ſolo ſui Regni neceſſitatibus conſuli poſſit. Et pag. 429. ait è contrà, Theologos Regis Hiſpaniæ omninò aduerſos, bullam ex eo repræhendiſſe, quia illam Concilij iam incæpti continuationē eſſe

eſſe non apertè diceret; immò nouam indictionem clarius illis apparere videretur: & aliquot ex eis cenſuiſſe, ex illis verbis inferri apertiſſimè poſſe, determinationes Tridenti iam factas, iteratò examini ſubijci poſſe; quod plenum periculi eſſet, audaciamque indubitanter Proteſtantibus addidiſſet, & aliquam immò nouam inter Catholicos diuiſionem parere poſſet: ob eamque ambiguitatem: &, cum verborum ambiguitas Regi non probaretur, in bulla recipienda, ac publicanda ſuperſediſſe, & illam, omni prorſus fuco poſthabito, Concilij continuationem eſſe, & res determinatas nullatenus in dubium reuocandas fore, exprimi neceſſe eſſe diceret.

CONFVTATIO.

SEd eorum accidentium culpa in Pontificem reijci non poterat: Cum ambiguitate illa non niſi ad ſatis omnibus faciendum, celebrationique viam aperiendā vſus eſſet, vt dixit. & Regi Galliæ per Nichetum ſuum Nuncium ſignificari mandauerit pag.428. ſe res iam deciſas iteratò examini ſubijci aſſenſurum eſſe; licèt id nullatenus admittendum foret, cum (vt de Colloquio in Gallia cum hæreticis habito dictum fuiſſe ait 441.) *pernicioſi ſit exempli errores aliàs damnatos diſputationi ſubijcere, penituſque reijci debeant; qui religionis fundamenta reijciunt, quæ per tot ſæcula viguit, & adeò confirmata fuit; ex quo hæretici audacis magis, magiſque fiunt, bonorumque corda triſtitia implentur.* Præſertim cum exploratum eſſet, Proteſtantes, alioſque nouos Sectarios, ea tantummodò per ſpeciem petere, nec ſe vllatenus Concilio ſubmittere velle, vt ex Nuncio Pontificis, ex Auctoris fide pag.427. & infrà declarauerant. & hiſce petitionibus non aliò tēderent, quàm vt Pontifici, Cæſari, Chriſtianiſſimo, Concilio, totique demum Eccleſiæ per ſummum dedecus, illuderent. Quarè benè dixit Pontifex reſponden-

do

do Oratori Regis Galliæ 431. *ſe in exoptando Concilio à nemine ſuperari, nec moram dilationemque à ſe, ſed à diſſidentibus inter ſe Principum opinionibus procedere, quibus omnibus, vt ſe facilem praberet, eam indictioni Synodi formam dediſſet, qua magis omnibus ſatisfieri poſſe credidit.*

80. *Imminentis Concilij prætextu, Pontifex ad gratias denegandas vtitur.*

HISTORIA.

PAg. 430. Pontifex, ad gratias Principibus denegandas, imminentis Concilij prætextu vtebatur.

SEd qua veritate, ſi illicò ait pag. 443. Pontificem grauiſſimum paulò ante ſubſidium, per Clerum ſoluendum, Hiſpaniæ Regi conceſsiſſe; & Regem Galliæ Annatas itidem ab eodẽ impetraſſe?

81. *Concilij generalis erratum pluries à Nationali correctum fuiſſe.*

HISTORIA.

PAg. 438. Erratum Concilij generalis à Nationali pluries correctum fuiſſe. Nam Arianiſmum à Concilio generali Ariminenſi ſtabilitum, in Gallijs per Concilium à S. Hilario congregatum, damnatum fuit.

COncilium Ariminenſe reprobatum fuit, vt notiſsimum eſt: & *nullum Conciliũ generale* (vt dixit apud Auctorem Claudius Expenſeus 440) *in eo quod pertinet ad doctrinã, ab alio correctum fuit:* Immò nec corrigi potuit, Cum Concilia generalia approbata nunquam, in eo quod pertinet ad doctrinam, errasse reperiantur.

82. De

82. *De Colloquijs inter Catholicos, & hæreticos.*

HISTORIA

PAg. 441. Habito in Gallia Colloquio, cum Proteſtantibus, ait, multam de eo altercationem fuiſſe; cum alij dicerent, deterrimi exempli eſſe, errores ſemel dānatos retractationi ſubijcere, & audiendos non eſſe, qui fundamenta religionis reijciant, quæ per tot ſecula viguit, & adeò confirmata fuit, idiotis præcipuè præſentibus. Nam hæreticis audaciam addit, triſtitiamque bonis affert: Et certiſſima hæc axiomata euertere nititur, addens, alios è contrà dixiſſe, è republica fore, ea frequentibus agitare controuerſijs. Sic enim partes familiaritatem inuicem contraherent, odia, ac pernicioſæ aliæ affectiones ceſſarent, aditusque non pauci ad concordiā fierent, cum nullum aliud morbo inueterato remedium ſit. Nam, aula diſcordijs ſeparata, religioneque priuatis ſimultatibus palliandis adhibita, nullam aliam medelæ rationem iniri poſſe, quàm vt, poſita vtrinque animorum obſtinatione, ſeſe inuicem compatientes, illud pallium ex inquietorum, ſeditioſorumque manibus extorquere, quo malas operationes contegunt.

CONFVTATIO

QVod conſilium, quàm pernicioſum ſit, non ſolùm docuerunt Apoſtoli, & alij Sancti Patres, ac Doctores, ſed ipſa magis experientia. Nam ſeducentes alios, populum facilè contagione impietatis, inficiunt, ac religionum vnà, & regna euertunt, cunctaque miſerè confundunt.

Quod præſertim in Gallia, vbi huiuſmodi conſilium dabatur, expertum fuit, in qua ſeparati ab Eccleſia, a-

deo, ob huius mixtionis, & familiaritatis tolerantiam, creuerant, *vt nec legibus, nec vi amplius compeſci poſſe*, ipſemet Rex, & Regina peribuerint, pag. 436. & 464. vt paulo ante notauimus, Regiſq; ipſius Majeſtatem ſpernentes, regnum perpetuis bellis vexauerint, quẽadmodum, & in alijs regionibus patuit, vbi ea peſtis ſeſe ſemel inſinuauit. Cum è contra vbi ea commercia ſeueritate interdicta fuere, non potuerit publica tranquillitas, nec religio, aut ſtatus Principis, ex ipſiuſmet Auctoris teſtimonio, pag. ſupra pluries relat. 404. periclitari.

Et, ſi Rex, & Regina Pōtifici ſcripſiſſent, in Gallia ſeparatos ab Eccleſia ita creuiſſe, vt, nec legibus, nec vi amplius cōpeſci poſſent; an credibile eſt, eoſdem illico pag. 443. in contrarium eidem Pontifici ſcripſiſſe, ſe Colloquium Poſſiaci cum hæreticis, eo fine habuiſſe, quia, *ni ratione conuinci potuiſſent, vt comprimerentur*, cum interim ſpatium ſeſe ad bellum inſtruendi habuerint?

83. Ad petitionem Calicis, ab Oratore Chriſtianiſſimi factam, Cardinalis Sancti Angeli reſponſio.

HISTORIA

PAg. 445. Cum Orator Regis Chriſtianiſſimi Romæ communionem Calicis pro Galliæ populis flagitaret, ait, Cardinalem S. Angeli reſpondiſſe, ſe nunquam pharmaci loco, calicem veneno plenum, eis daturum eſſe: Oratoremque reſpondiſſe, indignum eſſe ſanguinem Chriſti, veneni nomine appellare, & Apoſtolos omnes, cæteroſque primitiuæ Eccleſiæ Patres, vti veneficos accuſare.

CONFVTATIO.

CArdinalis eo modo locutus eſt, quo Chriſtus idem, cum dixit Iudeis, *ſanguis meus ſuper vos, & ſuper filios*

lios veſtros: & quo etiam Diuus Paulus, cum dixit, *ſi quis manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit.* Nam, neq; Chriſtus, neque Diuus Paulus ſignificare voluerunt, ſanguinem illum, per ſe eſſe damnationem, ac perditionem, ſed reſpectu illorum, qui illum, aut impiè eſſe ſumpturi, vel indignè ſumpturi erant. Vndè Diuus Auguſtinus dixit (in tract. 26. in Ioannem circa med.) *Nonnè buccella Dominica, venenum fuit Iudæ? & tamen accepit: & cum accepit in eum inimicus intrauit: non quia malum accepit, ſed quia bonum malè malus accepit:* quo pacto illum ſanguinem ſumere voluiſſe videbantur populi illi, qui, contrà documentum Eccleſiæ, Calicem omninò ſibi neceſſarium credebant, aut credere ſimulabant, cum iam hæreſi infecti eſſent, & Eccleſiam redarguere quodammodo vellent, quæ ab eius vſu in laicis abſtinebat, nouitateſque periculoſas introducere moliebantur. Vt enim dixit in eodem loco Cardinalis Pacecus, *quælibet in religione diuerſitas, ad ſchiſma tandem, & inimicitiam peruenit*, ob ea, quæ ibidem Cardinales dixerant. Quod eò magis timendum eo tempore videbatur, quòd iam Regina Pontifici ſcripſiſſet, vt retulit 436. *multorum conſilium eſſe, vt hæretici in communionem reciperentur, vel, ni id probaretur, interim, dum Concilium penderet, Imagines Sacræ è loco adorationis amouerentur, & ex baptiſmo tollerentur, ſaliua, exorciſmi, & alia per verbum Dei minimè inſtituta: vſus Communionis Calicis reſtitueretur; preces, & Diuina in lingua vernacula fierent, à ſolemnitate ſanctiſſimi Corporis Chriſti abſtineretur*, cum alijs huiuſmodi impijſſimis hæreticorum poſtulationibus, quæ conceſſione Galatis facta, denegari poſteà non potuiſſent, vt idem Auctor docet pag. 672. præſertim quòd eſſent machinationes Nauarræi, qui Principibus Germaniæ adhærebat, vt inquit 463. & alibi.

84. *Cur Sacerdotum Connubia Sedi Apoſtolicæ perniciosa?*

HISTORIA.

PAg. 446. Cardinalis Carpenſis ex eo cenſuit, communionem Calicis Gallis denegandam eſſe, quia id non terminus futurus fuiſſet eorum petitionibus in religionis materia, ſed gradus ad alias. Nam poſtcà flagitabunt matrimonium presbyterorum, & linguam vernaculam in miniſterio Sacramentorum eidem fundamento innixi, quòd de iure poſitiuo ſint, & ad multorum præſeruationem concedenda. Et presbyteri, ex matrimonio habentes familiam, vxorem, ac liberos, non à Pontifice, ſed à ſuo Principe dependeant; & charitate prolis ad omnia in perniciem Eccleſiæ impellentur: quærent etiam beneficia hæreditate transmittere, & breuiſſimo temporis ſpatio Sedes Apoſtolica, ſolius Romæ limitibus concludetur: ante inſtitutionem celibatus, Romana Sedes nullum ex alijs Vrbibus, ac regionibus emolumentum percipiebat: ex eo tot Sacerdotiorum dominium nactam eſſe, quibus ob matrimonium breui deſtitueretur.

CONFVTATIO.

QVÆ conſiderationes leuiſſimæ ſunt, cum immò ex eis contrarium omninò dicendum videatur. Si namque Sedes Apoſtolica vnius beneficij collatione, vnum modò ſibi duntaxat obſtringit; vtique matrimonio presbyterorum inſtituto, non vnum tantummodò hominem, ſed totam eius prolem, familiamque ſibi indubitanter deuinceret, quæ, ob ſpem futuræ ſucceſſionis in beneficio, perpetuis etiam Pontificis obſequijs manciparetur, cum à Pontifice illud impetrare cogere-

geretur. Sed hæc non eſt vera cauſa, ſed illa, quam idem-met Polanus affert, dum Pontificem hæc Sanctiſſimè, ac prudentiſſimè denegaſſe affirmat pag: 672. nempè quia, *quolibet precepto ac ritu Eccleſia vel in minimo etiam immutato, illico totius Eccleſia Romanę labes*, (ob eas rationes quas ibidem recenſet) *neceſſariò conſequeretur*.

85. *Circa modum in Concilio ſedendi Pontificis Breue*.

HISTORIA

PAg. 453. Lectum fuit breue Apoſtolicum, in quo Pōtifex, ad omnem, (vt ait) tollendam controuerſiæ materiam, quæ inter Prælatos in Concilio congregatos, circa præheminentiæ contentionem, orta eſſet, aut oriri poſſet, mandabat, Patriarchas primùm, dein Archiepiſcopos, tertio verò loco Epiſcopos, nullo dignitatis ordine ſeruato, ſed iuxta promotionem, nulla dignitatum primatialium, ſiue veræ, ſiue prætenſæ eſſent, ratione habita, ſedere. Quo lecto, frater Bartholomeus de Martyribus Archiepiſcopus Bracharenſis, in Luſitania, acriter reclamauit, dicendo, Concilio exordium à præiudicijs contra primores Chriſtianitatis Eccleſias fieri, & eius Sedem, quæ Hiſpaniæ primatum habet, non ſolùm alijs Archiepiſcopalibus, ſibi ſubiectis ſubijci, ſed etiam Archiepiſcopo Roſſani, qui nullum ſuffraganeum habet, & Nicienſi, & Antibarenſi, qui abſque reſidentia, & ſine populo ferè Chriſtiano ſint, & æquum non eſſe, non eam ſibi legem velle, quam alijs dicant, auctoritatem propriam tueri, & alios legitimo eorū iure priuare: & adeò efficax in ſermone fuit, vt Legatis impedimento eſſet, & vix acquieuit, declaratione facta per Legatos, in ſcriptis, dicendo, mentem Pontificis, eorumque eſſe, ne cuiquam, ex decreto lecto, ius acquiratur, aut præiudicium fiat, nulliuſque ius, nec in proprietate,

prietate, neque in poſſeſſione lędatur, ſed quilibet Primas, aut verus, aut prætenſus, in præcedenti ſtatu poſt Concilium permanere debeat.

CONFVTATIO.

QVod alieno ore dictum neceſſariò dicendum videtur à Polano, vt materiam in omnibus Pontificis carpendi aſſumeret. Cum in alijs enim Concilijs præcedentibus, vt ex Conſtantienſi, & alijs antiquis patet, ſemper ea ſedendi ratio ſeruata eſſet non vituperandus, ſed ſummopere laudandus erat Pontifex, qui, præcedentium temporum inhærendo veſtigijs, contentiones interminatas, quibus nunquam exitus fuiſſet, euitaſſet, Synodique expeditioni conſuluiſſet.

86. *Quietè inter ſe viuere poſſe, qui ſacra communia non habent.*

HISTORIA.

PAg. 456. Ait, ore Cancellarij Regij, abſurdum non eſſe, multos eſſe bonos Ciues, & non bonos Chriſtianos, & quietè etiam inter eos viui poſſe, qui ſacra communia non habeant.

CONFVTATIO.

QVod axioma, quàm verum ſit, iam alterius Cancellarij Regij itidem ore in Comitijs Aurelianenſibus aperuit, pag. 424. dicens; *potentiſſimum telum eſſe religionem, qua affectus omnes, & charitates ſuperantur, nullumque aliud arctius ſocietatis humanæ vinculum reperiri. Regna religione magis, quàm limitibus contineri; Immò religione magis, quàm ipſis diuidi limitibus: &*

qui

qui religione mouentur, vxorem, liberos, omnemque propinquitatem paruipendunt. Si qua in eadem domo religionis diſſidia ſint, non cum filijs patrem, non cum fratre fratrem, non vxorem cum viro conuenire; vt ex eis, quæ Auctor in ſua narratione fuſiſſimè affert, ipſa experientia docuit.

87. *De libris prohibitis.*

HISTORIA.

Pag. 459. Loquens de Libris prohibitis, inquit, eadem ſeueritate, ſub colore fidei, ac religionis vetiti, ac damnati ſunt Auctores librorum, per quos auctoritatem Principis, Magiſtratuumque temporalium, contrà vſurpationes Eccleſiaſticas tuentur: vbi Conciliorum, Epiſcoporumque poteſtatem à Romanæ Curiæ vſurpationibus defendunt: in quibus hypocritis, ac tyrannis, quibus populus, obtentu Religionis, decipitur vimque patitur, aperiuntur; quo arcano nullum aliud, ad homines infatuandos, aptius excogitatum fuit.

CONFVTATIO.

Libros pernicioſos, olim per Gentiles, & poſtmodum, per Chriſtianos perpetuò prohiberi conſueuiſſe, fusè docet Baronius. Quod quàm his temporibus neceſſarium ſit, patet ex Auctore, dum pluribus in locis perhibet, per libros diſſeminatos errores, & hæreſes fuiſſe, Libros verò illos, ſpecie religionis, per Pontifices prohibitos fuiſſe, qui de eis materijs peragunt, quas commemorat; id ex eo dicit, quia ſuæ hiſtoriæ librum damnandum fore ſuſpicaretur, vt innuit in principio libri tertij. In quo, ſicut, ex ijs, quæ recenſuimus, nonniſi calumnias, blaſphemias, impoſturas, mendacia, falſitates, errores, ac detractiones, pro libidine, in Pontifi-
ces,

ces, Sedemque Apoſtolicam ac res, perſonaſque ſacras irreuerenter, impudentiſſimique congeſſit, vt Hiſtoricæ veritatis ſpecie, ſimplices, ignaroſque, in errores traheret; ſic etiam, & cæteros omnes per Sedem Apoſtolicam interdictos, nil aliud ſibi propoſuiſſe ſciunt, qui illos, nullo affectu poſſeſſi, legerunt, quàm res, perſonaſque ſacras in odium, contemptumque populorum (ad religionem Catholicam labefactandam) adducere.

88. *Decimæ octauæ Seſſionis Cenſura.*

HISTORIA.

PAg. 466. Decretum impreſſum fuit, non ſolùm quòd ita in more poſitum eſſet, ſed quia factum fuiſſet, vt ad notitiam omnium peruenirer; & generaliter, ab omni hominum genere repræhendebatur. Requirebatur enim, quo nam pacto Synodus illos vocaret, qui illa, quæ in Concilio pertractanda eſſent, ad ſe pertinere putarent, ſi ignorabantur, & præterito tempore, quicquid actum eſſet, præter expectationem fuiſſet; quiſnam proponenda à Legatis diuinaret, cum ipſiſmet incognitum eſſet, quòd mandata ab Vrbe expectarent? Et quo pacto itidem illi, quibus alicuius libri conſeruatio pertineret, quid nam aduerſus illum agendum eſſet ſcire poterant? Generalitas citationis, & cauſæ incertitudo omnes ſeſe Tridentum conferre cogere debebant, cum nemo eſſet, ad quem aliqua res non pertineret, de qua peragi poſſet: & ab omnibus æquè concludebatur, id nonniſi per ſpeciem vocare eſſe, ſed reuera excludere.

CONFVTATIO.

SYnodus in decreto, quod ad illum effectũ typis euulgatum fuiſſe ait, vt *ad notitiam omnium perueniret*, aper-

apertiſſimis verbis inquit, *ſe ea ad quorumcunque notitiam deducere, quæ, vel de hoc librorum, & cenſurarum negotio, vel de alijs, quæ in hoc generali Concilio tractanda prædixit, ad ſe pertinere aliquo modo putauerit.* Et ideo, non ad omnia generaliter, ſed ad ea ſpecialiter vocabat, quæ tractanda prędixit (ſcilicèt in bulla Indictionis.) Nam generalibus euulgatis, facilè quiſque ex ſe percipere poterat, quæ ad ſe, circa ea nominatim, ſpectarent. Etenim (vt inquit) ſpecialia, *nec ipſi Legati ſcire poterant*, cum ea: non per Pontificem, (vt malignè inquit,) ſe per Patres Tridenti, & vt plurimùm ex improuiſo, in medium afferrentur, vt fusè docuimus in libro ſecundo,& quod pertinet ad libros, *iam multa cenſuræ in varijs prouincijs, & præſertim Romæ, editæ erant*, vt inquit decretum.

Cum verò ſubdit, Synodum confiteri, ex præteritis interdictis, ſcupulos in animos ortos eſſe, quereliſque cauſam dediſſe, ſenſum malignè detorquet,cum id, non de interdictionibus librorum, *ſed de varijs, peregriniſque doctrinis* affirmet, vt in decreto videre eſt.

HISTORIA.

OBijcit dein, eam partem ſuſpectam Germanis fuiſſe, in qua Synodus decernit, fidem publicam in Congregatione generali concedi poſſe, & eandem vim habituram, eiuſdemque roboris, & momenti futuram, ac ſi in publica ſeſſione data,& decreta fuiſſet;non enim intelligebatur differentia, cum in vtroque congreſſu eædem perſonæ conuenirent, ni eſſet, quòd ſeſſionibus mitrati, in Congregationibus verò cum biretis intereſſent; àddens, cur, ſi ſaluuſconductus eo tempore expediri non poſſet, ſeſſionem expreſsè, ea de re non habere? aliquod itaque magnùm myſterium ſub hoc velamine latere exiſtimabant.

CONFVTATIO.

ID fiebat ad omnem moram tollendam, ſi ſaluuſconductus requiſitus fuiſſet, cum Synodus in ſola ſeſſione propriè repræſentetur, licèt ſeſſio mera ceremonia eſſet, vt ait pag. 133. cuius decreta ſunt immutabilia, & ſeſſiones rarò fierent, & è dignitate Synodi non eſſet, ſeſſionem ea de re expreſsè haberi, vt Auctor voluiſſet. Cum, præter id, nullum ea in re artificium eſſe potuiſſe aperiat, quòd illicò ſubdat, *Synodum certam fuiſſe, neminem ex Proteſtantibus, quauis cautione munitum, Tridentum, niſi coactum, acceſſurum eſſe, vt anno 1552. ob firmam Cæſaris voluntatem, accidit, quod exequi amplius non poſſet.* Nam quorſum artificia illa pro parte Synodi, ſi Proteſtantes nihilominus acceſſuros non eſſe compertum, certumque habebat? Sed Proteſtantes ſuam contumaciam hiſce de more cauillationibus, tuebantur.

89. *De ordinationibus ad titulum patrimonij.*

HISTORIA.

PAg. 476. Loquens de Ordinationibus ad titulum patrimonij, ait, cum corruptelæ inualuiſſent, tituli nomine cæpit intelligi, vnde victus comparatur:& quod eo fine conſtitutum erat, vt in Clero nemo eſſet ocioſus, in eo commutatum fuit, vt nemo eſſet indiguus qui idcircò labore victum quærere cogeretur, & veteri canonum ſenſu huiuſmodi interpretatione obuelato, Alexander Tertius illud in ſuo Lateranenſi ſtabiliuit, ſanciẽdo neminem ordinari abſque titulo, vnde neceſſaria vitæ illi ſuppeditentur, exceptionemque regulæ dedit, ni de ſuo, aut hæreditate paterna haberet: quæ exceptio admodum æquitati congrueret, ni titulus ad id ſolùm

quæ-

quæreretur, vt victum ſuppeditaret.

CONFVTATIO

ALexander Tertius ait jn dicto Concilio, cap. 5. *Epiſcopus, ſi aliquem ſine certo titulo, de quo neceſſaria vitæ percipiat, in Diaconum vel Presbyterum ordinauerit; tandiù ei neceſſaria ſubminiſtret, donec in aliqua ei Eccleſia conuenientia ſtipendia militiæ clericalis aſſignet niſi fortè talis, qui ordinatur extiterit, qui de ſua, vel paterna hæreditate ſubſidium vitæ poſſit habere*. Quare ex hoc decreto non ſtatuitur, aliquem ordinari poſſe, ad titulum patrimonij (nam de hoc nullum omninò verbum facit,) *ſed Epiſcopum, ſi quos forſan ſine certo titulo, ordinauerit, ordinatos alere (ſi de proprio non habeant) donec eos prouiderit de certo titulo*; & patet ideò Pontificem voluiſſe Clericos omnes cum certo titulo inſeruire Eccleſiæ, & neminem per conſequens *ocioſè viuere*, vt malignè auctor interpretatur.

Subdit poſteà, Chriſtianam propoſitionem non eſſe, non decere Miniſtros Chriſti laborare, proprijſque manibus victum quęrere, atque in caſu impotentiæ mendicare; Cum tamen id Chriſti Miniſtri non dicant, ſed contrarium immò profiteantur, quando non pauci varijs artibus honeſtis tamen, ac libero homine dignis, ſibi victum quęrant, & regulares, vt plurimùm mendicitatem, ex voto profiteantur, & (vt ait) *mendicantes* vocari glorioſum ducant. A vilioribus tantummodò, ac ſordidis abſtinent, non modò quia nimium eſſet a dignitate ordinis Clericalis alienum ſed propemodùm impoſſibile, eodem publico miniſterio in diuinis ſeruire, & proprijs manibus victum quærere: & apud populos ſublimitas Sacerdotalis omninò vileſceret, ſi qui Diuina tractant, & dignitate Angelis comparantur, in mecanicis, ac ſordidis abiecti viuerent; nec credendum ſit, Deum, qui

Eccleſiam bonis temporalibus auxit, noluiſſe ex eis neceſſaria, & congrua ſuis quoque miniſtris ſuppeditari, quò decenter munus obirent. Nec facit exemplum Diui Pauli, cum Eccleſia in ſuo primordio, nulla adhuc bona haberet: & negari non poſſit, quin Diuus Paulus vtiliùs operam prædicationi Euangelij (ſi in neceſſitate non fuiſſet) quàm ſcenofactoriæ arti, dediſſet, & Clericis omnibus idcircò, etiam quando Eccleſiæ reipſa non ſeruiunt, officij diuini recitandi iungitur obligatio. Et pauperes (vt inquit) ab ordinationibus in primitiua Eccleſia, non excludebantur; ſed ob rationem, quam idemmet affert pag. ſequenti, nempè *quia cum in principiò Chriſtianitatis naſcentis, frequens charitas eſſet, populus, qui ſpiritualia à Chriſti Miniſtris percipiebat, non ſolùm iuxta diuinum preceptum à Diuo Paulo explicatum, neceſſaria victui prabendo, reſpondebat, ſed id adeò inſuper abundanter, vt etiam egenorum ſumptui ſuppeteret.*

HISTORIA.

ET addit, cum placeret Patribus, conſuetudini inſiſti, non ordinandi abſque titulo, vel Eccleſiaſtici beneficij, vel patrimonij ad vitam ſufficientis, ne ſacerdotes cum indignitate ordinis mendicare cogerentur: ac ſtatui diligentiam per Epiſcopum adhiberi, ad obuiandum fraudibus, ne patrimonium ad cuius titulum Clericus ordinatur, diſtrahi poſſet, ait, Epiſcopum Viuarienſem dixiſſe, patrimonium Clericorum, rem ſecularem eſſe, ſuper qua Eccleſiaſticus nullum legis ferendę ius habeat: & ob multa euenire poſſe, vt lex, & Magiſtratus illud diſtrahi iubere legitimè poſſit; communiterque exploratum eſſe, patrimonialia Clericorum bona in eo quod ad præſcriptiones, & quamcumque formam contractus pertinet, ciuilibus legibus ſubiacere, nec ciuilis contractus auctoritatem vſurpandam eſſe.

CON-

CONFVTATIO.

QVæ obiectio calumnioſa eſt, ac maligna, cum in decreto nullatenus agatur de iure, legibus, ac Magiſtratibus in dictis bonis abrogando, aut minuendo; ſed de cauendo duntaxat, ne patrimonium illud *per fraudem*, à Clerico diſtrahi poſſit, vt in decreto patet, quod non eſt ius legibus ac Magiſtratibus, nec etiam in minimo abrogare.

90. De mercede pro ordinatione.

HISTORIA.

PAg. 478. Ordinatio, à collatione beneficij ſeparata, gratis adminiſtrabatur; quod tamen breui receſſit. Siquidem Epiſcopi, id vt infructuoſum, abiectumque habentes, in aliam tantummodò intenti, quæ emolumento erat, ordinationes paulatim adminiſtrare neglexerunt, Epiſcopiq; titulares adminiſteria Pontificalia Eccleſiaſtica obeunda, inſtituti fuere, veris Epiſcopis in ſolo téporali occupatis. At illi, quòd nullos redditus haberent, victum ſibi ex functionibus parare cogebantur, eos ad conferendum compellendo, qui ab eis ordines reciperent: quod primum eleemoſinæ, & oblationis nomine, dein pro maiori honeſtate, muneris, ac liberalitatis, ac demum, procedente tempore, quò vt debitum, omitti non poſſet, mercedis titulo palliatum fuit, quæ non ordinanti, ſed familiaribus eius, tabellioni, alijſque in ea functione interuenientibus ſoluebatur.

CONFVTATIO.

QVÆ nonniſi nugæ, ac falſitates ſunt. Nam quo pacto conſonat, veros Epiſcopos huiuſmodi munia, vti infructuoſa, & abiecta neglexiſſe, ſi ipſe-

ipſemet Auctor grauiſſimas eorundem Epiſcoporũ querelas affert, qui eis functionibus ſe, per Epiſcopos titulares, ac fratres, & regulares expoliatos querebantur; eaſque ſibi, vt proprias, reſtitui petebant? Eòque magis, quòd non vnum, aut paucos, ſed omnes ſimul Epiſcopos id poſtulaſſe recenſeat, vt videre eſt pag. 156. & 164. Quæ falſitas cum ſit huiuſce diſſertationis fundamentum, poſſumus ex hoc indubitanter aſſumere, quid in ea veri ſit; præſertim, quia recenſendo, quæ veri Epiſcopi in hoc propoſito dixerunt, non titulares, ſed eoſdemmet veros Epiſcopos ea munia per ſeipſos exercuiſſe perſpectiſſimum faciat.

Quòd verò ſuſcipientes Ordines, ad eleemoſinas, oblationes, munera, aut ſimilia cogerentur, falſiſſimum itidem eſt, vt patet ex Auctoriſmet verbis. Si enim (vt ait) *id lege cautum, aut vniuerſali conſuetudine receptum fuiſſet*; an oportuiſſet, (ne omitteretur) illud *mercedis nomine cohoneſtare*, vt factum fuiſſe perhibet? Illicita enim, ac vetita alijs titulis, nominibuſque ſunt cohoneſtanda non quæ *lege* aut *laudabili conſuetudine* inualuiſſent: cum, & præter id, non deſint Canones, qui hæc expreſsè prohibeant: Quare id, non omnibus generaliter Epiſcopis, ſed aliquibus tantum per Auctorem tribuendum erat, quorũ cauſa de remedio forſan in Concilio conſulebatur.

HISTORIA.

SVbijcit poſteà hæc verba; Non recedendo ab huiuſmodi Ordinationum propoſito, ſi pro pallijs, quæ Sedes Apoſtolica Metropolitanis tradit, aureorum millia conferuntur, quo nam pacto exigua, recognitio repræhendi poterit, quam Epiſcopus ex ordinibus inferioribus accipit? Quæ namque ratio ſuadet, vt res eiuſdem generis, diuerſis; immò contrarijs legibus moderentur?

Sed

SEd traditio pallij, non eſt ordinatio, nec ſpectat ad ordines, & cum non ſit ordinatio, non eiusdem etiam generis eſt (vt Auctor perperam credit), & diuerſa perinde ratione cenſentur.

HISTORIA.

SEquitur dein, nonnullos dixiſſe, articulum, vti contrarium decreto Innocentij Tertij, in Concilio generali ſtatui non poſſe, vbi non ſolùm conſuetudo dandi ac recipiendi aliquid temporale in miniſterio Sacramentorum approbata fuit, ſed Epiſcopis mandatum, vt populum ad conſuetudinem ſeruandam, cēſuris, ac pœnis Eccleſiaſticis compellerent, eas laudabilium vocabulo ſignando, quas vti ſacrilegas nunc damnare satagebant.

CONFVTATIO.

VBi ſeſe pluribus prodit Auctoris malignitas, & ignorantia, cum non ſolùm falſum ſit decretum Innocentij (*in c. ad Apoſtolicam, de Simon.*) de quo loquitur, approbare, aliquid temporale pro miniſterio Sacramentorum dari Miniſtris; cū de hoc nullatenus verba faciat; ſed expreſſis immò verbis precipiat Eccleſiaſtica ſacramenta liberè cōferri. Ait enim, vt patet in libro 5. decretaliū *Ad Apoſtolicā audientiā frequenti relatione peruenit, quòd quidā Clerici pro exequijs mortuorum, & benedictionibus nubentium, & ſimilibus, pecuniam exigunt, & extorquent: & ſi fortè eorum cupiditati non fuerit ſatisfactum, impedimenta fictitia fraudolenter opponunt: è contrà verò quidam laici laudabilem conſuetudinem ergà Sanctam Eccleſiam, pia deuotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ prauitatis nituntur infringere, prætextu canonicæ pietatis. Quapropter*

propter ſuper his prauas exactiones fieri prohibemus , & pias conſuetudines precipimus obſeruari ſtatuentes, vt liberè conferantur Eccleſiaſtica Sacramenta , ſed per Epiſcopum loci, veritate cognita , compeſcantur, qui malitioſè nituntur laudabilem conſuetudinem immutare . Quæ verba clariſſima ſunt . Et, cum Tridenti ageretur de conſuetudine ab Epiſcopis Titularibus introducta, compellendi ordinatos ad aliquid nomine mercedis dandum pro receptione ordinum (quæ vtpotè contrà diſpoſitionem dicti decreti Innocentij Tertij , & aliorum Canonum damnari digniſſima erat,) in dicto decreto è contra agebatur de conſuetudine, quæ cum eſſet (vt inquit) *ergà S. Eccleſiã, pia Deuotione fidelium introducta* , & ideo ſpontanea, non autem coacta: & non ergà miniſtros , ſed ergà *Eccleſiam*, & forſitan pro ornamentis, alijſque vtenſilibus Eccleſię, meritò laudabilis dicebatur.

Cum , & falſum itidem ſit, decretum illud , loqui de populo compellendo, *ſub cenſuris , & pœnis Eccleſiaſticis*, ad illam conſuetudinem obſeruãdam. Nam nullum omninò verbum de his facit; ſed de illis tantummodò compeſcendis , qui (vt inquit ibi gloſſ.) *volebant impedire hunc laudabilem vſum deuota oblationis* : quod nec etiam ſub *cenſuris, aut pœnis Eccleſiaſticis* fieri vllatenus mandat. Idque Pontificem ſanciuiſſe dicendum eſt , ex quo hæc fraude *hæreticorum* fierent, vt aperit illis verbis. *Quidam Laici laudabilem conſuetudinem ergà Sanctam Eccleſiam pia deuotione fidelium introductam , ex fermento hæreticæ prauitatis ; nituntur infringere.* Siquidem eo fermento tota paulatim fidelium maſſa infici , facilè potuiſſet, eos à pietate , ac deuotione erga Sanctam Eccleſiam retrahendo.

91, S4

91. *Sacramenta ex ſola charitate adminiſtranda eſſe per Clericos.*

HISTORIA.

PAg. 479. Dionyſius Epiſcopus Milopotami longa digreſſione oſtendit, quanta fidelium ædificatione Eccleſiaſtici, Sacramenta ex ſola claritate, nec ab alio, quàm à Deo expectanda mercede, adminiſtrarent: victum eis, ac maiorem quoque ſubuentionem illis debitam eſſe affirmauit. Huic iam decimarum attributione ſatis ſuperque factum fuiſſe; quandoquidem cum Clerus decimam populi partem non excedat, amplam adeò portionem accipiat, præter alia bona poſſeſſa, quæ totidem ſint: ideò ex æquitate non eſſe nunc illud velle, quod iam centuplicatum acceptum ſit: & ſi qui ex Epiſcopis inopes ſint, id, non ex Eccleſiæ indigentia, ſed ex mala diuitiarum diſtributione eſſe.

CONFVTATIO.

HIC Auctor res malignè de more confundit. Nam ex Eccleſijs, quibus decimæ attributæ ſunt, nempè Parochialibus, in quibus ſacramenta propriè adminiſtrantur, paucæ admodum affluunt diuitijs, & ſolas, vt plurimùm decimas habent, quemadmodum vbique patet. Aliæ vero Eccleſiæ ditatæ ſunt, non ex Decimis per populos collatis, ſed munificentia, ac pietate Regum, ac Principum, aliorumque piorum, qui eas (vt idem Polanus docet locis alibi ſuprà notatis) fundarunt, ac dotarunt. In quibus cum peculiaria exercitia inſtituerint, non poſſent diuitiæ, & bona ad hunc effectum per eos attributa, Parochijs, alijsue vſibus applicari: quod docet etiam Polanus, dicens pag. 481. ore Lucæ Biſantij, Epi-

ſcopi Cattari, *inſtitutiones ex teſtamento fidelium vti inuiolabiles, atque immutabiles habendas eſſe, nec tam melioris boni prætextu, quàm nec etiam veri boni intuitu, mutari debere, quòd æquum non ſit, in re aliena ex eo manus apponere, quia non meliori forma adminiſtretur.*

92. In Seſſionem 21. Animaduerſiones.

PAg. 523. Primùm reprælendit dilationes in Seſſione factas: quas tamen fuiſſe refert ob vehementiſſimas Cæſareorum, Gallorumque Oratorum inſtantias, vt pag. 491. 463. 519. & alibi recenſuit.

II. Pontificem de cunctatione accuſat; quamuis expreſſis verbis perhibeat pag. 504. eundem Pontificem, *apud Cardinalem Mantuæ legatum, pro celeri expeditione Concilij, etiam precibus, egiſſe: omnibuſque itidem legatis, ad faciliorem expeditionem, ſcripſiſſe, addat, vt veſtigijs ſub Iulio inhærentes, materiaſque tam in eo digeſtas ſumentes, illicò eas dirimerent, conciliumque abſoluerent.*

III. Redarguit, quòd conceſſionem calicis de Iure Eccleſiaſtico eſſe non declaraſſent, cum nihilominus referens decreta in Seſſione promulgata, expreſſis itidē verbis dicat 522. *Synodum declarare, poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe faciendi in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, mutationem,* (vt clariùs dicitur in cap. 2.) Nam ergo ex conſequenti, conceſſionem calicis (cum non ſit circa ſubſtantiam Sacramenti) de Iure Eccleſiaſtico eſſe declarauit.

IV. Obijcit, in tertio capite doctrinæ dictum fuiſſe fidelem recipiendo ſolum corpus Chriſti, gratia non neceſſaria minimè fraudari, cū gratiā nō neceſſariam amitti fateri videatur: & dubitatum fuiſſe, an auctoritas humana reperiatur, quæ gratiam Dei ſuper affluentem, ac non neceſſariam impedire queat, &, ſi poſſet, an charitas huiuſmodi ad bonum impedimenta admittat.

Sed,

Digitized by Google

Sed, cum in eodem capite vnà ſimul declaretur, *in altera tantùm ſpecie totum; atque integrum Chriſtum ſumi*, ea illatio fieri nullo modo poteſt, cum Chriſtus ſit omnium proculdubio plenitudo gratiarum: & id ſolùm dictum fuerit pro illis, qui vtramque ſpeciem neceſſariam eſſe nimis ſcrupuloſè credebant.

V. Obijcit, obligationem iniunctam eſſe credendi, antiquitatem non crediddiſſe communionem paruulorum neceſſariam.

Quod tamen in decreto non dicitur, ſed in reddenda ratione doctrinæ, quam ab antiquitate petit, ex quo nulla iniungitur obligatio.

VI. Subdit, Diuum Auguſtinum nouem in locis, non vno verbo, ſed differendo, neceſſitatem Euchariſtiæ pro pueris aſſerit, quam ſemel, atq; iterum neceſſitati baptiſmi comparauerit, dixeritque, eandem Romanam Eccleſiam illam tenuiſſe, ac pro neceſſaria ſaluti paruulorum ſtatuiſſe: ad quod allegat Innocentium Pontificem, cuius adhuc epiſtola remanet, in qua apertis verbis loquitur. Quæ explicat Bellarminus, dicens, Diuum Auguſtinum in his locis intellexiſſe de communione ſacramentali, eamq; communionem tribuiſſe infantibus, non in re, ſed in voto implicito, quod per baptiſmum habetur.

VII. Cum ſecundus Anathematiſmus declaret hæreticum eſſe, qui dicat Eccleſiam ad communionem ſine Calice adminiſtrandam non iuſtis de cauſis adductam fuiſſe inſulsè ait, id eſſe articulum fidei in facto humano fundare: & vti rem mirabilem admodum habebant, fateri, hominem non teneri decretum obſeruare, niſi de iure humano; & res, quæ in dies mutantur, pro articulis fidei ponere. Siquidem Anathematiſmus non cadit in rem ipſam diuerſimodè mutatam, aut eius mutationem; ſed in eos, qui negent iuſtis de cauſis, rationibuſque Eccleſiam, ad eas mutationes adductam non fuiſſe, aut in

co erraſſe, cum Eccleſia, vt potè à Spiritu Sancto recta errare non poſſit.

VIII. Pari leuitate obijcit, alios inſuper addidiſſe, eas cauſas, ſi iuſtæ erant, exprimere oportuiſſe, nec homines terrore, ſed perſuaſione, ad credendum cogere, cum illud verè eſſet fidei dominari, quod Diuus Paulus deteſtetur. Nam hæ cauſæ alibi expreſſæ fuerant.

IX. Opponit, in capitibus reformationis communiter dictum fuiſſe, nec leuiora, nec leuius potuiſſe tractari; cum idemmet retulerit pag. 463. *Oratores Cæſareos inter cætera petijſſe, futuram Seſſionem differri, vel de leuibus ſaltem agi: & legatos idcircò promiſiſſe, futuram Seſſionem de generalibus, tenuibuſque fore.*

X. Ait, res admodum aliena, tàm circa ſubſtantiam, quàm circa modum videbatur compellere populum ad neceſſaria, animarum curam exercentibus, ſubminiſtranda. Circà ſubſtantiam, quia Clerus nimis affluat, & potius laicis ex diuerſis, euidentibuſque rationibus debitor ſit. Circa verò modum, quia Chriſtus, & Apoſtoli nunquam ad contributiones cogere voluerint, ſed ad voluntarias ſolùm recipiendi facultatem dederint; & ex Diuo Paulo ad Corinthios, & Galathas, videbit tractationem Domini erga bouem triturantem, & Cathecumeni erga cathechizantem officium, citrà vllam tamen in eos actionem, aut ius exigendi; nec vlla Prætoris auctoritas ſit, quæ eis ſuffragari poſſit.

In quo euidentiſſima eſt malignitas, cum Synodus mãdet in primis *Epiſcopos ex fructibus ad Eccleſiam Matricem quoquomodo pertinentibus, competentem Curionibus portionem aſſignare. Eiſque deficientibus, ſi neceſſe fuerit, populum ad ea ſubminiſtranda compellere*, quia cum Synodus id per Clerum fieri mandet, non ergo grauat laicos, niſi in ſolo caſu, quo Clerici non habeant, quod æquiſſimum, immò neceſſarium eſt, vt docet Diuus Paulus. Ad quod non alij Clerici, præter Epiſcopos, & Eccle-

ſiam

ſiam Matricem, tenentur; cum bona, quæ ad peculiares operas pias, ex Principum, aliorumve largitione, Eccleſijs donata fuerunt (vt ex Polano ſupra notauimus) non aliter, quàm ex inſtituentium mente applicari poſſint, ne inſtituentes defraudentur.

Et circa modum, vtique id Chriſtus, & Apoſtoli non preceperunt, non quia poteſtatem nõ haberent, ſed quia illo tempore opus non eſſet, cum Chriſtiani, charitate feruentes, omnia ſua ad pedes Apoſtolorum ſpontè proijcerent: à quo inſtituto recedendum fuit, cum homines adeò ab illa charitate receſſerint, vt ad fidem in populis ſeruandam, legum, Magiſtratuumque præſidia neceſſaria fuerint. Vnde pariter ad ea præſtanda, ſine quibus religio deficeret, vt eueniſſe vidimus, vbi hæc ſublata fuerunt.

93. *In Seſſionem XXII. Animaduerſiones*

HISTORIA.

PAg. 561. Seſſione peracta; decreta de more carpens, ait: primùm, in materia calicis populos, qui eam gratiam, ſeu potius, vt ipſi dicebant, ſibi debitum reſtitui deſiderabant, atque expectabant, indignatos eſſe adeò iuſtam, ac tot, tantorumque Principum flagitationibus commendatam petitionem per ſex perpetuos mẽſes à principio agitatam, ac dein, quò accuratiùs examinaretur, per duos iterum menſes dilatam, tantaque contentione denuò diſcuſſam, ac diſputatam; tandem ad Pontificem reiectam eſſe, quod citrà tot temporis, laboriſque iacturam, à principio fieri potuiſſet.

CONFVTATIO

QVÆ ſunt conſuetæ nugæ Polani, vt obloquẽdi materiam arripiat. Qui namque eſſe poterant, qui que-

querebantur, ſi Catholici Calicem non petebant, & hæretici, ex fide Quinqueccleſienſis Oratoris Cæſarei pag. 554. *à ſuis nunquam opinionibus recedere* peruicaciſſimè ſtatuerant?

HISTORIA

SEcundo Ait nonnulli ſolidius differebant, Synodum duorum articulorum definitionem reſeruaſſe; An cauſæ, quæ iam ad Calicem prohibendum induxerunt, tales ſint, vt ex eis in illa interdictione perſiſtendum cēſeatur, & ni id cenſuerint, quibus conditionibus concedendus ſit: quorum prior, cum non facti, ſed fidei indubitanter ſit, ex neceſſitate Synodus conceſſionem ad Pontificem reijciendo, cogebatur fateri, ſe cauſas, vt inſufficientes agnouiſſe, & rationibus humanis ab ea, declaratione abſtinuiſſe. Si etenim ſufficientes cenſuiſſet, in interdicto illi perſeuerandum fuiſſet. Si res dubia erat, in examine procedendum; ſolumque reijcere poterat, inſufficientia perſpecta. Quod ſi declarationem negantem feciſſet hoc eſt cauſas non eſſe tales, vt in prohibitione perſiſtendum ſit, & quæ de facto exequenda fuiſſent, Pontifici retuliſſet, inſtructiones neceſſarias ſumendo, excuſari poterat. Nec dici poſſe declarationem Pontifici referendo, ſupponi. Nam, cum in huius Seſſionis decreto articulos iterauerit, negocium totum integre, & ſine aliqua idcirco ſuppoſitione Pontifici referri decreuit.

CONFVTATIO.

CVm decretum præciſis verbis dicat, *An rationes, quibus Sancta Catholica Eccleſia adducta fuit, vt communicaret Laicos, atque etiam non celebrantes Sacerdotes ſub vna panis ſpecie, ita ſint retinendæ, vt nulla ratione Calicis vſus cuiquam ſit permittendus*, declarauit etiam Sancta Synodus

modus retinendas eſſe: ſed, an *ita retinendæ eſſent, vt nulla ratione calicis vſus cuiquam ſit permittendus &c.* ſunt, quæ ad Pontificem declaranda reiecit: Cum in ſecundo ſiquidem canone ſeſſionis præcedentis, eos expreſsè anathematizet, qui dixerint, *Sanctam Eccleſiam Catholicam non iuſtis de cauſis, & rationibus adductam fuiſſe, vt Laicos atque etiam Clericos non conficientes ſub panis tantummodò ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe*; vtique declarare, *an cauſæ eſſent tales*, ad Pontificem referre non poterat. Ex quibus cum appareat, Synodum nullo modo confeſſam fuiſſe, ſe cauſas, vt inſufficientes agnouiſſe, nec *rationibus humanis* (per conſequens) ab illa declaratione abſtinuiſſe, quam iam feciſſet; liquidò patet, Auctorem decreta etiam Synodi clariſſima, & apertiſſima, in ſenſus contrarios, verba immutando, malignè detorquere, vt calumnietur, & ex rebus etiam certiſſimis decipiat.

HISTORIA.

TErtio de Miſſæ decreto, nullam dicendi ex eo materiam fuiſſe ſubdit: & nihilominus illud obſcurum, hyperbatiſque implicitum eſſe ait; de quo quiſq; ex eius lectione iudicare poterit.

HISTORIA

QVarto. Ait, De lingua vulgari in Miſſa vetita, aliquid à Proteſtantibus dictum fuit, & repugnantia eis, aliqua ex parte, videbatur, affirmare Miſſam multam fidelium eruditionem continere, & laudare, aliquam eius partem ſubmiſſa voce pronunciari, & linguam vulgarem penitus prohiberent, & poſteà aliquid per Paſtores populo declarari iubere. Quibus alij reſpōdebant, in Miſſa nonnulla eſſe recondita, quæ occulta perpetuo incapaci populo eſſe debeant, cuius reſpectu ſub-

ſubmiſſa voce dicantur, & in literali lingua tenentur; alia verò ædificationis, atque eruditionis, quæ declarari populo iubeantur. Sed his duobus oppoſitionibus replicabatur; huiuſce ergo ſecundi generis verba vulgari lingua exprimenda eſſe: & hæc ab alijs diſtingui oportere. Nam cum Paſtoribus mandauerint, aliquid de eis, quæ leguntur per eos ſępe declarari, nec quid id eſſet, diſtinxerint, periculum imminere ne, defectu ſcientiæ, aliquis ex Paſtoribus, id quod arcanum eſſe debeat, declaret, & quod declarari mereatur, omittat.

CONFVTATIO.

RESponſio illa, nempe nonnulla in Miſſa recondita eſſe, quæ populo incapaci occulta eſſe perpetuò debeant, nimis friuola eſt, cum id abſolutè verum non ſit. Nam quæ in Miſſa ſubmiſſa voce dicuntur, ſunt verba conſecrationis tantummodò, & pars Canonis (vt dicitur in Canone nono) quæ cum *mentem offerentium in Deum erigant* (vt docet Synodus in cap. 4. doctrinæ de ſacrificio miſsę) neceſse non eſt, illa alta voce proferri, & inſuper verba conſecrationis, in Euangelijs Epiſtolis Diui Pauli, & alijs in Eccleſia publicè, & alta voce quotidiè legantur, ac proferantur etiam à Concionatoribus in ſugeſtis lingua vulgari.

Duæ verò illæ difficultates nullius ponderis ſunt, ſi quidem prima ex eo exploditur, quia vniformitas tolleretur, ſi pars Miſſæ in lingua vulgari, pars verò in literali pronunciaretur: quod nimis deforme eſſet. Et ſecundæ difficultatis periculo Synodus iam occurriſſet, cum ad gradum paſtoralem non niſi doctrina probatos promoueri decreuiſſet.

HI-

HISTORIA

QVinto. Ait, Qua lingua res ſacræ tractari debeât, ſolum caput 14. S. Pauli in prima ad Corinthios oſtendere: & ſi quis ſcire cupiat, qui nam olim Eccleſiæ Romanæ ſenſus eſſet, & quando, & qua de cauſa Curia conſilia mutaſſet, obſeruare poterit, Ioannem Papam Octauum, cum Morauos anteà de vſu linguę Sclauonicæ in Miſſa ſeueriſſimè obiurgaſſet, eoſque abſtinere precepiſſet; nihilominus melius inſtructum anno 880. Sfenſopulchro eorum Principi, ſeu Comiti, ſatis longam epiſtolam ſcripſiſſe, in qua, non per conceſſionem, ſed per declarationem affirmet, Miſſam, & alias horas in lingua Sclauonica celebrare, non aduerſari fidei, quod qui linguas Hæbream, Græcam, latinamq; condiderit, alias quoque omnes ad laudem, & gloriam ſuam creauerit: pluraque ea de re ſcripturæ loca, ſed præſertim S. Pauli ad Corinthios admonitionem allegaſſe; ſolùmque iuſſiſſe Pontificem illum, eos pro maiori honorificentia; Euangelium in omnibus Eccleſijs, primùm lingua latina, dein Sclauonica legere, vt in aliquibus iam introductum erat, Comiti tamen, eiuſque Iudicibus concedendo, eos linguam latinam: ſi ea magis placeret, audire. Quibus benè perpenſis, illud addendum erit, quod ducentis poſtmodum annis Gregorius Septimus Vratislao Bohemiæ ſcripſit; nempè, ſe Diuinorum officiorum celebrationem in lingua Sclauonica permittere illi non poſſe; nec rationabilem excuſationem eſſe allegare, id præterito tempore prohibitum fuiſſe, quod primitiua Eccleſia multa diſſimulauerit, quæ, tametſi longo tempore tolerata, Chriſtianitate poſteà ſtabilita, ſubtili examine caſtigata fuerunt, ei Principi iubendo, ſe totis viribus populi voluntati obijcere: quæ qui rectè obſeruet, dilucidè perſpiciet, quæ nam antiquæ inſtitutiones incorrup-

tæ eſſent, & quo pacto, eis adhuc permanentibus, aditus ad corruptelas, ob rationes mundanas, factus fuerit, & quas ob res pariter. Nam, conſuetudine recta labefactata, abuſus inualuit, ordinem commutauit, cælumque terræ ſubiecit: optima inſtituta pro corruptelis diffamantur, & ab antiquitate tantummodò toleratæ; abuſuſq; introducti poſtmodum velut caſtigationes perfectæ comprobantur.

CONFVTATIO.

DE genere linguæ in Miſſa, alijſque Diuinis officijs, habemus diſſertationes Eminentiſſimi, què, ac doctiſſimi Cardinalis Bellarminij lib. 2. de Verbo Dei cap. 15. & lib. 2. de Sacramentis in genere: & lib. 2. de Miſſa cap. 11; qui ex aliorum etiam ſcriptorum auctoritate prodit, *linguam latinam ſemper in Eccleſia, per totum Orbem Chriſtianum, in vſu fuiſſe*. Et licèt ſupra notatas obiectiones Diui Pauli, & alias doctiſſimè ſoluat; tamen addimus, auctorem dicendo, *Ioannem Papam Morauos de vſu linguæ ſclauonicæ in Miſſa ſeueriſſimè obiurgaſſe*, nil aliud proculdubiò docet, quàm miſſam in exteris linguis celebrari, nemini permiſſum fuiſſe. Qui Pontifex, ſi poſteà permiſit Sfenſopulchro eorum Principi, Miſſam, aliaq; diuina officia lingua ſclauonica celebrare, id non fecit, quia ſe melius inſtruxerit, nec per declarationem, vt ait; *ſed ex mera conceſſione, ſiue iuſſione*, vt in dicta epiſtola inquit, & ea inſuper conditione (quod Auctor ſilentio præterijt) *vt in omnibus Eccleſijs terræ eius, propter maiorem honorificentiam, Euangelium latinè legeretur*: quod fecit, (ex fide Baronij, dicto anno 880. *vt ita natam recens Eccleſiam lacte nutriret paruulorum, ſperans, opera eius qui linguas infantium facit diſertas (ſicut qui cum paruulus eſt, loquitur vt paruulus, cum creuerit in virum perfectum, ſit euacuaturus, quæ paruuli erant) fore vt Morauenſis Eccleſia*,

cleſia, Matris, ex qua genita eſt lingua perfectè locutura eſſet. Quarè, & de facto Gregorius Septimus noluit Vratislao Bohemiæ celebrationem diuinorum officiorum in lingua ſclauonica permittere, vt idem Auctor perhibet.

Cumque id religioſiſſimè ſemper in Eccleſia, per totum Orbem Chriſtianum ſeruatum eſſet, patet, quàm malignè hac in re Auctor, artificia, priuataſque Romanæ Curiæ vtilitates comminiſcatur, quò omnia (etiam ſynceriſſimè, atque vtiliſſimè in Eccleſia inſtituta, perpetuòque ſeruata) in odium Romanę Curię malignè detorqueat. Quæ malignitas eò magis intolerabilis eſt, cum ipſemet proprio nomine, præciſiſque verbis, 672. vt alibi ſupra notauimus, *verendum non eſſe, quin relaxare precepta Eccleſiæ ad ritus ſpectantia, veluti communionem Calicis, presbyterorum cælibatum, vſum linguæ latinæ, primo intuitu auctoritati Pontificię derogare non poſſe videantur, cum nihilominus quælibet ex his ritibus immutato, totius illicò fundamentorum Eccleſiæ Romanæ labes conſecutura ſit*.

HISTORIA.

SExto Ait, multi ex decreto reformationis ſtomachabantur, qui conſiderabant, in præteritis temporibus bonorum Eccleſiaſticorum dominium penes totam Eccleſiam, hoc eſt Chriſtianos omnes fuiſſe, qui in vna conuocatione conueniebant; quorum adminiſtratio Diaconis, Subdiaconis, alijſque Oeconomis, ſub Epiſcoporum, Presbyterorumque directione, demandabatur, vt ea in victum Miniſtrorum, viduarum, infirmorum, aliorumque pauperum, in puerum, adoleſcentiumque educationem, in hoſpitalitatem, redemptionem captiuorũ, aliaſque pias operas diſtribuerent: & nihilominus, Clerum primùm, licèt indebitè, tolerabiliter tamen, partem ſuam ſeparare, ac cognoſcere, & illa ex arbitrio vti voluiſſe: ac poſtmodum, cum abuſus ad cumulum per-

ueniſſet, populum, non ſolùm à bonorum dominio penitùs excluſum fuiſſe, Clericoſque ex adminiſtratoribus, ſe Dominos declaraſſe; ſed quæcunque pauperibus, hoſpitalitatibus, ſcholis, alijſque pijs operibus deſtinata erant, in proprium vſum conuertiſſe: &, cum, ea de re, mundus per multa ſecula ſemper queſtus eſſet, remediũque fruſtrà quæſiuiſſet, Laicos in aliquibus locis, pietatis intuitu, alia Xenodochia, alias ſcholas, alios montes, vt pijs operibus ſubminiſtrarent, cum adminiſtratoribus Laicis erexiſſe, & modò, cum in iſto ſeculo Mundus magis magiſque remedium petijt, vt Xenodochia, & ſcholæ antiquæ, & per Clericos præcipuè occupatæ reſtituerentur, Concilium, cum æquis adeò petitionibus, ex expectatione, annuere debuiſſet, & Collegia, ſcholas, Xenodochia, & alia pia loca reſtituere, aditum potius ad ea quoq; vſurpanda, quæ poſteà inſtituta fuerunt, in cap. 8. & 9. aperuit, inſpectatione Epiſcopis demandata. Nam quis verebitur, quin, quemadmodum illa inſpectio via fuit, qua bona iam eiſdem operibus dedicata occuparent, ad aliosque non pios vſus transferrentur; ita, & eundem effectum breui tempore paritura ſit?

CONFVTATIO.

SED primùm, præteritis temporibus, dominium bonorum Eccleſiaſticorum penes totam Eccleſiã fuiſſe, hoc eſt, penes omnes Chriſtianos, vt declarat, non conſonat cum ſacra ſcriptura (vt iam notauimus ſuprà in notis ad pag. 244.) vbi Chriſtiani *pretium bonorum ponebant ante pedes Apoſtolorum*) quibus Epiſcopi ſucceſſerunt) *& ab ipſis diuidebantur ſingulis, prout cuique opus erat* vt dicit S. Lucas: quod etiam *ab Epiſcopis, & presbyteris* factum fuiſſe ait.

Quarè verum non eſt, dominium eorum bonorum penes omnes Chriſtianos fuiſſe, vt idem quoque Auctor docet,

docet, illicò ſubdens, *eorum bonorum adminiſtrationem Diaconis, Subdiaconis, alijſque Oeconomis, ſub Epiſcoporum, presbyterorumque directione, datam fuiſſe:* Et, ſi Laici bonorum Eccleſiaſticorum, nec Domini, nec Miniſtri erant falsò etiam ex conſequenti ait, *populum iniquè ab eo dominio excluſum fuiſſe, Clericoſque ſe ex adminiſtratoribus dominos declaraſſe.*

Sed ea eſt Auctoris inconſtantia, vt in hoc ſibi quoque contradicat, cum pag. 801. ore Conſiliariorum Senatus Pariſienſis referat, *omne beneficium à ſuo principio patronatus fuiſſe.* Cum enim de bonis Eccleſiæ beneficia poſteà facta fuiſſe doceat, his poſitis, vnum de duobus falſum neceſſariò erit; vel eorum bonorum dominium penes omnes Chriſtianos fuiſſe: vel omnia beneficia à ſuo principio de Iure patronatus extitiſſe.

Clerum verò primùm partem ſuam ſeparare, ac recognoſcere, eaque ex arbitrio vti voluiſſe, falſum itidem eſt; non ſolùm ob ea, quæ ſupra diximus, in dictis notis ad pag. 244. Sed quia, cum primis illis temporibus, de quibus loquitur, Eccleſia ſolas oblationes fidelium haberet, qui idcirco agros, & domos vendebant, ſolumque pretium offerebant; vtique hæc nonniſi dietim diuidi illo tempore poterant, vt Sanctus Lucas (loco ſupra citato) factum fuiſſe docet.

Et quid etiam maligniùs, immò, & leuiùs, quàm Clericos bona illa pauperibus, Xenodochijs, ſcholis, cæteriſque locis pijs aſſignata, in proprios vſus conuertiſſe? Cum enim illa Clericis per Laicos tributa non fuiſſe contendat, dum ait, *mundum de hoc, per multa ſecula, ſemper queſtum fuiſſe*: & antiquis illis temporibus Clerici pauci admodum eſſent; an credibile eſt, illos paucos clericos, *totum* (vt ait) *mundum* inuitum ac repugnantem per vim expoliaſſe: vel Reges, & Principes omnes, quos eorum locorum, vt plurimùm fundatores fuiſſe ait, id permiſiſſe? &, cum Romana Curia ius in eis bonis habere

bere non poſſet, niſi quouſque religioſis operibus addicta eſſent; an permiſiſſet vnquam illa alijs vſibus applicari; hoc eſt à proprio in alienum ius transferri ? & quod magis impudens mendacium, cum illa loca, (ni tamen hoſtili impetu, aut ſimilibus accidentibus vaſtata fuerunt, vel Ciuitates, & loca, in quibus inſtituta erant, deſerta remanſiſſent) à ſuæ Inſtitutionis primordijs ad hæc vſque tempora adhuc in ſuis inſtitutis permanere cernantur ?

Et qua veritate Mundus, eo ſeculo Xenodochia, ſcholas, & alia antiqua, per Clericos vſurpata, ſibi reſtitui petebat, ſi idem Auctor, recenſendo ſingillatim petitiones à Cæſareis, Gallis, Hiſpanis, alijſque Nationibus Synodo datas pag: 734. & infra, in quibus alia multa liberè petebant, de aſſertis hiſce vſurpationibus, earumque reſtitutione nullum omninò verbum fecerunt; quemadmodum, nec in alijs vnquam præcedentibus Concilijs feciſſe patet ?

Sed mirandum non eſt Auctorem in rebus antiquiſſimis, de quibus vix memoria extat, pro libidine imponere, cum etiam præſentia, (quæ certiſſima ſunt) ſuæ malignitatis veneno infecerit, ſubdens *eorum locorum directionem* ſeu inſpectionem, Epiſcopis, *in* 8. *&* 9. *capite demandatam eſſe*, cum in eis, nil de hoc penitus legatur. Siquidem Synodus, dando facultatem Epiſcopis (vt in dictis capitulis ait) *viſitandi*: & volens *adminiſtratores illorum locorum ſingulis annis teneri reddere rationem adminiſtrationis Ordinario*, nullam omninò facultatem ſeſe in adminiſtratione ingerendi Epiſcopis indubitãter tribuit, cum de hoc, nec etiam per ſomnium, in dictis capitulis, diſponatur, & nil aliud ex eis prætendatur, quàm conſulere indemnitati locorum, piorumque operum conſeruationi, quò iuxtà intentionem fundatorum, exerceantur, cum inſtitutioni eorum nullatenus in dictis capitulis derogetur: & certum ſit, adminiſtrationem indubitan-

ter

ter meliùs proceſſurā eſſe, ſi adminiſtratores aliquo froeno regantur, vt quotidiana experientia docet. Quare patet, quàm abs re ſubdat, *Senatores Galliæ id inter coetera animaduertiſſe, apertèque dixiſſe, Concilium ſuæ auctoritatis limites exceſſiſſe, apponendo manum in bonis ſecularium, cum opera pia titulus nullum ius Clericis tribuat, & quilibet Chriſtianus rem propriam cuicunque pio operi magis libuerit, ex arbitrio, applicare poſſit, abſque eo, quòd Eccleſiaſticus ei legem imponendi ius habeat, cum alioqui intoleranda eſſet Laicorum ſeruitus, ſi nonniſi illud bonum facere poſſent, quod Clericis placeret*; cum ex dictis duobus decretis nullum omninò ius Clericis detur, manum in dictis bonis, aut locis apponendi, vel leges circa ea ferendi; ſed Epiſcopi inuigilare duntaxat obligentur, ne opera illa prætermittantur, locorumque inſtitutores, eorumque bona fraudentur; quod vti maxime vtile, ſummoperè commendandum immò videtur: ad eoſque etiã ex debito muneris Epiſcopalis pertineat, vt notiſſimum eſt.

Synodum verò in dictis capitibus 8. & 9. viam ad dicta loca pia occupanda Clericis aperuiſſe, eò magis calumnioſè dicitur, quod immò è contrà Synodus, in cap. XI. ſequenti, omnem penitùs viam, facultatemque illa quoquomodo occupandi, tàm Clericis, quàm Laicis in perpetuum ademerit, cum in eo præciſis verbis, *anathemate, priuatione, aliiſque pœnis feriat Clericos, vel Laicos, qui alicuius Eccleſiæ, ſeu cuiuſuis ſecularis, vel regularis beneficij, Montium pietatis, aliorumque piorum locorum iuriſdictiones, bona, cenſus, ac iura, etiam feudalia, & emphyteotica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obuentiones, quæ in Miniſtrorum, & pauperum neceſſitates conuerti debent, per ſe, vel alios, vi, vel timore incuſſo, ſiue etiam per interpoſitas perſonas, Clericorum, aut Laicorum, ſeu quacunque arte, aut quocunque quæſito, colore, in proprios vſus conuertere, illaſque vſurpare præſumpſerint, ſeu impedi-*

impedire, ne ab ijs, ad quos iure pertinent, percipiantur, vt in dicto capite videri poteſt; ex quo magis, magiſque Authoris impudentia, impietas, ac malignitas præcipuè in ordinem Clericalem apparent.

HISTORIA.

SEptimo. Ait, ob hanc ipſam rationem, nonnulli caput damnabant, vbi commutatio vltimarum voluntatum Clero obliquè tribuitur præſcribendo, quomodo, & quandò commutari poſſint: dicebant abuſum intolerabilem eſſe, quòd certum ſit, teſtamenta, robur ſuum habere à lege ciuili, ab eaque ſola mutari poſſe: &, ſi alij dicerent robur a lege naturali prouenire, eo minus Clericos in illis auctoritatem habere, cum eius etiam legis, vbi diſpenſabilis ſit, diſpenſator eſſe non poſſit, niſi qui maieſtatem in republica tenet, vel illius Miniſtri; ſed Miniſtros Chriſti reminiſci debere Diuum Paulum, nullam aliam eis adminiſtrationem dediſſe, quàm miniſteriorum Dei: & ſi quę reſpublica teſtamentorum curam ſuis Prælatis commiſit; in hoc Iudices, non ſpirituales, ſed temporales eſſe, & leges, quibus in hoc rem gerant, non à Concilijs, ſed à Maieſtate, quæ rempublicam regit, recipere debere, quòd hic non vt Chriſti miniſtri, ſed vti membra, aut brachia reipublicæ mundanæ operentur, prout diuerſis nominibus appellantur, & in publicis gubernijs interſunt.

CONFVTATIO.

CVM Synodus, in dicto decreto, præciſis verbis decernat, *Epiſcopos, tanquam Delegatos Sedis Apoſtolicæ in commutationibus vltimarum voluntatum, ſummariè, & extraiudicialiter cognoſcere, nihil in precibus tacita veritate, vel ſuggeſta falſitate fuiſſe narratum, priuſquàm commuta-*

mutationes prædicta executioni demandentur; vtique nec directè, nec obliquè, nec quocunque alio imaginario modo dat facultatem Clericis commutandi vltimas voluntates; cum loquatur tantummodò de exequendis dictis commutationibus, non autem de commutationibus faciendis, vt patet. Quarè, cum nulla eſſet ex decreto occaſio querendi, eas querimonias ab auctore confictas fuiſſe patet, vt venenum impudenter, de more, in Eccleſiaſticos euomeret.

Cum verò ait, Diuum Paulum, nullam aliam adminiſtrationem dediſſe Miniſtris Chriſti, quàm miniſteriorum Dei, ſibimet contradicit, cum in eodem loco dixerit, *in principio naſcentis Eccleſia, adminiſtrationem bonorum Eccleſiaſticorum, Diaconis, Subdiaconis, aliiſque Oeconomis, cum Epiſcoporum; Presbyterorumque moderatione, commiſſam fuiſſe*; præſertim quia id ab ipſis Apoſtolis originem habuerit, vt diximus.

An vero Clerici, ſeu Eccleſia, illam facultatem habeat, nunc diſputandum non eſt, cum à pluribus, ſed à Bellarmino potiſſimùm abundantiſſimè iam factum fuerit; ſed id ſolùm notabimus, auctorem hanc oppoſitionem per Parlamentarios, ſeu Senatores Gallios imprudenter facere, quos hæc in dubium vocaſſe nullatenus probabile eſt; cum in Gallia adeò religiosè ſemper in his auctoritati Eccleſiaſticæ tribuerint, vt, non modò Carolus Magnus voluerit vltimam ſuam voluntatem per Pontificem confirmari, ſed Galli ipſi, Regem etiam (quod maius proculdubiò eſt) per Pontificem deponi itidem petierint, vt, alio in eius locum conſtituto, non vltimarum voluntatum tantummodò, ſed Regnorum quoque ipſorum mutationem, nonniſi auctoritate Eccleſiaſtica legitimè fieri poſſe vniuerſo Orbi, ſuo exemplo, comprobarent, ex quò magis confirmatur, has querimonias ab Auctore confictas eſſe, ac Senatoribus Parlamenti aſcriptas.

HISTORIA.

OCtauo Ait, ſed non minus quintum caput in materia diſpenſationum, notabatur. Nam, cum certum eſſet, omnes diſpenſationes vetuſtis temporibus in proprijs Eccleſijs per paſtores adminiſtratas fuiſſe,& poſtea, progreſſu temporis, Pontifices Romanos nonnulla magis præcipua ſibimet ipſis reſeruaſſe, poſſet aliquis, non ſine optimo fundamento, dicere, ne res momenti ab aliquo inepto tractarentur, licèt verè admodum valida ſit ratio in contrarium Epiſcopi Quinqueccleſienſis ſupra relata; nihilominus cum Concilium decernat, diſpenſationes Ordinarijs permitti, ad quos, reſeruationibus ceſſantibus, pertinerent; ad quid facultatem alicui varitate, vt eidemmet eam permittat? Indubitanter apparere, Romæ, ea diſpenſationum reſeruatione, nil aliud obtendi, quàm vt bullæ ibidem expediantur, cum, hoc facto, ſatiùs eſſe iudicent opus potius, quàm ab alijs, per eos exequi, qui rem exequi poſſent, ni vetitum eſſet.

CONFVTATIO.

AVctor idem non negat, *admodum validam eſſe rationem per Quinqueccleſienſem allatam* ſuprà pag. 553. nempè, quia *viles, atque indigni ad Epiſcopatus promouerentur*, quem abuſum procedere declarauit à Principibus, *qui eos efficaciter, & etiam importunè Pontifici commendabant:* quæ cauſa erat, vt Pontifex quereretur dicendo Oratori Regi Chriſtianiſſimi pag. 579. *circà regiones ſibi in temporali non ſubiectas deſtructionem diſciplinæ abeiſmet ipſis, atque à Regibus, & Principibus prouenire; qui eum petitionibus indebitis, impſtuniſque ad prouiſiones, diſpenſationeſque extrà ordinem compellant; ſuamque ideò conditionem miſeram eſſe, qui ſi requiſitiones ad rem non pertinentes*

tinentes ſibi factas reijciat quiſq; ab eo ſe offenſum, iniquiuſque habitum queratur; ſin verò eis annuat, ipſi, quæ inde proueniat pernicies aſcribatur, ſermonemque de reformatione inferant. Nam, cum nil boni ab indignis, vilibuſq; perſonis ſpetari poſſit, Pontifices iuremeritò diſpenſationes ſibi in rebus maioris momenti reſeruarunt. Quod ideò cum ex neceſſitate fiat, non ergo, vt bullæ ab eis recipiantur. Præſertim, quia diſpenſationes illas ab antiquiſſimis temporibus (vt iam alibi probauimus) ſibi Pontifices illi reſeruaſſent, qui de bullarum expeditione cogitare non potuerunt:

At Concilium mandat ordinarijs, non diſpenſationes (vt ait Polanus, cum Romæ concedantur;) ſed *executionem, & cognitionem* in loco, an petitiones, Sedi Apoſtolicæ porrectæ, ſubreptionis, aut obreptionis vitio laborent, cum horum veritas nonniſi in loco, nec ab alijs, quàm ab Epiſcopis, qui iuriſdictionem ibidem exercent, haberi poſſit, quæ eſt cauſa cur ad eos reijciantur.

94. *Acta Concilij Tridentini ſummo ſtudio occultata fuiſſe.*

HISTORIA.

PAg. 567. Si pars notabilis rerum, quarum memoriam ij, ad quos pertinet integrè ſeruare ſummo ſtudio contendunt, citò deperit; quantò magis hæc (nempè ad Concilium Tridentinum ſpectantia (cum magna perſpicaciſſimorum virorum multitudo à labore nullo abſtinuit, quò penitus abderentur?

CONFVTATIO

QVA ergò veritate Polanus, pluries in ſua narratione perhibuit, ſe authographa ipſa vidiſſe, atque

euoluiſſe, quæ arcanas inter Pontificem, Legatos, & alios negociationes (vt ſuppônit) continebant: à quibus ſuæ narrationis materiam hauſiſſe, aſſeueranter, licèt falsò (vt ex facto ipſo probauimus) affirmat.

95. *Populi aſſenſum in ordinationibus neceſſarium eſſe.*

HISTORIA.

PAg.574. Aſſerit, ore cuiuſdam Theologi, in Pontificali multa loca eſſe, ex quibus hæretici probare poſſent, populi interuentum in ordinationibus neceſſarium eſſe: vnumque in ordinatione Presbyterorum reperiri, vbi Epiſcopus Ordinator dicit, non abs re à patribus ſtatutum fuiſſe, vt in ordinationibus rectorum altaris ſuffragium populi interueniat, quò ordinato obediēs ſit, ex quo aſſenſum eius ordinationi præbuerit.

CONFVTATIO.

VBI Polanus, de more, malignè æquiuocat à teſtimonio ab aſſenſu, & ſuffragatione. Nam ordinandi debent, ex precepto Apoſtoli in epiſtola prima ad Timotheum, *bonum teſtimonium habere ab ijs, qui foris ſunt*; hoc eſt à populo, qui idcircò de vita, & moribus ordinandorum interrogatur, & intereſt ad hunc effectum, non autem, vt conſenſum præſtet, aut ſuffragium ferat; vt liquet ex verbis Pontificalis in dicto loco ordinationis Presbyterorum, quæ hæc ſunt: *Quoniam dilectiſſimi fratres, rectori nauis, & nauigio deferendis eadem eſt; vel ſecuritatis ratio, vel communis timoris, par eorum debet eſſe ſententia, quorum cauſa communis exiſtit. Neque enim fuit fruſtrà à Patribus inſtitutum, vt de electione illorum, qui ad regimen Altaris adhibendi ſunt, conſulatur etiam populus, quia de vita, & conuerſatione præſentandi, quod nunquam*

Digitized by Google

quam ignoratur à pluribus, ſcitur à paucis, & neceſſe eſt & facilius ei quis obedientiam exhibeat ordinato, cui aſſenſum præbuerit ordinando. Vbi declarando, quid pro illo aſſenſu intelligatur ſubijcitur: *Horum ſiquidem Diaconorum in Præsbyteros (auxiliante Domino) ordinandorum conuerſatio (quantum mihi videtur) probata, & Deo placita exiſtit, & digna, vt arbitror, Eccleſiaſtici honoris augmento. Sed ne vnum fortaſſe, vel paucos aut decipiat aſſenſio, vel fallat affectio, ſententia eſt expectanda multorum. Itaque quid de eorum actibus, aut moribus noueritis, quid de merito ſentiatis, libera voce pandatis, & his teſtimonium Sacerdotij magis pro merito, quàm affectione aliqua tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contrà illos, pro Deo, & propter Deum cum fiducia exeat; & dicat: verumtamen memor ſit conditionis ſuæ*. Ex quibus indubitanter patet, non ſuffragium, aut conſenſum, *ſed teſtimonium* duntaxat, *ſeu ſententiam, & opinionem circa vitam, moreſque ordinandorum per ordinantem à Populo requiri*.

96. *In* XXIII. *Seſſionem Animaduerſiones*.

HISTORIA.

PAg. 724. Inter huius Concilij actus, nil auidius præſentis ſeſſionis decretis inſpectum fuit: & cum ad lucem venerunt; ob curioſitatem, qua quiſque tenebatur inſpiciendi tandem, quidnam illud eſſet, quod tam ingentem Prælatorum numerum Tridenti, omneſque Chriſtianorum Principum aulas per totos decem menſes agitaſſet. Sed, vt eſt in prouerbio, illud velut montium foetum, muriſque natiuitatem exiſtimarunt. Nemo fuit, qui rem in eis depræhendere potuiſſet, quę non tanti modò temporis agitationem, verum nec breuem quidem tot magnorum virorum occupationem meruiſſet.

CON-

CONFVTATIO.

SED quid maius, vel acriori vnquam contentione, ac peruicacia in præcedentibus omnibus alijs Concilijs agitatum fuit, cum omnes ferè Prælati auctoritatem Apoſtolicam acerrimè oppugnaſſent, vt fusè recenſuit: & res catholica, ob petitiones relaxationis preceptorum, rituumque Eccleſiæ adeò impeteretur?

HISTORIA.

HOmines aliquantiſper in rebus theologicis verſati, in eo deſiderio erant, vt tandem aliquandò aperiretur, quod nam Concilium iuxta ſuum ſenſum pro poteſtate retinendi peccata intelligeret, quæ pars poteſtatis Sacerdotalis facta eſſet, cum declaraſſet, quid nam pro alia parte remittendi peccata intelligeret. Quaſi vno è contrarijs cognito, aliud regulariter nõ cognoſcatur.

HISTORIA.

ALij quoque, non ſine admiratione legerunt, declaratione facta, ordines inferiores non eſſe, niſi gradus ad ſuperiores, & omnes ad Sacerdotium: & ex lectione antiquæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ perſpici, ad aliquod munus, aut miniſterium ordinatos, vt plurimum in eo perpetuò manſiſſe, & ex accidenti, & rarò, vel ſola neceſſitate, aut ingenti vtilitate, huiuſmodi ad gradum ſuperiorem translationem; aut aſcenſionem fieri conſueuiſſe: ex ſeptem Diaconis ab Apoſtolis inſtitutis, neminem ad altiorem gradum tranſiſſe: & in eadem Eccleſia Romana antiquitus Diaconos, confeſſionibus Martyrum incumbentes ad titulos presbyterales euectos non fuiſſe: Ordinationes Sancti Ambroſij, qui Epiſcopus, San-

ctorum

ctorum Hieronymi, Auguſtini, & Paulini, qui Presbiteri, & Sancti Gregorij Magni, qui Diaconus ordinati fuerunt, licèt per alios gradus non tranſiſſent, deſcrib: rationem in poſterioribus temporibus introductam, vituperandam non eſſe, ſed mirum videri, illud vt perpetuò conſuetum aſſerere, cum contrarium manifeſtè conſtet.

CONFVTATIO.

DEcretum nullatenus dicit, illud perpetuò conſuetum fuiſſe, vt Auctor ſomniat, cum de hoc nullũ omninò verbum faciat; ſed tantùm dicit (vt ſunt eius verba) *ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium ordinum nomina, atque vniuſcuiuſque eorum propria miniſteria ſubdiaconi ſcilicèt, Acolyti, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarij in vſu fuiſſe.* Quare non dicit ordines inferiores non niſi gradus ad ſuperiores eſſe; ac proinde non faciunt ad rem, quæ ſuper hoc falſo fundamento extruit.

Multa alia, tàm in hac, quàm in ſequenti Seſſione Vigeſima quarta notat, ſed velùt alia, quæ hucuſque confutauimus, nugacia, & puerilia, quæ ſingillatim expendere nil aliud eſſet, quàm ocio nimis intemperanter abuti, vel à Bellarmino, & alijs elucidata in eis videri poterunt. Quare ea ſolùm attingemus, quæ per Conſiliarios Senatus pariſienſis obiecta fuiſſe confingit.

97. *Conciliariorum Senatus Pariſienſis aduerſus decreta Synodi obiectiones.*

HISTORIA.

PAg. 800. Conciliarij Senatus alia plurima obiecerunt, capitibus reformationis, in duabus illis Seſſionibus promulgatis; in quibus dicebant, auctoritatem Eccleſiaſticam vltrà terminos, non ſine detrimento, & dimi-

diminutione temporalis amplificatam eſſe; attribuendo Epiſcopis poteſtatem mulctandi Laicos pœnis pecuniarijs, in eoſque manus inijciendi. Nam nulla alia auctoritas data erat à Chriſto ſuis Miniſtris, quàm purè, ac merè ſpiritualis: & cum Clerus poſteà membrum, ac pars politiæ factus eſſet, Principes clericos inferiores pœnis temporalibus coercere, Epiſcopis ex gratia conceſſiſſe, quò diſciplina inter eos vigeret: nec eis ex diuina, aut humana lege permiſſum eſſe huiuſmodi pœnis Laicos perſtringere, ſed id ſola ſibi vſurpatione arrogaſſe: In capite de duello, eos contra Imperatores, Reges, alioſque ſupremos, qui illud in ſuis terris permittunt procedere: idque etiam ſub pœna excomunicationis obtendant, cum ipſi teneant duellum malum non eſſe, quemadmodum malum non eſt, & meretricium, aliaque delicta permittere, quæ tametſi mala, ob publicam tamen vtilitatem ad maiora euitanda, permittuntur: & hanc poteſtatem, quæ naturalis eſt, & Principibus à Deó data, non poſſe vlla poteſtate humana auferri, aut coarctari. Excommunicare etiam Reges, & Principes ſupremos intolerandum exiſtimabant; cum axioma immutabile Gallis ſit, Regem eiuſque Miniſtros, ob ea, quæ ad ſui muneris executionem pertinent, excommunicari non poſſe: Vnà etiam addendò, Principes ſuis ditionibus, alioſque dominos fœudis priuare, priuatorumque bona fiſco adiudicare, non niſi vſurpationes auctoritatis temporalis eſſe; cum auctoritas per Chriſtum Eccleſiæ data ad huiuſce generis materias, nullatenus extendatur.

CONFVTATIO

CVm Galli ab antiquis temporibus voluiſſent eorum verum, ac legitimum Regem Childericum auctoritate Summi Pontificis deponi, in eiuſque locum Pipinum

num eadem auctoritate eligi, omninò improbabile eſt, Conſiliarios Pariſienſes, auctoritatem illam in dubium vocaſſe, ad quam, Regna transferre, Regeſque deponere, atque eligere pertinere eorum maiores ſolemniter profeſſi erant, cuique inſuper Regij ſolij firmitatẽ, Regumque omnium ſuorum ſucceſſionem innixam voluerunt, qui à noua illa electione cauſam habuerunt; ac proinde neceſſariò credendum eſt, Polanum proprium venenum Gallorum ore imprudentiſſimè tamen euomere voluiſſe. Quod eò magis dicendum videtur, quia Galli Translationem Imperij à Michaele Imperatore Græco ad Carolum Magnum eorum Regem parimodo per Pontificem factam ſemper ratam habuerunt, cum, non ſolùm ipſi, ſed totus orbis, & eundem Carolum, & cœteros Occidentis Imperatores, qui à dicta translatione cauſam habuerunt, vti veros, & legitimos Imperatores per tot ſecula ſemper habuerint. Et, cum ideo Gallica Natio perpetuò religioſiſſimè tenuerit, auctoritatem Eccleſiaſticam poſſe Regna, & Imperia iure transferre; quis vnquam credat, eoſdem Gallos noſtris temporibus auſos eſſe in contrarium affirmare, nullam aliam auctoritatem à Chriſto ſuis miniſtris datam fuiſſe, quàm purè, ac merè ſpiritualem, ac reuocare in dubium an Epiſcopi facultatem laicos pœnis pecuniarijs mulctandi, in eoſque manus iniiciendi, & Principes excommunicandi, ditionibus, feudiſque priuandi habeant. Qua de re ſatis etiam ſupra diximus in notis ad pag. 323.

Repugnat etiam eoſdem Conſiliarios, homines ſapientiſſimos, duellum ex eo tolerandum eſſe dixiſſe, quia & meretricium itidem toleretur; quandoquidem in duello, vbi illico mors duellantium, vt plurimùm ſequitur, nulla prorſus ſit ſpes ſalutis, quæ in meretricio, non eſt penitus deſperata. Et cum in hoc ideo de animarum ſalute agatur, non eſt etiam credibile, eoſdẽ

Conſiliarios dubitaſſe, an Eccleſia quibuſuis pœnis, etiam in Reges,& Principes poſſit periculo animarum occurrere.

HISTORIA.

ADdit poſteà, eoſdem Conſiliarios dixiſſe, in beneficijs de Iure patronatus,magnam ſecularibus iniuriam factam eſſe, probationes eis difficiliores reddendo, totumque illud caput falſo axiomati niti, nempè omnia beneficia libera eſſe,ni patronatus probetur; cum è contrà certum ſit, Eccleſias bona temporalia non habere, niſi à ſecularibus data, quæ ea lege ab eis conceſſa fuiſſe præſupponi non debet, vt Eccleſiaſtici de eis arbitratu ſuo,diſponerent, aut ea perdere poſſe. Quarè à ſuo principio, quodcumque beneficium de Iure patronatus erat,& tale præſupponendum eſſet,niſi vbi libera donatio,cũ totius patronatus ceſſione,oſtendi poſſit. Et quemadmodum Cõmunitas, ſeu Princeps non habenti hæredem ſuccedunt, ita omnia beneficia, quæ nullius patronatui ſubiacent,ſub publica patronia eſſe deberent. Et aliquos etiam ex illis, eam loquendi formam deriſiſſe,nempè beneficia patronatus in ſeruitute eſſe, alia verò libera; quaſi euidens ſeruitus non ſit, eſſe ſub diſpoſitione Romanæ Curiæ,quæ de eis cõtrà Inſtitutionem, & fundationem diſponat,non autem ſub ſecularium patronatu, qui illa conſeruant.

CONFVTATIO.

QVæ itidem à ſapientiſſimo illo Senatu dicta fuiſſe repugnat. Siquidem, cum decreuerit Sancta Synodus (præciſis verbis) *vt titulus Iuris patronatus ſit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & alijs iure requiſitis oſtendatur, ſiue etiam ex multiplicatis præſentationibus, per antiquiſſimum temporis curſum*

curſum, qui hominum memoriam excedat, aliaſve ſecundū iuris diſpoſitionem; vtique Synodum à Iuris diſpoſitione, diſceſſiſſe, & nil proinde in eis probationibus innouaſſe, nullamque difficultatem addidiſſe per Conſiliarios, dici non poterat: & qua itidem veritate dixiſſent, Ius Regis, vel etiam in minimo læſum fuiſſe, ſi in eo decreto *Imperator, & Reges, & Principes* expreſsè excipiuntur? Sed in his Auctor, non ſolùm Gallos, Gallis obijcit, cum Ferrerium Oratorem Regium, in ſua oratione, quam immediatè ante recenſuit, affirmantem induxerit, *bona Eccleſiaſtica non alios patronos habere, quàm pauperes*; immò; & ſeipſum ſibimet quoque opponat, cū pag. 424. & alibi dixerit, *Principes, & Reges bona Eccleſiæ liberè donaſſe*, & pag. 563. eorundem bonorum dominium *totius Eccleſiæ* fuiſſe; itidem affirmauerit. Et quid etiam nugacius, cum eodemmet tempore, quo refert pag. 775. *Regem centum aureorum millia annui cenſus Eccleſiæ, inuito Pontifice, & vniuerſo reclamante Clero, vili vendidiſſe*; nihilominùs per Conſiliarios nimis ridiculè iactitet, ſeculares bona Eccleſiaſtica meliùs, quàm Eccleſiaſticos conſeruare?

Cumque ſubijciat, eoſdem Conſiliarios præter cenſuram nonnullorum decretorum, ob eam cauſam addidiſſe, alia fuiſſe contrà conſuetudines, & immunitatem Eccleſiæ Gallicanæ, & antiquiſſimos vſus Galliæ Regijs conſtitutionibus confirmatos, ſe dictæ orationis Ferrerij oblitum oſtendit, in qua ea deſijſſe, & legibus Regni ſublatis, *Decretales* eorum loco ſubrogatas fuiſſe aſſeruit.

HISTORIA.

AIT etiam, Conſiliarios nullo modo probaſſe conceſſionem poſſidendi bona immobilia Mendicantibus factam. Nam, cum ex illa inſtitutione in Gallia recepti ſint, non alio ſtatu manutenendi eſſent: idque

perpetuum Romanæ Curiæ artificium eſſe, auferendi bona à ſecularibus, eaque in Clerum, ac poſtmodum Romam protrahendi, operam primùm dando, vt Monacis, obtento voti paupertatis, exiſtimatio concilietur, perinde ac ſi nil prorſus temporale, ſed populi beneficium duntaxat, ſola charitate moti reſpiciant, quos poſtmodum, exiſtimatione parta, Curia à voto eximat, facilèque diteſcunt, ac Monaſteria, poſtquam in magnam opulentiam peruenerint commendantur, totumque denuò in Curiam defluat.

CONFVTATIO.

VErùm, cum inſtituta Monacalia à Diuo Benedicto, Sanctoque Gregorio, alijſque Sanctiſſimis Patribus emanauerint, quorum ſanctimonia, omni prorſus ſuſpicione perpetuò caruit; quique de Romanæ Curiæ commodis proculdubiò, non cogitarunt; quis Polani improbitatem non manu tangit? Et, cum Romana Curia nil aliud ſit, quàm aduentitiorum confluentia, qui, vti presbyteri, in Curia ſucceſſionem nullam omninò relinquunt. Vnde ob perpetuas mutationes Curiæ facies nunquam eadem eſt: & artificia illa, non niſi poſt longum annorum, immò, & ſeculorum decurſum, effectum ſortiri poſſint; quis credat, Curiales de cōmodis, quæ illis vſui eſſe non poſſunt, laborare, & pro ijs, qui poſteà venturi ſint ſolicitos eſſe? Sunt tua deliramenta Polane, quæ hæc ſomnia tuæ malignitati ſuggerunt, nō obiectiones Gallorum, quibus nulla iactura ob id eſſe poterat, quorum beneficia in Curiales effluere nullo modo poterant, quando ſolis Nationalibus conferantur.

HISTORIA.

HVIC addita erat exhortatio in 12. capite, ad omnes fideles, Epiſcopis, & Parochis de proprijs

bonis

bonis largè ſubueniendi, quod haud abs re fieret, ſi populo, ex debito inſeruirent, & ſubuentione egerent; eamque eſſe Diui Pauli exhortationem, vt qui in rebus fidei inſtruitur, inſtruentem ſuorum bonorum participem faciat; ſed, cum is, qui Paſtoris nomen gerit inſtructionem populi penitus negligit, exhortationem ex opportunitate non eſſe: eoque magis, quòd anteactis temporibus bona Eccleſiaſtica alimonijs pauperum, captiuorumque redemptioni deputata eſſent; in quem finem non tàm ſtabilia, quàm ornamenta etiam Eccleſiarum, ac vaſa ſacra impenderentur; ſed vlterioribus eis temporibus, id citrà permiſſionem Pontificis fieri vetitum eſſe, indeque Clerum in immenſum diuitem euaſiſſe. In lege olim Moſayca Decimam à Deo Leuitis conceſſam fuiſſe, qui decima tertia populi pars erant, vlteriori tamen acquiſitione vetita: Clerum verò, qui quinquageſimam non excedat, iàm non decimam, ſed quartam acquiſiuiſſe bonorum, & adhùc acquirendo proficere, multiſque inſuper in eum finem artificijs niti. Cum olim Moyſes collationem pro conſtructione tabernaculi, à populo quæſiuiſſet, quod ſatis eſſet accepto, non vlterius conferri, Dei mandato precepit: his autem (ni homines à letargo expergiſcantur) nunquam terminum fore, niſi omnibus occupatis: multos equidem ex presbyteris, & Religioſis egere; idque fieri, quòd alij immoderatiùs affluant: æquali partitione omnes æquè abundaturos eſſe. Sed, his etiam adeo euidentiſſimis omiſſis, quandò Concilium ſuaderet, vt Epiſcopis, & Parochis pauperibus, in eorum neceſſitatibus, ſubueniretur, tolerandum aliquo modo eſſet, ſed eis ſubueniendum eſſe dicere, vt dignitatem, nempè faſtum, & luxum, ſuſtineant, nil aliud profectò eſſe quàm verecundiam penitus abieciſſe:

CON-

CONFVTATIO.

QVæ in Eccleſiaſticos reprehenſiones, cum petant ipſum Regem, cuius nominatione omnes ferè eliguntur in Gallia, proculdubiò emanare à dictis Conſiliarijs non potuerunt Nam magis offendiſſet Regem, quàm Eccleſiaſticos ipſos. Quod eò certius dicendum videtur, quia ea omnia ſint falſa, & calumnioſa, ac proinde à perſpectiſſima ſummorum illorum virorum ſapientia, ac rectitudine aliena.

Primùm enim non dixiſſent, exhortatio illa æqua eſſet, ſi Epiſcopi, & Parochi, populo ex debito inſeruirent, cum decretum Concilij, quod reprehendebant, non de alijs paſtoribus loquatur, quàm de illis, qui (vt ſunt verba præciſa) *pro popolo inuigilant.*

II. Et, cum decretum de illis, expreſſis verbis loquatur, qui *tenuioribus* (vt inquit) *præſunt Eccleſijs*, non ergo de diuitibus, & affluentibus; ſed de illis ſolùm, qui *ſubuentione indigent.*

III. Et, ſi ijdem Conſiliarij dixiſſent, *bona Eccleſiaſtica à principio, de Iure patronatus fuiſſe*, ſibi turpiter contradixiſſent, eodem tempore affirmando, *anteactis temporibus bona Eccleſiaſtica alimonia pauperum, captiuorumque redemptioni attributa fuiſſe.*

IV. Nec dixiſſent viri eruditiſſimi, in lege Moſayca Leuitis, qui decima tertia pars populi erant, *decimas conceſſa, vlterius acquirere vetitum fuiſſe*; cum, præter hæc, 48. Ciuitates proprias haberent, vt in cap. 21. libri Ioſue, & Sacerdotes, præter decimas, haberent primitias, & omnes oblationes votiuas, & ſpontaneas, & omnia primogenita animalium, & hominum, ſeu pretium illorum, & victimas, & alia, quæ in libris Leuitici, & Numeri recenſentur.

V. Nec dicere potuiſſent, Clerum, qui quinquageſimam partem non excedit, iam non decimam, ſed quar-

tam

tam bonorum acquiſiuiſſe, & adhùc acquirendo proficere, multiſq; inſuper in eum finem artificijs niti; cum, ex relatione Polani, Iacobus de Roccaforte in Comitijs Aurelienſibus inter cætera dixiſſet pag. 424. *Reges, alioſq; Magnates, immenſas donationes Eccleſijs feciſſe*, vt & Ferrerius pariter in ſua oratione retulit: Nam ergo Eccleſia non Clericorum artificijs, ſed Regum, Principumque Religione, ac munificentia ditata fuit.

VI. Falsò etiam dixiſſent, hortationem Concilij eſſe, non ad Epiſcopos, & Parochos pauperes, in eorum neceſſitatibus ſubueniendos, ſed vt *dignitatem* ſuſtinere poſſint, quod nil aliud ſignificat, quàm *faſtum, & luxũ*; tùm quia decretum expreſſis verbis loquatur nominatim (vt iã notauimus) de ijs, *qui tenuioribus præſunt Eccleſijs*; tum quia eis ſubueniri hortetur, non *vt ſuſtentare*, ſed *tueri dignitatem poſſent*, vt ſunt verba præciſa decreti. Siquidem tueri dignitatẽ non eſt luxum, & faſtum alere, ſed decus tantummodò Sacerdotale in debita tantæ dignitati veneratione manutenere. Quod adeò congruũ, ac neceſſarium idẽ Rex Galliȩ religioſiſſimè, ac verè chriſtianiſſimè cenſuit, (cum honor, qui Chriſti Miniſtris defertur, Deo deferatur) vt in decimo ſexto reformationis capite per eum Synodo exhibitæ, præciſis verbis prouideri petierit (ex recenſione Auctoris pag. 636.) *vt Parochi vnà cum duobus aut tribus Clericis, neceſſaria vitæ, & exercendȩ hoſpitalitati habeant: & Epiſcopus, vniendo beneficia, vel decimas aſſignando prouideat: vel, vbi id fieri non poterit, Princeps ſubuentionibus, collectiſq; ſuper Parochijs impoſitis, prouideat.* Quæ petitiones cum de eorundem *Conſiliariorum* ſententia factæ fuerint, patet, quæ, tùm *Regis*; tùm ſuorum *Conſiliariorum* in hoc pietas, & Religio eſſet: & quàm ideò repugnet, contumelioſas haſce cenſuras ab eiſdẽ emanaſſe, vt Polanus conſueta impietate malignè obtrudere voluit.

FINIS LIBRI QVARTI.

408.224

[illegible]

Digitized by Google

IN OPERIS INGRESSV COGIMVR ADMONERE, HANC editionem multis erroribus refertam eſſe, vt accidit, vbi libri Auctore longè agente imprimuntur, & eos tantummodò adnotabimus, ex quibus ſenſus corrumpitur, aut euertitur; cum alios diſcreto lectori emendandos reliquerimus, preſertim circa orthographiam, & ſimilia.

IN CONSILIO AD LECTOREM

Pag.	Lin.	ERRATA fundamentis euerſa	CORRIGE à fudamentis
25	6	Lotharingium lorum	Lotharingium cum
31	10	conſequeretur	conquererentur
32	23	numerum	munerum
33	9	innotis	in notis
35	3	eorum	earum
38	32	apparuerunt	aperuerunt
45	23	Angelice	Anglice
48	1	Polanus	Polonus
59	27	deſcrepationem	diſceptationem
60	15	minatus	minitatus
61	in vltima poſtilla.	potior	potiorem
94	1	emanarent	emanabant
99	2	Namnam	Nam
101	29	pertim	partim
Ibid	33	ſapereſſent	ſupereſſent
Ib.d.	34	pallicendo	pollicendo
102	7	deplomatibus	diplomatibus
107	8	Pontificos.	Pontificios
108	vlt. lin.	interiumq;	interimq;
110	5	abirent	ambirent
111	12	Epiſcopus	Epiſcoposq;
122	20	Regina	Regna
131	21	ſinodi, abſq; vlla prorſus contradictione	dele. hec verba, quia ſunt replicata, & dicatur ſynodi abſq; vlla &c.
135	24	elterutro	alterutro
150	1	Baſilienſe	Baſileenſe
152	3	ſeſſionibusq;	ſeſſioniſque
154	vlt. lin.	mittendos	mittendo
163	ſum. num. 3	molitum	molitus
Ibid.	2	in legatos	in legatoſque
166	8	actus	aſtus
168.	in ſummario	ac	ad
	in eod; ſummario	prefixit	prefinit
176	penult. lin	ininſtam	inuſtam

182	24	Legatos	Legatis
185	1	maluiſſet	maluiſſent
189	10	incuteres	incuteret
192	18	desertum	decretum :
195	25	quod dixeris	quia cum dixerit
198	19	caueri	carceri
199	18	inſultiſſimi impoſtu-ris conuinctum	inſulſiſſimi impoſtoris con-uictum
200	14	facto	quid facto
201	29	conſenſu	confeſſu
205	28	conitis	Comitijs
207	6	ſequntur	ſequentur
Ibid.	23	debitatam	debitam
210	30	Ducacum	Ducatum
215	1	Nuncij	Nuncijs
216	14	conquerentur	conqueruntur
218	16	hę	hęc
220	5	in paruulis	in pauculis
Ibid,	14	facto	quid facto
Ibid.	21	in paruulis	in pauculis
222	13	initium	initum
Ibid	21	vrget	vrgeret
224	5	abſtinere	abſtinuiſſe
224	20	feciſſet	fuiſſet
230	18	querebatur	querebantur
230	21	eſſent	eſſet
231	29	tractationem	tractationum
232	16	Nam.	dele
Ibid.		omnium	atque omnium
Ibid.		ab.	& ab.
233	11	amplitudine	amplitudini
234	penult.lin.	tempore	temporis
235	6	ſuggeriſſent	ſuggeſſiſſent
235	15	contenta	centena
236	28	auitis	accitis
237	16	mentiones	miſſiones
240	20	morcantur	mereatur
Ibid.		In.	In eo
241	8	integrem	integram
243	18	adeptam	ademptam
Ibid.	31	dicendo	dicenda
245	2	apparuiſſet	apparuiſſent
246	9	proteſtatiau	proteſtari
247	17	muliſtaſſe	mulctaſſe
Ibid.	18	Scripandium	Seripandium
250	18	Caſtillij	Caſtellij
250	21	affectum	affectui

252 11

252	11	Tirianę	Tirianę
254	9	Coſtantiam	inconſtantiam
255	21	vt	&
256	21	fuiſſe	feciſſe
256	25	Sentorem	Senatorem
258	23	fuiſſe	fuiſſet
261	16	auitum	accitum
262	11	Pontificis	Pontificijs
262	19	cenſuerit	cenſuerint
264	13	detractationesq;	detractionesque
264	24	lamentaretur	lamentarentur
270	27	ſi ea re	ſi ea res
272	21	detegendam	detegendas
272	23	Decimo	Nono
576	23	conſuerunt	cenſuerunt
280	6	faceſſeret	faceſſerent
Ibid.	25	didiſſe	dediſſe
280	33	Quito	Quinto
282	13	ſerſionibus	ſeſſionibus
Ibid.	vlt.lin.	Epiſcoporum	(adde) ab eo eſſe dicatur
285	18	prepoſitione	propoſitione
287	29	edificatione	ędificationem
288	6	velles	vellet
292	1	proponerentur	proponeretur
Ibid.	vlt. lin	aſſurtus	aſſuetus
296	33	de concilio	de conſilio
299	27	Pontificis	Pontifici
301	17	Legobienſis	Segobienſis
303	1	eadem	eodem
310	1	excogitatas fuiſſe	excogitatę fuerunt
311	5	timete	timere
312	14	potes	poteſt
Ibid.	pen.lin.	oculi	occuli
314	17	Scripãdius	Seripandius (quod verbũ replicat alibi pluries)
318	7	veram	curam
322	11	Italis	Itali
324	vlt. lin.	proboſo	probroſo
329	8	reditui	reduci
330	6	moram	morum
332	23	ſeorſim	ſeorſum
Ibid.	24	è con	è contra
334	4	obijcere	abijcere
335	35	ſed amilitioſè	ſed malitioſè
338	11	explicaſſe	replicaſſe
338	21	licete	licere
345	10	numera	munera
Ibid.	23	Hiſpanio	Hiſpanico

346	3	profitetur	profiteatur
Ibid.	18	& tamen	ea tamen
Ibid.	20	armatum	animatum
349	19	videſima	vigeſima
355		fuiſſe	feciſſe
360	13	adeptam	ademptam
364	26	*Adde* & preter hęc, cum Epiſcopi conferunt beneficia in menſibus ſibi reſeruatis, (quos menſes ordinarios vocāt) expeditio non fit Romę in Curia, ſed ab eiſdem Epiſcopis in partibus, veniunt omnes	
372	31	ſcribis	ſcribi
385	28	motum	notum
387	22	acutus	auctus
391	21	remque	reque
Ibid.	22	exagitat	exagitata
392	22	impoſteris	impoſtoris
395	penult. lin	reſtitutio	reſtituto
397	8	Cardinales	Cardinalis
Ibid.	11	Eccleſiaſtui	Eccleſiaſtici
401	25	verſationibus	venationibus
402	14	pag. 1	pag. 11
403	2	cum	eum
403	11	religioſus	religioſius
405	8	imprudentia	impudentia
407	12	hereres	hereſes
408	26	Chiericatur	Chiericatus
411	18	veneratum	venenatum
414	21	magiſtratumque	magiſtratunmque
417	vlt. lin.	ſi eis	ſi enim eis
418	2	eſſe	eſſet
420	9	ab eas	ob eas
421	20	Spine	Spirę
Ibid.	24	ſit	ſic
428	9	exprobaſſe	exprobraſſe
429	11	Zuingluis	Zuinglius
430	23	oui	cur
431	24	ſit	ſic
433	24	ieiectis	reiectis
435	vlt. lin	erſtituori	reſtitutori
439	16	tafra	infra
444	18	didiſſe	dediſſe
446	21	conſentaneum	conſentaneam
447	26	abiter	arbiter
450	4	ve	vt
452	1	Baronis	Baconis
Ibid.		faretum	facetum

453 15

Digitized by Google

453	15	Baronis	Baconis
463	1	deſolere	deſolarę
Ibid.	25	&	ex
Ibid.	34	opprobaſſe	approbaſſe
468	13	vlxiſſe	vixiſſe
469	11	editum	editam
472	penult.lin.	quique	quiſque
485	19	eas	eos
488	24	conſenſu	conſeſſu
492	7	quauis	quamuis
498	17	obſtructos	obſtrictos
499	7	regeſtro	regiſtro
506	14	viues	cuius
511	3	aduſus	abuſus
Ibid.	11	& cura	ea cura
Ibid.	19	pronie	prouidè
517	21	impartes	partes
520	28	latinati	latinitati
522	15	explicando	explicandi
526	22	exemptibus	exemptis
529	8	opulentibus	opulentis
533	27	menſtratim	menſtruatim
535	25	a nomine	a nemine
543	21	haberas	habenas
553	1	coofudiſſe	confudiſſe
560	16	ſeptemum viri	ſeptem viri
562	4	vni	vini
566	3	& mortuo	& eo mortuo
580	vlt lin.	& aliorum	ex aliorum
583	27	Religionum	Religionem
590	2	impudentiſſimiq.	impudentiſſimèq.
590	13	peruenirer	perueniret
591	4	medo	modo
593	29	eodem	eoſdem
609	28	puerum	puerorum
610	17	inſpectatione	inſpectione
615	22	Gallios	Gallicos
616	14	varitate	coarctare
Ibid.	29	Regi	Regis
Ibid.	32	impoſtuniſque	importuniſque
621	3	deſcrib.	deſcribi

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google